BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARS II.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS II.

LIBER I.

Ludovicus Boiorum Dux, Romanorum Rex rite electus, Aquis inauguratur. A Friderico Duce Austriæ, ejúſque fratre Leopoldo ſæpe bello petitus, tandem victor ad Ampfingam, Fridericum capit, redditque libertati. A Ioanne XXII. Pont. Max. piorum cœtu movetur: variis utriuſque fortunæ caſibus exercetur.

I. An. Christ. M. CCC. XIV.

Controversiæ Septemvirum.

POſtquam Henricus VII. Imperator è vivis exceſſerat, interregnum menſium ferè quatuordecim fuit, vel hoc ipſo Imperio improſperum, quòd tantum conceſſerit temporis, ut Germania ſuo malo duos Reges parturiret. Spatium laxavit varia lis de jure eligentium. Unam Joanni Bohemiæ Regi, demortui Cæſaris filio, moverat Henricus Carinthius, obtentu titulorum, quibus non Septemviratum modò, ſed etiam Bohemiæ regnum, ob nuptias cum Wenceslai Regis majori natu filiâ, ſuum eſſe dicebat, nondum poſito, quod nuper Henricus illi abjudicaverat, Regis nomine. Quòd ſi abjudicavit regnum, utique & Septemviratum, quem non niſi Regi permittunt leges. Alteram agitavêre Duces Saxoniæ Joannes III. & Rudolphus, qui pari contentione de jure ſuffragandi decertabant. Memorat etiam Villanus, ſcriptor Italus, Waldemarum Marchionem Brandeburgicum habuiſſe ſuæ dignitatis rivalem, ejuſdem ſanguinis Principem, qui alius ab Henrico Waldemari fratre, quem vulgò *Principem ſine terrâ* dicebant, non videtur fuiſſe. Suffragatores cæteros, quò minùs irent in vota, affectus varij & partium ſtudia diſtinebant. Rudolphum Rheni Palatinum, Ducem Bavariæ, adverſus Ludovicum fratrem ætate minorem inſtigabat obſtinatum odium, natum ex diſcordiâ familiæ herciſcundæ. Petrum Moguntinum ab Alberto Rege, Friderici parente offenſum, occupabat acceptæ injuriæ altè impreſſa memoria. Henricum Colonienſem, è ſtirpe Comitum Virnenburgenſium, neptis ſuæ, Henrico Duci Auſtriæ Friderici fratri nuptæ, affinitas obligabat nomini Auſtriaco, cui, è diverſo, minùs erat addictus Balduinus Trevirenſis, Henrici Imp. Filius, Joannis Bohemiæ & Poloniæ Regis conſanguineus,

Eorundem varia studia.

Mutius pag. 22. secutus Alb. Argent.

Annales Fürstenfeld.

ijſdem cum Joanne conſilijs innexus. Privatis Septemvirûm affectibus in diverſa diſtractis, cùm publici cura langueret, unum Fridericum Alberti Cæſaris Filium, Rudolphi nepotem, imperatorius ſanguis & excelſa animi magnitudo ad

FRIDERICUS DUX AUSTRIÆ SIBI LUDOVICUM BAVARUM CONCILIARE NITITUR.

paternæ avitæque fortunæ ſpem palàm incitabat. Ad ſummum Imperij faſtigium aſpiranti, ſolus obſtabat ex Ludovico Bavaro metus, ne, cui nuper in bello impar fuerat, in prenſando Imperio foret inferior, ſi fors eum competitorem, & cladis acceptæ memoriam, cum victoris famâ componeret. Ergo, quem Fridericus armis vincere nequiverat, ſtatuit aggredi benevolentiâ, quâ, in generoſa pectora, nulla eſt machina potentior. Ejuſce conſilij teſtes habeo Albertum Ar-

II. gentinenſem, Nauclerum & Cuſpinianum, dum aſſerunt, Fridericum, colloquio cum Rudolpho & Ludovico Bavariæ Ducibus in Comitijs Curiatis habito, ſuam ipſis opem addixiſſe ad captandum Imperium, & obtinuiſſe, ut viciſſim uterque operam addiceret. Non dubium, quin præcipuam in placando Ludovico artem collocârit, cùm de Rudolphi fide atque amicitiâ nihil ambigeret; placare autem ingenioſiùs non poterat, quàm ſi priores deprecatus inimicitias, præ ſe ferret deſiderium, in priſtinum gratiæ locum redeundi, & delendi illatam injuriam, conciliatione (quoad fortuna pateretur) ſupremæ in orbe dignitatis. Nec abluſit à vero, quando faſſus eſt, fata, ex ſuâ infelicitate & clade, Ludovici decora famámque extuliſſe: erectum fuiſſe Ludovicum ad excelſum nomen, poſita trophæa ejus fortitudini, nihil tum quidem glorioſius legi potuiſſe in ipſius titulis, quàm devictum Fridericum. Tantæ virtuti viam ad ſupremum rerum humanarum culmen eſſe apertam: ſi invitantis fortunæ nutum ſequeretur, fore ſe inter primos, qui euntem, honoris causâ ſtiparent; nolle ſe exarmatum illi præire, cui nuper armatus de gloriâ conceſſiſſet: ſe deinceps præ Ludovici meritis, inſuper habiturum Patris & Avi exempla, magnos videlicet hortatores, ut ſummæ ſpei immineret, ſi modò Ludovicus, qui orbis terrarum conſenſu feliciſſimus eſſet & fortiſſimus, ſuæ dignitati non deeſſet.

Argentin. p. 11. §. ult. mihi. p. 616. Nauclerus ad annum 1314.

III. Ludovicus iſtis blanditijs ſe moveri non eſt paſſus, ſive quòd ſuſpectam haberet benevolentiæ oſtentationem in comperto æmulo, ſive quòd animus ab ambitione intactus, minùs eſſet opportunus iſtiuſmodi invitamentis. Rependit tamen Friderico vicem, & actis prolixè gratijs, ſtudium ſuum fuit pollicitus, ſi ille ad Imperij faſces animum adjecerit. Ad ſe quod attineret, tam graves in parvo imperio reperiſſe curas, ut in magno longè graviores neutiquam eſſet quæſiturus: ſuavius eſſe extra tot procellas, quibus magna potentia ſolet involvi, ſub parvo latère, & ſecum habitare. Favere ſe tamen cognato ſanguini; ſe patris ejus germanâ ſorore genitum, ſua omnia decora arbitraturum, quæ ipſi virtus eſſet datura. Hæc ſic dicta acceptáque, ut Fridericus, certus ſibi verba data non eſſe ad benevolentiæ ſpeciem, omnem de competitore curam, ut ſupervacaneâ, ex animo poneret. Prenſare ergo in poſterum flagrantiùs, ſperare fidentiùs, pugnare largitionibus, iiſque ſibi viam ad auguſtalia ſuffragia munire. Rudolphi Boij, jam à Ludovico averſi, votum auro coëmptum; reliqua eodem hamo captabantur. Frigidam affudit ambitioni Petrus Moguntinus Elector, ſpémque reddidit irritam, adductis ſuas in partes Collegis.

Rebdorf. pag. 422. §. 4.

Convenerant Electores, & abſentium Electorum Legati de Comitijs acturi. In eo congreſſu Friderici expectatio luculentam plagam accepit. Nam in Collegij tabulas relatum fuit nomen Joannis Saxonis (veri proinde ac legitimi Cæſarum Electoris) omiſſo Rudolpho, cujus ſuffragio Fridericus potiſſimum nitebatur.

IV. tur. Illum Steronis Continuatores à ſede Pontificiâ datum Paſſavienſibus Antiſtitem, & repudiatâ mitrâ ad Septemviratum redijſſe, fabulantur. Sunt certè in hoc erroris manifeſti, dum Rudolphum Joannis fratrem faciunt, cujus patruũ fuiſſe, eſt in comperto. Accedit, quòd in Paſſavienſium chartis nullum extat Rudolphi veſtigium, ſed ex ijſdem videre eſt, quòd, cùm hoc anno Bernardus Brambachius V. Cal. Aug. naturæ debitum exſolviſſet; à Canonicorum cœtu in vacuam ſedem alij Albertum Auſtrium Friderici fratrem, alij Gebhardum Waldſæum

ſæum ſuffragijs optârint, nec priùs redierint ad conſenſionem, quàm ea diſcordia, Gebhardi morte, & Alberti abdicatione, finem accepiſſet, octavo, poſt hunc, anno, cùm demum Albertus, Rudolphi Saxonis frater, Epiſcopatui fuit admotus. Utut cauſa Rudolphi habeat, manifeſtum eſt, in Collegij Septemviralis inſtauratione, pro damnatâ fuiſſe habitam, & in convocando Comitio nullam ipſius fuiſſe rationem. Longè gravius vulnus, in iſto Septemvirûm congreſſu, Friderici prenſationi fuit inflictum, delecto Ludovico Bavaro competitore, tantò optabiliore, minúſque invidendo, quòd eum ipſe nuper faſtigio digniſſimum eſſe judicâſſe viſus eſſet. *Litteræ Moguntini & Treviren. ad ſummumPontific. Chron. Fürſtenfeld.*

DE LUDOVICO ELIGENDO CONSULTATIO.

Patribus omnium merita circumſpicientibus, nemo Ludovico Bavaro occurrit potior. Erat tamen ambiguum, an, quâ pollebat modeſtiâ, hunc gradum ipſe eſſet admiſſurus. Quare eum ultro excitandum Patres cenſuerunt per ſummos viros, qui Principum conſilium referrent, & cunctantis animum pararent inexpectato honori. Erat opus acribus ſtimulis. Repererunt enim omnia prorſus alia cogitantem. Audivit attonitus gratulantes, & denique monuit, ſatiſne expendiſſent, quam rem agerent, quibus humeris immenſam Imperij molem deſtinarent? An non meminiſſent, juventam ſenilibus curis imparem? Erat tum triginta circiter annorum. Quòd ſi in bonis animi æſtimandis, vel amor, V. vel fama, Patribus impoſuiſſet, æquum tamen fuiſſe, ut calculum cum tenui ipſius ærario ponerent, quo ſubducto, tantis rebus ac periculis opes inæquales fuiſſent comperturi. Domo tam anguſtâ, tantam fortunam tegi non poſſe. Grandia nomina, niſi lautè ac ſplendidè habeantur, dehoneſtari ab ijs, quibus adhæſerunt, &, quos inſigniunt, exponere mortalium ludibrio. Animadvertêre Legati, hæc cordatè & candidè dicta, nequaquam ad oſtentationem componi. Cùm ultrà urgentes, auxilia promitterent, eâdem, quâ dixerat, conſtantiâ rejecit promiſſa & addicta Patrum ſuffragia. Quare Princeps legationis, ſive è Comitio tale mandatum attulerat, ſive propriâ animi inductione, vim interminatus, ſine ambagibus: *Aut imperaturum*, dixit, *aut periturum.* Ea comminatio undecunque orta, Ludovico cunctationem excuſſit. Juſſit renuntiari Patribus, quando id ex uſu Reipub. exiſtiment, eorum de ſe judicia non eſſe fruſtraturum. Hæc ut geſta ſunt, memoriæ tradidit ſcriptor æqualis horum temporum, tantò fide dignior, quantò propior teſtis, & ferè quidem oculatus. Rebus animíſque in hunc modum comparatis, Francofurti ad Comitium Petrus Moguntinus, Balduinus Trevirenſis, Joannes Bohemiæ Rex, Waldemarus Marchio Brandeburgicus, & Joannes Saxoniæ Dux convenêre. Ita habent publicæ Septemvirûm Auguſtalium, & Magiſtratûs Francofurtenſis tabulæ etiamnum illæſæ, quas aſſervat Bavariæ Chartophylacium. *Volemar. Abb. Fürſtenfeld. Litteræ Electorum, ad ſummumPontificem.*

Fridericus Auſtriæ Dux, in adverſâ Mœni ripâ, ad Saxenhuſium, è regione Francofurti, cum copijs conſedit. Huic aderant Henricus Colonienſis, & Rudolphus Bavarus, citra dubitationem germani Septemviri: quibus, ſi fides eſt quibuſdam hiſtorijs, ſe adjunxerant Rudolphus Saxo, & Henricus Carinthius, uterque licèt ſuffragij calculo privatus; ille Collegij Electoralis vocatione præteritus, hic Henrici Cæſaris auctoritate: qualecunque tamen ſuffragij ſimulacrum uſurpaturi. Electores juxtà ac candidati non animis minùs, quàm flumine diſcreti, ita diſſidebant, ut minimè eſſet obſcurum, quem finem diſcordia eſſet habitura. Dies Electioni dictus fuit decimus octavus Octobris, D. Lucæ ſacer; locus conſuetus habendo Comitio, ſuburbium Francofurtenſe. Eò, de more, conceſsêre Ludovici ſuffragatores: emanſêre æmuli, ne miſſis quidem nuntijs, qui abſentiæ cauſas referrent. Exſpectati fuêre nihilominus, tum ut Liturgiæ, ad divinam opem impetrandam, de ſancto Spiritu, ex uſu veteri, intereſſent; tum ut unà irent in Curiata ſuffragia. Poterat iſta ſeceſſio pro Comitij contemptu haberi, vel minimùm pro eligendi neglectu. Attamen conſultatione à Moguntino ejúſque aſſeclis habitâ, datum eſt pacis ſtudio & humanitati in abſentes, ut, continuato Comitio, Electio differretur in diem menſis Octobris vigeſimum, eáque compe- *Litteræ ſenatûs Francofordienſis ad Aquiſgranenſes.*

VI. COMTIA AUGUSTALIA.

Literæ ſuperiùs citata.

rendinatione, Colonienſi Antiſtiti, Rudolpho Comiti Palatino Rheni, aliiſque, quorum intereſſe poterat, rite atque ordine renuntiatâ, ad eum diem in Auguſtalia ſolennia citarentur. Fruſtra fuit iſthæc accuratio. Nam perinde atque ante biduum, neque comparuêre ipſi, neque ſubmiſêre, qui vices obirent. Ergo, cùm nulla de eorum adventu ſpes foret reliqua, die Octobris vigeſimo, Deo rite propitiato, horâ conſuetâ, ex priſcâ denuntiationis formâ, juſſi exeſſe infames omnes, diris devoti, alijs cenſuris innexi, quóſque jus & conſuetudo ab E-

VII. ELECTIO LUDOVICI BAVARI.

lectione Regis Romanorum volunt faceſſere. Tum quinque, quos nominavi, Septemviri conſulentes in medium, concordia in Ludovicum vota contulêre, profeſſi, dare ſe id ejus virtutibus, compertæ in rem Catholicam fidei, religioni integerrimæ, perſpecto in ſacra ſacratóſque homines, ab ineunte ætate, affectui, pacis artibus, bellicæ fortitudini, juſtitiæ ſtudio, ſapientibus conſilijs, præclaræ morum honeſtati, comitati, clementiæ, gubernandi peritiæ, prudentiæ in rebus agendis, illuſtriſſimis natalibus, excelſæ *ex generoſo Divorum Regum & Principum ſanguine* origini, omnibus deniq; boni Principis ornamentis. Unanimem votorum conſenſum Moguntinus recenſuit, & Ludovicum, ſuo Collegarúmque nomine, Regem Romanorum, qui ad Imperatorios honores, ſanctæ Romanæ univerſalis Eccleſiæ tutelam, viduarum & orphanorum defenſionem, promoveretur, conceptis verbis, auſpicatò ſalutavit. Ludovicus, graviſſimâ Patrum oratione interpellatus, ne vocanti Deo diſſentire videretur, reverenter fuit aſſenſus. Secuta eſt gratulatio, & carmen Euchariſticum verbis Ambroſianis, propitio Numini decantatum. Tum, electione in vulgus publicatâ, ſolenni pompâ in civitatem Francofurtenſem inductus, Aræ Principi Ædis D. Bartholomæi, ritu antiquo, Ludovicus fuit impoſitus, rurſúmque gratiæ hymno gratulatorio Deo perſolutæ.

Littera ſenatûs ad Aquisgranenſes.

Tandem ſenatus populúſque Francofordienſis Regi electo applauſit, inque ejus verba juravit. Rei geſtæ ſeriem ex Septemviralibus tabulis ſcriptis ad futurum Pontificem, qui tum in ſacro interregno orbi quærebatur, & è Francofordienſium ad Aquiſgranenſes litteris, cum fide recenſuimus. Publicis iſtiuſmodi monumentis quanta ſit, fueritque ſemper authoritas, apud omnes gentes, nemo prudens in dubium vocârit. Mirum tamen non eſt, ſi Annales id temporis, ſive priſci, ſive noſtro ævo propiores, ab iſtâ narratione nonnihil abiêre. Proclive eſt credere, eos vel deceptos famâ, quâ nihil incertius; vel abductos ſequioribus priorum commentariorum narrationibus; vel, quod credibilius eſt, earum, quas ſecutus ſum, tabularum, reique ipſius ignoratione; eóque per tot opinionum divortia abijſſe: ne dicam, aliquos affectu dictante ſcripſiſſe, non quod erat, ſed quod factum voluiſſent. Quibus ex cauſis videtur nata in vulgus aliquorum ſententia, quæ Ludovico non modò electionem vitio factam impegit, ſed conata etiam eſt, illi omnia bonæ mentis inſignia adimere. Certè Ludovicus, ut erat rei conſcius, in ſuâ ad generale Concilium appellatione, in loco memorandâ, prope medium, diſertè profitetur, *ſe à longè majore numero Electorum fuiſſe electum.*

Vide utruſque litteras ab Hervvarto authenticè editas part. 1. pag. 7. & ſeqq. Inde exſcripſit earum alteras Odoricus Raynaldus Tom. 15. Ann. Eccl. ann. 1314. à num. 18.

VIII. *ad an. 1323.*

Idipſum confirmârunt Electores in Epiſtolâ ad Benedictum XII. Pont. Max. datâ 8. Auguſti, anno M. CCC. XXXIIX. Proderit nihilominus audire diverſas ſcriptorum teſtificationes, ne Fridericum earum patrocinio, vel Ludovicum adſtipulatione deſtituamus. Friderici cauſæ in primis favet author Chronici Belgici, qui eum à majore, Ludovicum à minore parte Electorum cooptatum ſcripſit. Grave teſtimonium, niſi illud ſubjectâ caſtigatione corrumperet, cùm addit; aliquos tradere, *Ludovicum concorditer electum ab omnibus Electoribus, dempto Archiepiſcopo Colonienſi Henrico, qui elegit Ducem Auſtriæ.* Paribus ſuffragijs utrumque fuiſſe electum, ſcripſêre Georgius Merula, *a* Æmilius in Philippo Longo. *b* Genebrardus in Chron. ad ann. Chriſti 1315. *c* ait, quatuor elegiſſe Ludovicum Bavarum, tres reliquos Fridericum Auſtriacum. Nicolaus Dolionus *d* in eâdem eſt ſententiâ, Brandeburgenſem tamen Electorem non nominat, quem diſertè adjiciunt, Cavitellus in Annalibus Cremonenſibus, Abbas Vrſpergenſis in Paralip. Cæſar Campana in Arbore familiæ Ducum Bavariæ, Onuphrius in Ludovico. Nicol.

pag. 290. §. ult.

IX.

a Antiq. Vicecom. lib. 9. pag. 113. fac. 2.
b pag. 432.
c pag. 697.
d Hiſt. Univerſ. an. 1314.

col. Serarius in hist. Mogunt. Marcus Guazzus in Chronico virorum illustrium. Dubravius 20. hist. Bohem. Henricus Rebdorfius Monachus Aichstattensis, Chronicon manuscriptum Norinbergense, Steronis Continuatores, *e* Friderico tres Electores, Rudolphum Palatinum, Henricum Coloniensem, Ducem Saxoniæ seniorem; Ludovico majorem Electorum partem, Joannem Regem Bohemiæ, Balduinum Antistitem Trevirensem, Petrum Moguntinum, & juniorem Ducem Saxoniæ adjungunt. Albertus Argentinensis, quem sequitur Mutius, *f* Friderico tria attribuit suffragia, Coloniensis Archiepiscopi, Rudolphi Bavari, & Ducis Saxoniæ; Ludovico verò quatuor, Petri Moguntini, Balduini Trevirensis, Waldemari Marchionis (Brandeburgici videlicet) & Joannis Regis Bohemiæ. Theodorus Piespordius de Austriacorum Principum stemate, in Friderico Pulchro, ait, Ludovicum Bavarum unico Brandeburgici voto ex Legati & Moguntini fraude, Friderico fuisse superiorem.

e *pag. 408. & 409.*
f *pag. 44.*

Villanus, Ludovico ætate æqualis, *g* scribit, Ludovicum *plura vota habuisse, videlicet Archiepiscopi Moguntini, Archiepiscopi Trevirensis, Ioannis Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandeburgensis*; Fridericum verò habuisse vota Archiepiscopi Coloniensis, & Ducis Bavariæ fratris inimici; *Et hæc* quidem *vota fuisse certa.* Addit tanquam incerta, *votum Ducis Carinthiæ, qui ratione uxoris, Wenceslai Regis primogenitæ, se, de jure, Regem Bohemiæ prætendebat: votum quoque Marchionis cujusdam Brandeburgensis, qui & ipse se de jure Marchionem esse contendebat, licèt Marchionatum non possideret.*

g *lib. 9. c. 66.*

Cuspinianus, Domui Austriacæ ex asse addictus, *h* asserit, Austriæ Ducem *legitimè electum fuisse per plura honestioráque suffragia*, Coloniensis nimirum Antistitis, Rudolphi Bavari, & Ducis Saxoniæ senioris. Ludovico autem suffragatos esse Archiepiscopos, Moguntinum, Trevirensem, Bohemiæ Regem, & Marchionis Brandeburgici Legatum, domini sui mandata prævaricatione fraudulentâ frustratum. Operæ non est, scriptores alios, hodie natos testes, adhibere.

h *lib. de Casarib. pag. 438 & 439.*

X.

Cæterùm in tantâ varietate ac pugnâ difficile foret, de rei gestæ veritate statuere, nisi Electorum & Francofurtensium tabulæ publicæ, quarum probationis forma est optima atque expeditissima, omnem istam opinationum nubem dissiparent, quando disertè quinque Ludovici suffragatores, eósque præsentes Electioni, suo quemlibet expressum nomine, duos autem duntaxat Friderico attribuunt. Quanquam Historici tantâ loci, temporis, nominum, personarum, narrationum diversitate sic mutuò se configunt, ut palàm sit, aliquos, Andabatarum more, in tenebris, & profundâ rerum inscitiâ depugnantes, sibi fidem infregisse. Non possum non laudare mentem candidam Odorici Raynaldi, qui, cùm Tomo XV. Annalium Ecclesiasticorum ad annum Christi 1314. num. 17. Ptolomæi Lucensis, & Germani cujusdam auctoris anonymi, nec non Bernardi cujusdam de Imp. Rom. ex M.S. libro, verba recitâsset, hæc subjunxit. *Rei autem gestæ narratio vera vix ab historicis peti potest, cùm ea scriptis tradiderint, quæ communi hominum famâ in locis, in quibus versabantur, pervulgata erant, ut sentiebant cum hoc vel altero æmulo, indéque non minùs dictis inter sese, quàm armis adversi Principes pugnârint. Repetenda verò visa sunt publica documenta à Ludovici Electoribus confecta, quæ Hervvardus suis Apologeticis Commentarijs pro Ludovico editis inseruit.* Hactenus vir eruditissimus, qui à num. 18. usque ad 23. Electorum quinque, Petri Moguntini, Balduini Trevirensis, Joannis Bohemiæ & Poloniæ Regis, Waldemari Marchionis Brandeburgici, & Joannis Saxoniæ Ducis senioris, litteras ad Pontificem futurum (is fuit Joannes XXII. electus denique post biennne, cum trimestri, & septendecim dierum, molestum Ecclesiæ interpontificium, Anno 1316. die septimo Augusti) datas, summâ fide transcripsit. Quod autem & ad Historicos attinet, facit pro Ludovici Electione, quòd ex ijs, quos jam adduxi, sedecim habeat, qui majorem votorum partem ipsi adscribunt; Fridericus duos tantùm habeat, genti Austriacæ auctoratos, eósque suspectos. Duo sunt, qui paria utrique suffragia tribuunt, & neutrum reddunt in illo dignitatis certamine victo-

Interea Comitiorum exitum & Ludovici gloriam (ut alij nuntij defuerint) ad vicina Friderici castra detulit plausus publicus & clarissima signa lætitiæ. Lætitiam mox interceperunt longarum curarum exordia. Sibi vates fuit Ludovicus, cùm velut futurorum præscius, gnarúsque apprimè rerum humanarum, Friderico non dissimulavit, in alto mari, longè impetuosiores esse tempestates, quàm in amne placido, quibus solent agitari vel maximè, qui ad clavum evecti, summa Reipub. gubernacula moderantur. Alcedonia turbaverunt, Friderici & asseclarum consilia, qui, si se ac Rempublicam quietam esse voluissent, longè maximos gloriæ & incolumitatis suæ fructus fuissent laturi. Verùm id à suâ modestiâ non impetrârunt, rati fore pulchrius ac fortius, ultima quæque, quàm pacis tranquilla experiri. Is videlicet erat fatorum ordo, ea temporum malignitas, quæ multorum sanguine & civili bello debebat expiari.

TURBARUM INITIUM.

A FRIDERICI FACTIONE.

XIII.

Friderico igitur visum est, suorum de se judicium ferro tueri. Rem aggressus est à Francofurti & Regis æmuli obsidione, quæ ne duceretur in longum, duplici sufflamine fuit impedita. Primum adhibuit Antistes Moguntinus, commeatu, qui in Friderici castra vehebatur, prohibito; unde in exercitu inopia primùm, mox fames & pabulationis egestas. Alterum exortum à defectione militum, quibus abeundi necessitatem vel inedia injecit, vel suasit diffidentia, quòd se suâ spe frustratos non temere ominabantur, ex longè alio, quàm sibi promiserant, Comitiorum exitu. Quæ cogitatio maximè valuit apud nobiles, qui vitio mortalium, non tam Fridericum, quàm res secundas, & ex brevi officio longa beneficia, lautiorémque fortunam erant secuti: & jam ipsa belli causa verterat in omen malè auspicatum & Ducis invidiam, qui ad tristia fata properabat. Permulti, ne petitâ quidem missione, alij aliò à signis dilapsi. Castra deinde obrarescentes ordines intempestâ nocte deserta, non honesto receptu, sed fugâ parùm decorâ. Quare Fridericus paucarum centuriarum præsidio stipatus, cum Coloniensi Archiepiscopo & Rudolpho Palatino Comite, se periculo subduxit. Poterant à Ludovico, penes quem erant Regis Bohemiæ aliorúmque Septemvirûm, ipsorum adeò Francofurtensium vires integræ, obrui, nî suasu Moguntini vim abstinuisset, ne videlicet novi Regni auspicia civili sanguine imbuerentur. Dedit tamen Ludovicus operam Aquisgranensium securitati, ratus, ad famam populorúmque de se judicia multùm pertinere, si Fridericus ab invadendo primævo Imperatorum solio prohiberetur. Illuc enim cum suorum reliquijs advolaturum cùm non ambigeret, sui adventûs & impositæ dignitatis nuntio Ludovicus putavit esse prævertendum. Ita erat. Fridericus eò properabat, donec in viâ factus certior, urbes hostili animo præsidióque teneri, Bonnam contendit. Isthic ab Henrico Coloniensi Archiepiscopo regium nomen accepit, eo maximè fretus, quòd hic Regum ungendorum prima auspicia penes se esse diceret, & nihil aut parùm interesse, quonam loco, isto officio fungeretur.

FRIDERICUS AQUISGRANO PROHIBETUR.

XIV.

BONNÆ CÆSAR RENUNCIATUR.

Ludovicus, ne quid de antiquo more minueret, maluit in Caroli Magni urbe, & avito solio, more majorum, peragi inaugurationem. Quare illuc cum Beatrice conjuge profectus, exceptúsque pronis civium animis, ab Archiepiscopo Trevirensi prima Cæsarum insignia accepit, ipsis D. Catharinæ ferijs nomine regio cum suâ conjuge communicato. Lehmanus in Spirens. Chron. Moguntinum consecratorem Ludovici nominat, lib. 7. c. 14. Hoc inaugurandi munus ante Bullam Auream, non à Coloniensi modò, sed etiam à Moguntino, & Trevirensi fuisse usurpatum, memorant historiæ: ab hoc quidem, quòd Trevirorum Ecclesia præstet antiquitate; ab illis verò, quòd alter Germaniæ sit Cancellarius; alter, eò quòd Aquisgranum, in quo consecratio fieri consueverat, sit in finibus Archiepiscopatûs Coloniensis. Ita factum, ut Ludovicus non modò inauguratus fuerit ab eo, qui potuit; sed etiam in loco, quo debuit. Valuit ea solennitas ad conciliandos populorum affectus, qui hujusmodi religionibus meritò magnam afferunt auctoritatem, iisque mirè capiuntur.

LUDOVICUS AQUISGRANI CORONATUS.

Sigon. 7. Regn. Ital.

COLONIÆ RECIPITUR. Colonia Agrippina nihil morata sui Antistitis judicium, Ludovico portas aperuit, exhibuit Regibus debitos honores, gratulationes, lautia. Si mite Ludovici ingenium tristiora remedia probâsset, poterat rebus secundis, & invitante fortunâ, istis initijs fieri compendium ingentium malorum, quæ postea secuta

XV. sunt. Etenim Fridericus à suis desertus, triginta non ampliùs capitum comitatu protectus, rursum patebat ad ictum, si fuisset, qui intentaret. Bonnâ nihilominus evasit Saletionem, ubi spatium nactus est vires reparandi. Sanè paucos intra dies tantus ad eum factus est armatorum concursus, ut Ludovicum timere desineret, nondum tamen timendus, si manus fuissent conserendæ. Longè majus fuit periculum ab homine desperato, Friderici cliente Truchsessio Altzeiensi, qui detestabili consilio sibi sumpserat immane facinus, Ludovicum per insidias sè medio tollendi, quasi magnam à Friderico gratiam initurus, scelere nulli proborũ nedum Principum probato aut honesto. Quare credibile est, eum ultro, inscio Domino, ad cogitatum nefas applicuisse animum. Id quò nequiùs perficeret, ut olim fuerat adscriptus Ludovici familiæ, in eam rursus, velut in obsequio futurus, cogitabat irrepere. Ut abderet nefariæ crudelitatis instrumentum, sagum sic composuerat, ut, nisi de industriâ excuteretur, latentem sub eo arcum nemo facilè deprehenderet. Tela veneno tinxerat, ut, quodcunque vulnus fecissent, certam mortem inferrent. Adhibuerat in consilium homines haud multò se meliores, idque stolidè, quòd inter plures conscios rara sit arcani fides. Degebat tum Oppenheimij, cum Moguntino, Ludovicus, accessu facilis, incogitánsq; discriminis; quippe qui se civium fide, quàm excubijs credebat esse tutiorem.

Naucler. Rebdorf. An. MS. Norimb.

FRIDERICUS VIRES COLLIGIT.

LUDOVICO STRUUNTUR INSIDIÆ.

XVI. Excubabat pro ejus salute divinus oculus, qui nisi excubuisset, actum erat de ipsius capite. Designatum particidium venit in apertum per ipsos meditatæ fraudis architectos, quos sive spes præmiorum, sive metus, ne scelere frustra tentato proditi ad pœnas poscerentur, sive, DEO subdente stimulos, conscientia sæva quæque præsumens induxit ad faciendum indicium. Heidelbergâ, ubi facinus fuit compositum, nuntij in tempore allati Ludovicum monuêre, adfore Truchsessium novo more indutum, ad tegendas insidias, quibus Cæsaris vitæ immineret. Nec fefellit opportuna delatio. Adfuit Truchsessius postridie. Fuerat tam insignibus notis descriptus, ut latére vigiles, in ejus adventum intentos, haudquaquam posset. Vix pedem intulerat, cùm agnito injecta fuêre vincula, indictáque quæstio capitalis. Convictum damnatúmque Cæsar, ad exemplum terrorémque aliorum, diu in carpento jussit circumduci, ac demum addictum carnifici, & caudæ equi alligatum, rapi ad rotam, ubi, contusis ossibus, laceratos artus laniena, læsæ verò Majestati noxium spiritum impendit.

SUPPLICIUM SICARII.

Ann. Furstenfeld. Fuerunt, qui (ut mores sunt suspiciosorum hominum omnia in deterius interpretantium) Rudolphi, Ludovici fratris nomen in conjurationis istius societatem retulerunt, famâ à tanti Principis magnanimitate & sanguine alienâ. Suspicioni præbebat ansam sanè fragilem ac fallacem, quòd in ejus urbe consilia de Ludovico tollendo, à conscijs fuissent capta & consociata; quasi verò nihil

XVII. istiusmodi, ipso inscio, eo loco procudi potuisset. Ut demus, edidisse ipsum illaudata complura implacabilis odij in fratrem documenta, tamen haud proclive est credere, eum ad tam ignavum ac propudiosum scelus in fraternum sanguinem descendisse. Longè est infra talem atrocitatem, quòd Augustæ omnem moverit lapidem, quò prona civium erga Ludovicum studia restingueret: quòd Boicam nisus sit accendere, ut, spreto Boicæ gentis Cæsare, sese extero addicerent, conatu eò perniciosiore, quòd, cùm haud paucos tum domi, tum foris à Ludovico alienâsset, magnum ostium aperuerit factionum seditionúmque flabellis, quibus reliquæ urbes ac provinciæ in partes hostiles fuerunt divulsæ.

RUDOLPHI PALATINI IN FRATREM MOLITIONES.

Naucleru. Nihilo seciùs Argentina, & quæ ultrà ad Occidentem spectant civitates, transiverunt in Ludovici fidem: quæ Rheno superiori confines sunt, quæque obnoxiæ Austriaco nomini, jure clientelari fuêre in Friderici obsequio. Ita diviso in partes illic locorum Imperio, magnum ad stabiliendum dominatum emolumen-

IMPERII CIVITATES IN PARTES DIVISÆ.

lumentum erat habiturus, qui Rheni nobilis fluminis usu commodisque potiretur. Spira Ludovico se permisit, addictis auxilijs, eâ lege, ne cives ad signa, nisi pro patriâ evocarentur: ne præstando commeatu aut annonâ gravarentur, sed sartæ tectæ servarentur privatorum opes, veteres civitatis prærogativæ, juráque haberentur firma & intacta. His ita compositis, Ludovicus in urbem receptus, juri dicundo præfecit Georgium Comitem Veldentium, prætorio Germershemij constituto.

Secutum hinc Spiræ periculum; Fridericus enim jam auctior Leopoldi fratris suppetijs, haud procul à civitate consedit. Ludovicus, ut vim hostium à civium fortunis capitibúsque averteret, mœnibus excedens, in sepulchrali Judæorum agro castra munivit. Credebantur irati Principes infestis signis congressuri, & æmulationis finem quæsituri, sed neutri adhuc erat fidentia, ut tantæ rei judicium ferro committerent. Ludovicus tutiora secutus, incolumem exercitum hosti subduxit, qui omni proinde solutus metu, agrum Spiræ suburbanum & rusticanas opes grandi damno depastus est. At Ludovicus de firmandis erga se civitatum studijs solicitus, ex itinere Augustam Vindelicorum ingressus, reperit laborantem factionibus, & fraternâ molitione in diversa distractam. Industriæ fuit & humanitatis, divisos cives ad consensionem & novi Principatûs amorem inflectere. Id brevi obtinuit Ludovicus facilitate & suavi majestatis suæ temperamento, quod mirè est efficax in populos humani sensûs & bonæ mentis retinentes, ubi Princeps coram dat sui specimen, spémque facit moderati dominatûs. Habet enim divinum quid ad demerendos animos, vicariæ dignitatis imago, quam divinum Numen fronti Principum, ad conciliandam subjectorum reverentiam impressit. Valuit Ludovici quoque indulgentia in bene animatos, quâ cavit Augustanis civibus, ne præterquam in suo foro vadimonium obirent, nulli alienæ jurisdictioni extra sua pomœria obnoxij. Init quoque novũ fœdus cum Repub. quadriennio definitum. Id Leopoldus Friderici frater oppugnavit ijsdem artibus, quibus Spirense, Ludovico ubique imminens, odiúmque omnium ipsius amicorum professus. Rudolphum interim Bavaro Palatinum mirè anxium curæ versabant, haud vanè reputantem, si jure communi secum agere Ludovicus mallet quàm fraterno, tam paratum sibi esse exitium, quàm debitum. Quid enim si se hostem, si factionum flabellum æstimaret? Qui posset fieri, ut cùm inter infensissimos recenseretur, non veniret in album eorum, quos amore indignos, addictósque supplicio, ab omni benevolentiâ proscriberet eò tristiùs, quò acerbiores sunt fratris quàm cæterorum injuriæ. Quare cùm Rudolphus copias ad pugnam non posset, instruxit ad pompam. Etenim vias, quà Ludovicus Monachium erat ingressurus, longis ordinibus, campósque honorarijs agminibus, prætexuit. Verùm ægrè fallunt ficta obsequia, & totidem habet proditores vafer animus, quot adhibet improbi artificij instrumenta. Quare risum magis Ludovici, quàm gratiam meruit necessitate expressa Rudolphi modestia. Tantum enim abfuit, ut vera odia mentitis benevolentiæ signis induceret, ut irritârit etiam suspiciones & memoriam professæ simultatis. Hinc emicabant toto ore offensæ germanitatis argumenta, vultum obnubilabat triste Ludovici silentium, erumpebant aculei querelarũ, turbidæ expostulationes, quas dictabat dolor læsæ charitatis.

Rudolphus non nescius hæc qualiacunque signa, cùm meritis longè essent leviora, præsagire calamitates graviores; non jam auribus, sed sibi rebúsque suis metuens, insalutato fratre, cum uxore urbe se proripuit. Arx Wolffratzhusiana breve dedit asylum fugienti. In eâ dum parùm tutus hæret, Conradus Frisingensis Episcopus, ultro citróque inter fratres commeando, concordiæ viam aperuit, rémq; eò deduxit, ut jurati spónderent, se opes virésque sociaturos, eosdem hostes & amicos, communia fœdera, fortunam seu lætam, seu tristem, unam eandémque, consilia denique indivisa habituros. Adhuc sunt quidem in promptu pactæ consensionis tabulæ; sed fluxa fides fuit. Ludovicus ex candore suo alios æstimans, ne ferrum, quod peregrè in hostem tam studiosè condiderat,

AN. CHRIST. M. CCC. XV.

FRIDERICUS SPIRÆ IMMINET.

XVIII.

AUGUSTA TRANSIT AD PARTES LUDOVICI.

XIX.

LUDOVICI MONACHIŨ ADVENTUS.

XX.

RUDOLPHUS FRATRI RECONCILIATUR.

LUDOVICUS MILITEM DIMITTIT.

domi in pacem orantes ſtringeret, néve otioſo milite patriæ eſſet oneri, præſidijs ſe nudavit, conſilio ad lenitatis famam, quàm ad ſalutem opportuniore. Simul enim ac miles diffluxerat, Ludòvico adfuêre nuntij, Leopoldum Auſtrium cum infeſtis ſignis Lyco imminere. Boiæ hoſtilia illaturum. Niſi mox occurratur, ultima quæque vaſtitatis exempla eſſe exſpectanda. Atqui Ludovico tum inermi deerant vires, quas opponeret. Ne tamen in tanto diſcrimine ferias ageret, Fridbergam ad Lycum abijt, patriæ cladis ſi non ultor, at ſpectator ſaltem futurus. Vix eò venerat, cùm Numen ſibi ſenſit propitium. Nam Auguſtani ſuæ in ipſum fidei memores, quódque crederent loco indefenſo ejus ſalutem credi non debere adverſus hoſtem vicinum, & odio viribúſq; tumentem; eodem, quo Fridbergam venerat, die, per legatos ad ſe invitârunt. Urbem noctu ſubeunti inſtruxêre pompam accenſis funalibus, ut ſentiret, ſe non ad precarium præſidiũ, ſed ad amicam obſequentémque urbem veniſſe. Didita per viciniam periclitantis fama, finitimos ad arma, per agros, indéque ad Auguſtæ mœnia concivit. Eos Ludovicus accepit non aliter, quàm cœlo delapſos, & ſuis ſignis divinitus authoratos. Fridericus indignatus magnis conſilijs tam ſubitò frenum injectum, receptui putavit eſſe canendum; ſuæ tamen expeditionis triſtia veſtigia reliquit in cineribus Landſpergæ, quam ſubjecit flammis, ínque propinquæ regionis buſtis & calamitoſâ agreſtium direptione. Ergo territus famâ Boici apparatûs, trepidum agmen retraxit in Sueviam. Saluti fuit amnium exundatio, quæ tum à tergo fugientis copias texit, tum vetuit per tumentes undas evadere. Eum Ludovicus haud longè à Puchlaviâ inter Lycum & Vindonem, qui alveos exceſſerant, eſt aſſecutus. Flumina fuſis è cœlo imbribus exaucta, tota ipſius caſtra ſic merſerant, ut jumenta ventre tenus tingerentur. Premi poterat ferro, vel fame confici, niſi Boios conſtantia, & nonnullos fides deſeruiſſet. Cauſati ſunt inter incertos aquarum gurgites periculoſam fore pugnæ aleam: ut verò ad deditionem hoſtis cogatur, dubiæ eſſe exſpectationis: non dubium fore effugium, ſi fluvij, nimbis ceſſantibus, quod brevi tempore poſſit contingere, detumeſcant. Et verò in arcto deprehenſis deſperationem addituram animos: ſatiùs eſſe facere ſpatium evadendi, quod vel ponte argenteo aliquando faciendum eſſe hoſti, ſuadet ratio militaris: ſatis eſſe victos, qui fugiendo ſuam imbelliam ſint profeſſi: Eos denique citra virorum fortium diſcrimen, & damna jumentorum in iſtâ eluvione oppugnari aut obſideri non poſſe.

Invaditur a Leopoldo Austrio.

XXI.

Invitatur ab Augustanis.

Argentin.

Lansperga cremata.

XXII.

Leopoldum sinit elabi.

Ludovicus haud ignarus, ſe homines voluntarios habere ſub ſignis, quibus invitis nihil poſſit in iſtâ rerum & animorum ambiguitate, conſultò ſuſcipi, paſſus eſt ſibi perſuaderi, ut omiſſo Leopoldo, vim converteret in minorem hoſtem. Is Crafto Hohenloius fuit. Is, ut ſibi Auſtriacorum gratiam compararet, illam ſcelere emere conſtituit. Ludovici contubernio nocte intempeſtâ faces ſubjecit. Stetit quidem audacia inter periculum & metum, eam tamen Ludovicus noluit eſſe impunitam. Schillingsfurtum, Craftonis eouſque invictum caſtrum, cum vicino oppido expugnatum exuſſit: ſic flammæ flammis penſatæ, & nefarium facinus pio bello expiatum.

Schillingsfurtum expugnat, exurit.

Secutum eſt factum, ſi ſpectes jura ſanguinis, minùs pium; ſi violatum à Rudolpho fœdus, in Ludovico non impium. Urebat Ludovicum, quòd, cùm ex pactis nuperis Rudolfus ad ſociandas manus mutuámque defenſionem, tactis aris, ſe ſanctè obligâſſet; cæteris ad arma pro fratre adverſus Leopoldum convolantibus, ipſe domi ſediſſet, quaſi nihil ea res ad ſe, vel ad rem communem pertineret. Eam ceſſationem, nec vanè, interpretabantur belli, quàm pacis, magis cupidi conſultores, reliquias nondum poſitæ invidiæ, & crimen ſúſque déque habitæ fidei & recentis pactionis. Recrudeſcebat etiam altè adhuc hærens acceptarum injuriarum in Ludovici mente recordatio, ſimul cura, ne frater novis conſilijs intentus, novas ſibi ſpes in rerum mutatione & Auſtriacorum potentiâ ſomniaret. Quid enim futurum eſſet proclivius, quàm ut reverſus ad genium, ſe adjungeret Friderico, quem germanæ neceſſitudini prætuliſſet? Verbo, ut in turbatis

XXIII.

Rudolphũ fratrem aggreditur.

batis fluctibus, tristes obversabantur rerum non præteritarum modò, sed futurarum etiam imagines, vnde dolor, ira, vindictæ cupiditas, curæ in posterum: ergo Ludovicus, cùm copiæ ad manum essent, ijs putavit in fratrem esse utendum. Primum impetum vertit in Vohburgum, quod brevi fuit oppressum. Pòst carpsit ordine Proceres, quorum suasionibus Rudolphus se corrumpendum dederat. Edita proinde strages ignobiliorum arcium: demum itum est in belli caput. Wolfratshusio Rudolphus se incluserat, toleraturus obsidionem, donec adventarent auxilia, aut honestis legibus rursus de suo capite, fortunisque pacisceretur. Verùm id propositi parùm sibi tutum, non multò pòst aversatus, fugam libertatémque evadendi prætulit angustis mœnibus, quæ vicem carceris sunt arctè inclusis. Arx, cujus propugnationem dominus desperârat, non dubitavit manus dare victori. Suprema hæc clades Rudolphi fuit certum profugi exitium. Dubium fecêre scriptores, inter Austrios, an Anglos, exul contabuerit, comite invidiâ, quæ patriâ carere maluit, quàm fratrem videre felicem. XXIV.

Pleræque urbes ejus nomini devotæ in Ludovici partes transiêre. Ex his potissima dignatio Monachij jam tum assurgentis in spem hodierni splendoris. Ostenduntur privilegia, quæ hunc annum & Ludovici nomen affectúmque præferunt. Nam & vetera urbis jura omnia rata esse voluit, & nova addidit, tutorem se illius per omne latè Imperium professus, & beneficijs demeritus non obnitentes novo dominatui. Civibus per suos prætores jus æquabile sine litium sufflamine dici jussit. Urbani fori angustias, submotis quibusdam ædificijs laxavit, vetuitque novis à quocunque demum aream occupari. Judæorum libertatem severioribus legibus circumscripsit, reduxitque propè exleges ad Magistratuum reverentiam, inque rerum capitalium reos animadvertendi, eósque à fugâ retrahendi, copiam fecit urbico tribunali. Si quo se pacto Rudolpho fratri reconciliaret, Monacenses inter primos in reconciliationis partem se acciturum promisit. Vectigal urbanum annuum, ad sexcentas assium Monacensium libras revocavit, alijsque pluribus Cæsareæ beneficentiæ igniculis, non ingratæ civitatis adversùs se studia accendit.

Monacenses se Ludovico addicunt.

Helvetiorum fœdus comprobat.

Eodem tempore Helvetij, gens fortissima, & amans libertatis, cùm etiamnum pars Imperij censerentur, Cæsaribus obnoxij, cæterà immunes, Ludovici auspicia sequebantur, Austriacis, quorum jugum excusserant, infensi, sibíque, ne rursus imponeretur, metuentes. Fœdus inter eos armorúmque ac fortunarum consociationem, in fidei præmium, Ludovicus lege firmavit. XXV.

Suevi Friderico adhærent. Obsistunt Eslingani et Hailbrunnenses.

Crescentibus ad eum modum Ludovici partibus, Fridericus suas non neglexit, conciliatis Sueciæ populis. Inter eos constantiâ insignes fuêre Eslingani & Hailbrunnenses. A Friderico sollicitati fuêre minis, & intentatâ agri vinearúmque vastitate vexati, ostensâ etiam specie obsidionis: At illi negârunt, se discessuros à fide Ludovici. Fridericus igitur cœptis destitit, deductóque in hiberna milite, expeditionem distulit ad annum insequentem: is fuit millesimus trecentesimus decimus sextus, quo Fridericus Eslingæ castra admovit, suburbanis ædibus occupatis. Scribit Aventinus, Austrios Nicrum extra alveum derivare nitentes, ab obsessis telorum vi fuisse quidem submotos, sed obsidio ad Aquilonem in collem translato, urbem summâ vi oppugnâsse. Fecêre Eslingenses Ludovicum de communi periculo certiorem. Enimvero non magis agi de civium salute, quàm de ipsius famâ: Intentos esse in hanc obsidionem reliquarum urbium oculos, tantum accessurum omnibus animi, quantum tutelæ & fiduciæ à tali patrono. Id nomen fore sanctissimum, in quo plurimum spei situm esse primo hoc exemplo deprehenderint. Belli & Imperij initia secundâ existimatione juvari, adversâ despici. Æqua postulantibus benignè respondit Ludovicus, non passurum se, ut ipsis sua fides sit fraudi, quippe quæ viro bono debeat esse ornamento. Auxilia non promptiùs promisit, quàm misit. Nec mora, paucos intra dies in urbis conspectu signa explicuit: gratior ipsis signis vultus præsentis Principis omnem civibus metum mœstitiámque detersit. Nicer utraque XXVI.

An. Christ. M. CCC. XVI.

Avent. lib. 7. pag. 750.

Ludovicus Eslingæ succurrit.

castra dirimebat. Ardebant odio & pugnæ cupiditate animi: hinc missilia primùm transvolare, mox crescente ferociâ, audacissimus quisque sibi ex periculo famam quærere, & duellis nobilitare flumen, furor esse præ moderatis consilijs.

CONFLICTUS AD ESLINGAM.

Paucorum exemplum tota denique castra traxit in parem omnium licentiam, ut Nicer tametsi angustus, qui antè velitantibus erat iniquus, justo certamini fore satis, furentibus videretur. Ergo die jam præcipiti, sublato à rixantibus, spectantibúsque utraque ex ripâ clamore, integri ordines, non expectato classico, Ducúmve imperio, totum latè flumen incurrunt. Occlusæ erant satis vocibus aures, flagrantes in mutuam perniciem animi, nec inter amnis vortices certare pares, nec ad receptum expediti, hostibus à fronte, amicis à tergo urgentibus. Cecidêre equi mille quingenti, viri pauciores, rubuit confuso utrorumque sanguine fluvius, nec priùs desitum sævire, quàm lux sævientes destitueret. Certatum in atram noctem. Austrij Kirchbergensem regulum, & Wernerum Comitem Hombergium desiderârunt: prior occubuit, posterior vivus venit in Boiorum potestatem. Ex ijs laudatum facinus edidit Stephanus Gumpergius. Ipse, accepto ab Henrico Schweinkenristio vulnere, eundem equo suffosso fecit captivum. Non contentus vicisse fortitudine, voluit etiam humanitate vincere.

Avent. Wigul. Hund.

XXVII. Nam suo receptum equo, subductúmque Boiorum telis, perduxit in castra, & benignè habitum redire passus est ad suos, nullo exacto obside. Captivus fide Germanâ pro se sponsor factus, suo se victori ad dictam diem stitit, & candore generoso obivit promissum vadimonium. Ludovicus Dynasta Oetinganus omnium Cæsaris Ludovici consiliorum particeps, virtutis nomine primas tulit, sed præmium maluit capere ab hostibus, quàm ab eo, cujus auspicijs meruerat. Etenim paulò pòst pactus cum Austriacorum sorore nuptias, ad eorundem partes transgressus, Ludovicum posthabuit illustrissimæ affinitati. Porrò ardor militum post tumultuariam pugnam refrixit, laudabili moderatione, si cum armis civilia odia exuissent. Ludovico gratum fuit, Eslingenses periculo exemisse. Neutra factionum alioqui potuit de victoriâ gratulari. Fridericus reparaturus bellum, curas cum fratre Leopoldo fuit partitus. Sumpsit ille provinciam, omnem Austriam ad arma concitandi; hic Sueviam cogendi subsigna. Ex utroque apparatu tempestas imminebat Boicæ, tantò gravior, quantò seriùs maturuit: peracerbum fuerat bonis omnibus biennij, & eo longius Interpontificium, quo durante, quis vitio vertat Ludovico, Cæsari electo à quinque Principibus in loco, ubi debuit; quo tempore debuit; & Aquisgrani in solio Caroli Magni collocato; jus, quod per electionem & inaugurationem habebat, armis adversus æmulum Fridericum, adversus fratrem Rudolphum, tantisper sibi vindicâsse? Vis Raynalde *num. 24.* à Ludovico fieri debuisse, quod fieri non potuit: *Ea controversia*, inquis, *Pontificis sententiâ dirimenda foret, ut jam antè à Richardo Anglo & Alphonso Hispano certatum legibus apud sedem Apostolicam vidimus.* At, quis Pontifex controversiam dirimere potuit illo tam diuturno justitio, quo nullus fuit? *In eo peccâsse Ludovicum*, ais, *qui armis tantùm, non legibus certare voluerit.* At legibus eâ tempestate non licuit, qui armis ergo certabat, quid peccavit? Sub hoc tempus, vulgatâ Joannis XXII. inauguratione, nova lux oriri visa est orbi Christiano. Coronatus fuit Lugduni 9. Septemb. An. M.CCC.XVI. alijs dicitur Joannes XXI. Ludovicus inter primos communem parentem est veneratus, assertúmque Septemviralibus tabulis jus delatæ dignitatis Pontificiâ authoritate probari expetijt.

LUDOVICUS IOANNIS XXII. APPROBATIONEM PETIT.

XXIIX. Ad hoc impetrandum, destinavit legatos, qui Septemviralibus tabulis legitimæ Electionis indubiam fidem, tum alia omnia ordine & more majorum facerent, quæ res tempúsque postulabant. Non itaque res, ut Raynaldus memoriæ prodit, sic se habet, *Decretum electionis Ludovici Ioanni delatum non fuisse, & Bavarum eo Sedi Apostolicæ, veterum Cæsarum more, non oblato, regni administrationem corripuisse.* Adfuêre etiam à Friderico legati, idem jus suo domino asserentes. Neutri assensus est Pontifex, dictâ utrique die, ut, quidquid pro se juris vel facti adducerent, à summâ sede cognosceretur. Privatim arguebatur Ludovicus, quòd Gibellinos adversus Guelfos Pontificis partiarios armaret, quòd vicarios Impe-

Blondus Dec. 2. l. 9. Naucler. vol. 2. Gener. 44. Crantz. lib. 9. Sax. c. 8. Bzov. ad an. 1316. col. 278.

Imperij Provincijs, præfectos urbibus dedisset, fecisset alia, quæ nullus Regum Romanorum aliàs tentâsset ante Pontificiam inaugurationem. Ergo cùm lis agitanda longas spectaret ambages, nec verò tam citò, quàm Romani Imperij vota résque flagitabant, posset decidi, ferro fuit decidenda. Rariores proximo quadriennio intercessêre dimicationes, sive quòd utrinque esset cladium satietas, sive quòd ærarij tenuitas, spésque ex morâ temporis, quo cuncta maturescunt, aut mutantur, tantisper mitiora suaderent. Non defuêre tamen (qui genius est malè feriatorum) artes tristiora præferentium. Ludovicus pacis reducendæ studiosus, urbes Principésque amicos communi fœdere colligârat, professus, haud per se staturum, quò minùs sua terris tranquillitas redderetur: tanti enim sibi non esse purpuram, ut ab eâ rivalem gladio submoveret, nisi armis lacessitus: nunquam se ad eam diem ferro usum, nisi ad propellendas adversariorum injurias, vitandáque sociorum convitia: nunquam ad inferenda, sed defendenda bella (quod commune est jus ipsarum quoque animantium) descendisse: futurum se inposterum exemplo, ne alij crudâ ferrei sæculi licentiâ abusi, certissimum jus optimúmque existiment, quod mucrone asseratur. Mansuetum Ludovico ingenium tum mitis indoles, tum Romanæ litteræ, quibus fuit excultus, & virorum variâ eruditione præstantium familiaritas indiderant. LUDOVICUS PACIS STUDIOSUS. XXIX. *Avent. lib. 7. p. 749. Reusner in Geneal. p. 223.*

Exhilarati piâ Principis sollicitudine mortales, remissâ ferociâ, gustabant bona innoxiæ humanitatis, neque urbibus eam excepisse contenti, repurgandis etiam à latrunculorum infestatione itineribus animos adjecerant. Verùm in alia fuêre retracti bella, quæ in utrâque Rheni ripâ exarserunt. Facem subdidit Henricus Antistes Coloniensis Archiepiscopus, factionis antesignanus; armorum, quàm sacrorum (si vera Annales referunt) amantior, eóque suis etiam civibus invisus. Hi, adscitis fœderatorum auxilijs, suum Antistitem Brulæ obsessum ad pacis desiderium adegerunt. Contulêre in eam expeditionem auxilia Wilhelmus Hollandus cum fratre Joanne Hennegavio, Gerardus Juliacensis, Rudolphus Montanus, & Joannes Seynensis Dynastæ, & qui unus multorum instar fuit, Joannes Bohemorum Rex pacis & belli artibus inclytus, utrisque cum laude usus. Bello renovato, Colmariam in Alsatiâ obsederant Austrij, amicam Ludovico civitatem. Hic obsessæ auxilio venerat. Rex Joannes medius pacis interpres, negotiatione prorsus arduâ, utrisque arma excussit, dixitque concordiæ leges, magno commodo futuras, si earum usus fuisset diuturnus. Spectata eodem tempore Moguntini & Trevirensis Antistitum fides est, etsi conatibus successus defuit. Wisbadensem arcem hodie in suis ruderibus vix notam, & Scharfensteiniam Ludovico Duce oppugnare aggressi, obsessorum virtute & locorum firmitate repressi fuerunt. BELLUM RECRUDESCIT. *Christof. Lehman. Caroli IV. vita.* *Tritheim Annal.*

Salisburgi interim Weichardus Antistes vitâ functus, Fridericum Leibnizium successorem accepit. Hic à Berengario Tusculano Cardinale, cum Patriarchâ Gradensi, & Archiepiscopo Rosenensi, quinque præterea Episcopis, & quatuor Abbatibus, unâ inauguratione sacratus est. Omnium in se oculos convertit Rosenensis Antistes, quòd homo Græcus morem gentis suæ secutus, barbam promissam aleret, cùm id ejus ævi opinio, ut sacri ordinis dehonestamentum aversaretur. XXX.

Proximo à consecratione anno, qui decimus sæculi septimus fuit, Salisburgensis Pontifex cum Austrijs fratribus fœdus icit, odio Ducum inferioris Bavariæ, quòd novum vectigal pecuarium à sacris perinde atque profanis hominibus exigerent. Episcopi exactionis authores publicè execrati, provinciæ sacris interdixerunt. Notam istam, & mœstum templorum silentium non tulerunt Principes, sed conciliatis Pontificibus, prolixè caverunt sacri ordinis immunitati, tabulis non suâ tantùm, sed etiam Ludovici manu, quò majus inesset pondus, obsignantes. Episcopi vicissim magnis, ut ea ferebant tempora, præmijs invitati spoponderunt, Ludovico se militaturos, modò ne Henricus Carinthius, qui se adhuc Bohemiæ Regem ferebat, peteretur, veriti, non tam causæ Carinthij deploratæ, quàm minimè necessario cum vicino Principe bello sese implicare. Octo millia marcarum argenti (appendunt singulæ decem aureos AN. CHRIST. M. CCC. XVII. SALISBURGENSIS ARCHIEPISCOPUS TRANSIT IN PARTES FRIDERICI.

sive

L. un. junct. Gl. in V. qui nos. C. argenti pret.

reos sive solidos) stipendij loco promissa Episcopis: Arx Kuefstainia, Kitzpiehla, Werwerchium, Epsea pignori concessa, donec ea summa repræsentaretur, aut redigeretur ex vectigalibus.

XXXI. An. Christ. M. CCC. XX.

Anno vigesimo, exoluendæ fidei, in ope ferendâ, occasio fuit. Boiariæ bellum intulêre fratres Duces Austriaci, Fridericus ad Oenum cum justo exercitu; Leopoldus ad Lycum, cum octingentis galeatis. Bavaris, finitimísque ad periculum excitatis, tanta subitò vis auxiliorum ad Ludovicum confluxit, ut non dubitaret, se uno prælio de utroque hoste, si jungerentur, simul triumphaturum.

Nova Ducum Austriæ in Ludovicum expeditio. Insidiæ in Ludovicum.

Ergo movit in Fridericum, pugnæ copiam, ubicunque eum nactus esset, facturus. Ad Müldorfium castra castris opposita, & dies dictus prælio. Quominùs veniretur ad manus, prohibuerunt paratæ Ludovico, & lateri propè hærentes insidiæ, in quas nihil unquam satis tutum. Perditi nebulones, venales ad omne flagitium, Principem nihil tale metuentem, neci destinabant, & quò foret scelus non tectius modò, sed etiam atrocius, sacrilegium parricidio junxerant. Statuerant aræ affusum, & vota pro exercitu nuncupantem adoriri. Nox, quæ ultima Principi fuisset futura, si conjuratis res ijsset ex sententiâ, consilium latè vulgatum per tentoria distulit, nihil admonito Ludovico, quem maximè intererat præmoneri: tanta fuit consciorum vecordia, & neglectus de proditoribus certiora inquirendi. Quasi jam patrata cædes esset (hoc timor panicus & incertus rumor persuaserat) aut eadem sica omnium jugulis immineret, totis castris

XXXII. Ludovicus a suis deseritur.

mox fuit trepidatum. Nihil ideo firmatæ apud Principem excubiæ; sed (quod posteritas erubescet) eo rerum articulo, quo, si unquam aliàs, officijs erat certandum pro Principe, pro suis quique duntaxat capitibus solliciti, Ducis immemores, à signis dilabebantur. Ignoscendum non esset gregarij militis ignaviæ, nisi æquè turpis, veriùs longè turpior Henrici inferioris Bavariæ Ducis discessio, crimen suo exemplo minuisset. Sed neque huic magnopere irascendum, quòd in primo militiæ tirocinio creditum discrimen metuentem absolveret, immemorem icti cum Ludovico fœderis, & susceptæ contra Fridericum ante septennium pro ipsius tutelâ periculosissimæ dimicationis. Ludovicus ex factâ circa se solitudine periculum agnovit, & fugitivorum vestigia ultimus est ingressus, tristis inópsque consilij. Doluit, patriam hostibus vastandam relinqui, quæ fuit pœna Principis tam fœdè à suis deserti. Per bimestre totâ Boicâ Cisdanubianâ Austrij fuêre impune grassati, jámque Transdanubianam erant ingressuri, nisi Ratisbona, negato pontis sui trajectu, vetuisset, Gumperto civium nobilissimo senatum populúmque in officio & fide Ludovici retinente. Probi cives eam constantiam agri vastitate luerunt, & direptione tabernarum, quas Ratisbonenses mercatores Viennæ multis mercibus habebant instructas.

De ponenda dignitate deliberat. *Chron. Fürstenfeld.* XXXIII.

Ludovicus interea Monachij ægrum curis animum in omnem partem versabat, satur jam Imperij, cujus hactenus tam acerbos fructus cepisset in ferreo, quod jam prætetierat, sexennio. Super hæc secum ipse reputabat, imminere sibi à sede Pontificiâ tempestatem, in dirarum fulmen desituram: longè se feliciorem fuisse, cùm minùs videretur felix, & suâ tectus mediocritate oculos invidiæ fugeret. Quid ergo dubitaret in libertatem se vindicare, rejectis in fortunæ sinum donis fallacibus, quibus sibi illa imposuisset, depositisque titulis, quibus tuendis tantum jam sanguinis & periculorum, nondum tamen tutus, impendisset? Æquiore se animo tumultuoso Imperio, quàm securitate, cariturum. Gloriosiùs se de fastigio descensurum, quàm si inter præcipitia cadenti similis semper pendeat, tandem etiam casurus. Hæc volvebat tacitus, nemine domesticorum conscio, nihilo plus suorum consilijs, quàm nuperis auxilijs fidendum existimans. Consuluit nihilominus integræ fidei amicos, à quibus responsa accepit in hanc sententiam: non committendum Ludovico, ut ipsius virtutes à fortunâ, nedum ab invidiâ in triumphum duceretur. Quò ferociùs sævit mare, eò inhumaniùs facere nauclerum, si clavum deserat. Gubernatoris officium inquiri magis in procellis, quàm si omnia sint quieta: cedere fluctibus, non esse modestiæ, sed ignaviæ imperitiæque confessionem: privatis convenire otia, cu-

ras,

ras, vigilias, arma, bella, pericula, propria esse Majestatis. Fortissimis coronas, non delicatis imponi, nihilque in Principe esse turpius fastidio laborum. Ferret proinde impositam à Deo & Repub. personam, donec aliter utrique videretur. Laturum esse tantò suaviores patientiæ fructus, quantò seriùs laboriosiúsque provenerint. Cessit cordatis monitoribus Ludovicus, & propè depositam Reipubl. curam resumpsit animosior. VIRES REPARAT. *Annal. Fürstenf. Argent. Lehman M. CCC. XXI.*

Boicam egresso quatuor equitum millia, voluntarij omnes præstò fuêre; quantum sub signis habuisse nunquam meminerat. Ea tunc erat ævi in deligendo milite providentia, quæ non nisi lectissimum quemque auctorabat, quòd potissima fortitudinis, non numeri, ratio haberetur. Ista auxilia Bohemus, Trevirensis, & Moguntinus adduxerant. Commodùm Leopoldus Austrius, solutâ Spiræ obsidione, quam summâ hieme cœptam in octavum mensem octoginta novem urbium auxilijs adjutus, nequicquam continuaverat, dimissis, unde venerant, copijs, ad otium se in Alsatiâ composuerat, cùm de Ludovici adventu factus fuit certior. Erant in propinquo Udalrici Ferretani Dynastæ, & Joannis Argentinensis Episcopi copiæ, Bruscæ ripis circumfusæ. Illis se junxit Leopoldus, ne prorsus imparatus opprimeretur. Pedestre erat & deforme agmen, arma rudia, inculti homines, eóque contempti à Boicis, quasi indigni, ex quibus eques spolia legeret, vel peteret victoriam. Ineptum fuit fastidium. Ultro ergo datum est Leopoldo spatium sui confirmandi. Argentinenses interim Ludovicum hospitio invitârunt, magis temporis gratiâ, quàm quòd eum auctum adjutúmque vellent: jam enim fide mutatâ bonam partem erant Friderico addicti. Geminæ factiones urbem distrahebant; Zorniorum altera, in quâ Optimates, & è civibus opulentiores; altera Millenhemiorum, qui beneficijs plebem sibi devinxerant. Hæc in Ludovicum pronior effecit, ut urbe reciperetur. Deductus in Basilicam principem, & regio omni honore habitus, sua ingratæ civitati jura confirmavit. Istam exosi Principis venerationem ad scenam potiùs & venationem, quàm ad officium exornârant. Erant in primam noctem compositæ insidiæ. Cæsaris hospes à conjuratis de prodendo convivâ fuit sollicitatus. Expavit ille ad immanitatem execrandi flagitij, negavítque aliter, quàm per suum latus, parricidiale ferrum ad Principem perventurum: quosvis cruciatus sibi fore tolerabiliores, quàm ut tali sanguine hospitalis mensa imbueretur. Delato igitur propere ad Ludovicum præsentis periculi indicio, id est consecutus caupo, ut Ludovicus ipsi non cœnam, sed animam deberet. Emigravit tempestivè Ludovicus. At vix erat urbe egressus, cùm cognoscit, Fridericum Austrium casu optabili in castra Cæsarea fuisse delatum; sed errore deprehenso, fugâ celeri ablatum se cum fratre conjunxisse. Leopoldus eum amplexus, gaudio fudit lachrymas, victoriæ omen captans ex insperato fratris adventu. Ut sui contemptum apud hostem augerent, jusserunt mox equos totis castris submoveri, ademêre calcaria equiti, capitis pœnâ in legis violatores propositâ. Boici, qui absente Friderico à conflictu, ut ad summam rei parùm pertinente, abhorruerant, eodem præsente mutâsse mentem videbantur. Misit igitur Ludovicus fecialem ad æmulum, qui copiam pugnæ vel posceret, vel acciperet. Is nuntius opinione gratior fuit Friderico. Respondit, quando eò ventum sit, ut causæ suæ judicem præter Martem pati neuter possit, per se non staturum, quò minùs gladius jus dicat, & Augustum nomen addicat fortiori. Ut retulit præco voces tam cordatas, Boicis excussit ferociam. Gloriosi antè equites, prælij fugitantes ultra Bruscam castra putârunt esse transferenda. Simulatus metus videri potuit: sed seriam ignaviam fuisse, post biduum denique apparuit, cùm Austrijs à tergo instantibus, nemo vultum obverteret, jámque impune exsibilarentur galeati lepores. Sic annus iste cum solâ virium ostentatione abijt. Secutus est vigesimus secundus Ludovico faustior. Fuisset sine luctu, nisi Beatrix Polona, Ludovici conjunx, moriens mœrorem marito induxisset, & liberis orbitatem. Reusnerus in Geneal. Wurffbain in Relatione Histor. eam dicunt Silesiam, Ducis Gloggoviensis filiam. Albicius in

AN. CHRIST. M. CCC. XXI.

MOVET IN ALSATIAM.

XXXIV.

ARGENTINÆ PERICLITATUR.

XXXV.

ITERUM A SUIS DESTITUITUR.

XXXVI.

AN. CHRIST. M. CCC. XXII.

ſtemm. nuncupat Boleslai Maſſoviæ Ducis filiam, quem Gewold. in Geneal. ſequitur, & bene.

Fuit illa mater Ludovici, Stephani, Mechtildis, Agnetis. Monachij ad D. Virginis, tumulum accepit. Menſe Auguſto Margarita Bohema Henrico inferioris Bavariæ Duci jungenda, Landishutum ab Eliſabethâ matre fuit adducta. Ioannes Bohemiæ Rex ſponſæ pater, paulò pòſt cum exercitu ſecutus eſt, excitus famâ magni apparatûs, quem ab Auſtrijs fratribus fieri paſſim percrebuerat. Hi
Chronic. Aulæ Regiæ. præter ſubjectos populos vicinas etiam remotáſque gentes ad belli ſocietatem vocabant, ne Scythis quidem omiſſis. Aulæ regiæ, quod in Bohemiâ Cœnobium eſt, Annales, eâdem hac tempeſtate conditi, mille quadringentos cataphractos; Ungarorum verò, accenſis etiam Barbaris, ad quinque millia, cum inſigni peditatu connumerant. Argentinas duo equitum millia, ducentos Ungarorum, ſociorúmque quatuor millia non amplius recenſet. Friderico Boicam ingreſſo, Fridericus Archiepiſcopus Salisburgenſis, immemor primæ Eccleſiæ ſuæ inſtitutio-
Avent. lib.7. p.754. nis à Boiorum ortæ Principibus, Albertus è Saxonico ſanguine Paſſavienſis, & Theodoricus Laventinus Antiſtites Auſtrijs ſe junxêre. Huic expeditioni triſtia omnia denuntiabant Engelbertus Admontenſis Abbas, & Bartholomæus qui-
XXXVII. dam, futura ex aſtrorum curſu (qualiſcunque demum ea ſcientia eſt) prædicere ſolitus. Abundabat id ſæculum ejuſmodi conjectoribus, quales nec defuerunt Ludovico, qui fauſta illi omnia vaticinabantur. In his Martinus Eremita, qui ſemeſtri ante pugnam prædixit, Fridericum Auſtrium, priùs quàm lux D. Michaë-
VICTORIÆ AMPFINGENSIS PRÆDICTIONES. li ſacra adeſſet, fòre in vinculis. Cùm is à cive Monacenſi vanitatis argueretur, auſus eſt prædium quoddam ſuum, factâ coram Prætore ſponſione, pignus opponere centum argenti marcis à cive depoſitis. Cùm dies S. Michaëlis ſponſioni decretoria adeſſet, quâ ex oraculi eventu litem decidi oportebat, & Monachus à cive, ut pignore cederet, urgeretur; dilato, dum reſciri poſſet utriuſque fortuna, tantiſper Prætoris decreto, fertur interveniſſe altercantibus nuntius, ex quo de Friderici captivitate cognitum, eóque Martinus homine maior habitus, pignore potitus eſt. Æquale Martino nomen (ſi Chronico Ratisbonenſi M. S. fides eſt) tulit Arnoldus ex Dominicanorum Ratisbonenſium familiâ. Hic rebus Ludovici multò quàm nunc magis creperis, palàm affirmavit, omnia, quæ ex cœli obſervatione reſponſa dediſſet, habenda pro ſomnijs & anilibus fabulis, ſi in præſagiendâ Ludovici victoriâ feſelliſſet. Et ſanè Ludovicus, motâ velut divinitus mente, nullum unquam bellum, quàm hoc ipſum fidentiùs ſuſcepit, tametſi memor eſſet fortunæ ad eam diem ancipitis, támque inopis, exhauſto eò uſque
Chron. Fürſtenfeld. ærario, ut ad caſtra abiens libras undecim Hallenſes vix numeraret. Nulla ipſi tunc præter Joannis Regis Bohemi, & Henrici Bavariæ Ducis auxilia aderant. Au-
XXXVIII. daciam increpabat Bohemus; præter ſolitum rebus communibus metuens. Eum Ludovicus bono juſſit eſſe animo, & diei craſtinæ confidere, quâ nulla futura ſit de ſociorum raritate querela. Nec vanum fuit omen: tanta enim ſequenti luce armatorum vis confluxit, ut ſub noctem accenſis per tentoria facibus ardere omnis latè regio videretur, caſtrorum ambitu longiùs, quàm ſatis poſſent oculi dimetiri, diffuſo. Copiarum numerum ſcriptorum diſcrepantia fecit incertum. Aulæ regiæ commentarius mille octingentos equites, quater mille pedites ſcri-
Argent. pag. mihi 689. bit: Argentinas non niſi mille galeatos numerat, ſed adſcribit peditum triginta millia: Aventinus detrahit iſti peditatui duodecim millia. Arenpeckius longè auget iſtam multitudinem cæteris ſcriptoribus liberalior. Illud extra controverſiam eſt, Bohemum Regem, ejúſque patruum Balduinum Trevirenſem Antiſtitem ad id bellum longè plurimùm contuliſſe. Proximæ poſt has, Henrici Boij & Bernardi Sileſij Ducum ſuppetiæ fuerunt: tum deinde Friderici Burggravij Norimbergenſis, Wilhelmi Montfortij, Hohenlohij, duorum Oetingenſium, totidémque Schlüſſelbergiæ & Hennenbergiæ gentis regulorum ſubſidia, apud poſteros laudem meruêre. Caſtrorum locus in Ampfingenſibus campis latè ſupra Mülдorfium

dorsum porrectis, medius inter Oenum & Isenisicum ostenditur, qui victoriæ memoriam hodiéque, sacello in modum papilionis erecto, erutisque identidem agrestium vomere hominum armorúmque reliquijs, conservat. Ordinandæ Ludovici aciei Seifridus Schweppermannus legatus præfuit, quem Norimberga suum esse civem contendit, felicissimis ætatis suæ ducibus comparandum, quippe qui annuis propè victorijs senex suos annos computabat. Habitus illi corporis haudquaquam par animo & partæ existimationi. Diu ambitiosissimè expetitus advenit inter ultimos. Exploratis dein hostium copijs, cùm de prælij ratione sublimis equo ad militare concilium referret, quod magnis ducibus non est insuetum, humanum quid passus, tremulo corpore, venis micantibus, pallente vultu, calcaribus tinnientibus, dissimulare metum non potuit: nimirum vir cautissimus, & nullius hostis contemptor, in omnia Martis pericula intendebat animum, tantò animosior futurus in acie, quantò studiosiùs timenda omnia prospexisset. Gravissimum haud dubiè discrimen erat futurum, si Austriacorum fratrum vires jungerentur. Jam Leopoldus devastato Wilhelmi Montfortij agro (unde auxilio venienti mora) Lyco propinquus Friderici mandata opperiebatur. Percommodè Ludovico accidit, ut, qui ultro citróque commeabant nuntij, in Fürstenfeldensis Cœnobij viciniâ intercepti, demptis equis, malè mulctati, legatione suâ in tempore fungi non possent. Extrahebatur etiam apud Ludovicum tempus consilijs, donec V. Cal. Octob. Joannes Bohemiæ Rex, velut divinitus injecto calore, pugnam poposcit, ostendens tam victoriæ spem, quàm animos militum tarditate corrumpi. Cavendum enimvero Ducibus, ne de virtute suorum, suâve felicitate videantur desperâsse. Sanè res non fore meliores, si copiæ fratrum jungantur. Non esse committendum, ut, quemadmodum quater jam factum, duo Cæsares quasi salutandi causâ congressi esse videantur, velut essent collusores potiùs, quàm Cæsarei nominis æmuli. Germaniam in partes, octavum jam annum, distractam jure suo postulare, ut tandem nôrit, cui sine invidiâ parere debeat. Vicit is Bohemi ardor, ut in crastinum pugna totis castris indiceretur. Exarsère simul copiæ ad certamen. Miles jussus curare corpora, animósque ad vincendum postridie adferre.

Ludovicus Fridericum prælio victū captivum facit.

XXXIX.

Arenpek.

Annal. Fürstenfeld.

XL.

Quasi ex condicto res utrobique gereretur, eâdem fiduciâ Fridericus suos præparabat. Salisburgensis Antistes nonaginta tribus viris fortibus equestrem honorem & insignia contulit, ut eo ducti auctoramento, factis illustribus proximo certamine nomina nobilitarent. Subinde fortunatus Boico nomini sol illuxit. Votis sacrificiisque utrinque Deus sollicitatus.

Avent.

Rari exempli prodigium admiscent Annales, penes quos sit fides. Ferunt annulum, inter gemmas gentilitias, Austriæ Principes à majoribus acceptum religiosè asservâsse, & velut domesticum divinæ mentis nuntium, in rebus dubijs solitos consulere: Annuli materiam aurum fuisse, & ex eo quidem honorario, quod sancti Reges cunis filii Dei affuderunt. Is ferebatur splendescere solitus, & ejaculari radios, quoties fausta portendebat Austriacæ domui, & contrà pallescere, si quid triste immineret. Hic ergo annulus, cùm eo rerum articulo super eventu pugnæ esset inspiciendus, quasi denuntiandæ cladi pallore non sufficeret, aut Deus eam vellet cælari, incertum quâ manu, ab arâ, in quâ divina fiebant, sublatus non comparuit, tametsi diu pòst, rebus in melius mutatis, in Austriâ fuit repertus.

Joan. Seifrid. in arb. Anicia.

In Ludovici castris, spectabilis in primis Bohemi Regis pietas fuit, sacram divini epuli escam libantis, ut Deo plenus, audentior iret in hostem. Ejus dignitati concessum, ut primus cieret prælium, & aciei frontem cum Henrico Boio genero tueretur. Lævum cornu Alberto Rindmaulio, dextrum Conrado Baibrunno demandatum. Ludovicus cum prætorianis in medio agmine curavit. Paludamentum Regium sagum fuit albis crucibus decussatum. Burgravius cum triarijs trans Isenisicum rei bene gerendæ occasionem opperiri, nec, antequam edito signo moneretur, loco se movere jussus fuit.

XLI.

Ubi cœpêre concurrere acies, Scythæ, Cumani, quique præterea è barbaris arcu fortissimè pugnabant pro Friderico, tantâ in adversarios telorũ effudêre procellam, ut sustineri non possent. Retulêre pedem confusi Ludovici ordines, & Bohemis malè pugnantibus, confosso sub Rege equo, quingenti deditionem fecêre. Scisso jam Boiorum vexillo, victoria ad Fridericum inclinabat, qui simul optimi Ducis & fortissimi militis officio fungebatur. Boij equites & Dux Henricus aciem inclinatã restituêre: etenim revocato ex fugâ pedite, tantâ in hostes vi sunt invecti, ut pavorem mortémq; præ se agere in attonitos Austrios viderentur. Subinde etiam Schweppermannus aciem ita convertit, ut pulverem solémque velut novos hostes in adversa ipsorum ora immitteret. Accessit à Burgravio nova moles. Is ex composito, quo deciperet hostem, Austriaca signa præferebat. Ex insidijs, uti convenerat, coortus in Austrios falsâ vexillorum specie deceptos, à tergo se circumfudit. Credebant illi adesse in tempore expectata à Leopoldo auxilia. Verùm cædes à Burgravio edita errorem detexit. Parte aliâ, quingenti, qui paulò antè victi manus dederant, armis animísque resumptis, ausi irruere in Austrios, stragem edere, medium agmen sternere, priorem ignominiam egregiè

XLII. delere. Cùm ad eum modum Austrij à fronte, à tergo, in medio premerentur, fracti tandem, spem victoriæ fugâ mutârunt. Prior Henricus Friderici frater timidiorũ fugâ & fortiorum cæde labefactatus, rapto de Theodorici Pillichendorfij manibus vexillo prætorio, cum eodem signifero victoribus se permisit. Fridericus in fatigandâ fortunâ pertinacior, totâ circumlatus acie, pugnam alibi omissam integrare, alibi languentem dictis factísque accendere, suorum fugam sistere, alicubi etiam Boios fugare, ubi periculi plurimum erat accurrere, & virtuti, quando victoriæ non licebat, militare; donec succumbente laboribus vulneribúsque equo, effusus in pedes, Alberto Rindmaulio deditionem urgenti, manus dedit. Rindmaulius Burgravium, sive clientelæ, sive alio jure patronum agnoscebat, eáque causa fuit, cur illi primùm Fridericus sisteretur. A Burgravio ad Ludovici pedes unà cum Henrico fratre adductus, præter opinionem comiter acceptus est. Voces primæ Ludovici fuerunt: *Domine amitine, vos libenter videmus.* Utrique nec roganti, neque adeò speranti, vitæ gratiam liberali promisso Ludovicus fecit. Henricus Joanni Bohemo datus in fidem; ad arcis Burgiliæ custodiam fuit abductus: Fridericus in Transdanubianam Boicam deportatus, Wigandi (Wichmandum alij nuncupant) inde Trausnitij, quæ in Nariscis arx est,

Avent. lib. 7. p. 759. prope Naburgum custoditus. Loci nomen Fridericus in fortunæ suæ omen accepit. Cùm hoc enim gentis vocabulo significetur, non esse fidendum, ipse serò agnovit nimiam sui de prospero pugnæ eventu credulitatem & fidentiam.

XLIII. Eandem cum suis Ducibus Austriaca nobilitas sortem subiit. Mille quadrinti, boni omnes sanguinis, capti, quos inter decem ex Waldsciâ gente fuerunt. Cùm totum propè diem pugna tenuisset, tamen ultra millenos centenos feruntur utrinque non cecidisse: quidam numerum longè majorem prodiderunt. Ludovico cœnaturo, cùm præter ova paucula nullum esset obsonium, quô recrearet convivas, singulis singula; Schweppermaño verò bina dari jussit, liberalitate ad augendam famam, quàm ad minuendam famem opportuniore. Diu nihil celebratius fuit illo extemporali Ludovici ad numerum Germanicum carmine: *Singulis ova singula; probo Schweppermanno bina.* Eodem die ex campis Ampfingensibus discessum est, incertum, an ut Leopoldo occurreretur, quem constabat, Lyco transito, magnis itineribus, fratri auxilio venire.

Fürstenfeldensibus Patribus ejus adventus propè exitialis fuit, nuntijs, quorum ipsi iter erant remorati, omnem in eos suæ tarditatis culpam reijcientibus. Jussit Leopoldus in eorum tecta jactari faces. Actum erat de insigni religionis domicilio, nisi magister equitum, cui id sacrilegij erat mandatum, tam crudelis imperij fœditatem detestatus, negâsset, se vires manúsque pugnando in Deum, in sacras aras, & tecta Deo devota probaturum. Volkmarus Abbas, cujus est hæc narratio, Puechensem villam à militum furore non sine capitis periculo servavit,

vavit, crudelia passus per noctem, & denudato per ludibrium corpore, fustuario delumbatus. Sævitiæ finem imposuit fama de Friderici clade, quæ certis auctoribus accepta, Leopoldi consilia turbavit. Ubi accepit cæsas copias, captos fratres, in custodiâ esse Austriacam nobilitatem, accusare suam tarditatem, tempus in evertendis Montfortij fortunis malè positum, expostulare adversus nimiam fratris festinationem, quæ vel vincendi facultatem, vel fortunæ societatem auxilio venienti eripuisset: miratus tamen Ludovici moderationem, quòd servato in vivis Friderico tam humanè victoriâ uteretur. Quamobrem ne ejus clementiam irritando, fratribus durioris captivitatis author esset, quamprimùm Boicâ decessit. XLIV. *Argentin.*

Ludovicum eo metu liberum incessit cupido, tertio post pugnam die, victricia signa in conspectu Landishutanæ urbis explicandi. Jam locum, cui Viridi valli nomen est, attigerat, cùm equus, cui insidebat, occultâ unde unde vi consternatus, sub ejus pedibus corruit, nec potuit notæ vocis sono, aut ullâ vi excitari. Idem stupor sessorem equo affixit, ut manifestius esset prodigium, homine jumentóque eadem patientibus. Cùm alij aliorsum omen interpretarentur, Parcivaldus Spornekerus stabuli præfectus piè rem accipiens, dixit, eo casu signari aream, quæ consecranda sit Divæ Virgini, cuius clypeus haud dubiè Ludovicum texerit in pugnâ, & pugnanti dederit in manus victoriam. Ea vox ilicò magno assensu accepta: promissa Deo in honorem Virginis Auxiliatricis ædes, eidémque equus cum phaleris, & regius cultus omnis, quem Ludovicus triumphali pompæ convenientem sumpserat, contributus. Voto conceptis verbis facto, continuò Ludovico animus, equo vigor redditus. Ædes hodiéque superest, nomine Sattleria, ab ephippio dicta, quòd apprimè sumptuosum, in cætera sacelli dote, magni fuit æstimatum. LUDOVICI CASUS PRODIGIOSUS. *Arenpek.*

Habita deinde virorum fortium ratio, quorum virtus conspectior eo prælio inclaruerat. Comes Hennebergius Principis honore titulóque donatus: Gotfridus Comes Seynius jure condendæ arcis in fundo Imperij, Fridericus Badensis facultate exigendi novi vectigalis & portorij. Bohemus sumptuum causâ, quos maximos fecerat, Egram, Aldenburgum, Wilzovium, & Cizam urbes Imperij in pignus accepit, donec dena marcarum millia refunderentur. Alia cessêre in redemptionem Regis generi, Henrici Austrij. Huic per bimestre detento, nullámque libertatis conditionem detrectanti, Joannes Rex copiam fecit patriæ revisendæ, pactis lytri præstandi legibus: sed cùm fratribus adversantibus, promissis stare non posset, anno proximo, Februario exeunte, carceri se reddidit, ex quo, Ungariæ Regis operâ, Augusto mense, se expedivit, addictis novem argenti marcarum millibus, restitutis quibusdam Moraviæ munitionibus, ejuratis prætera juribus, quæ Austrij sibi in Bohemos vindicabant, rescissísque veteribus tabulis. Tantam rem se inconsulto factam, Ludovicus molestè tulit. Hinc prima simultatum origo, quæ in noxias denique inimicitias excrevêre. Civitates Alsatiæ, Colmaria, Selestadium, Ensisheimium, Bosheimium, Hagenoa, quæ se Friderico adjunxerant, ejus calamitate territæ, Henbenlonego Liechtenbergico Ludovici vices agenti fiduciarium sacramentum dixêre. Joannes Argentinensis Episcopus medias partes est professus. XLV. AN. CHRIST. M. CCC. XXIII. *Argent.* XLVI.

Remissa sub id tempus Bohemo Regi à Friderico Landgravio Thuringiæ, Misnensi Marchione, Gutha filia etiamnum intacta, & Mechtildis Ludovici Cæsaris filia in thorum deducta: dos sponsæ, dena marcarum argenti millia: à marito, si quidem vidua superviveret, duplum ipsi addictum. Cùm Brandenburgicæ gentis Principes absque hærede essent extincti, Brandenburgensem Principatum, eique connexum Septemviratum Imperio apertum, Cæsar transtulit in Ludovicum è filijs natu majorem, qui deinde conjugium pactus est cum Margarita Christophori Daniæ Regis filiâ. Julio proximè sequente, Ludovicus pater Margaritam Wilhelmi Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, & Frisonum Reguli filiam sibi despondit. *Chron. Aul. Reg. Tabul. public.* XLVII. TABULÆ NUPTIALES.

Respirantem nonnihil à diuturnâ jactatione Ludovicum, gravis è summâ Ecclesiæ Romanæ sede tempestas excepit. Jam clausurus erat nonum annum delatæ per Imperij Septemviros dignitatis, cùm Joannes XXII. Pontifex, præter spem, illi diem dixit ad 8. Id. Octob. quòd regnum neque rite, neque more majorum adiisset priùs, quàm Pontifex inspectâ probatâque ejus causâ, fuisset electioni assensus: quòd regio nomine præter æquum bonúmque sumpto, jure dicundo, adigendis in sua verba sacramenti religione populis, Imperij clientelis recognoscendis, novis instituendis, palàm se pro Imperatore gessisset, & filium auxisset Septemvirali dignitate: quòd Vice-Comitibus Mediolanensibus, aliisque impietatis & violatæ religionis compertis, damnatis, & arma adversus Rom. Ecclesiam ferentibus, animos & vires addidisset. Ea crimina nisi intra trimestre dilueret, personam Cæsaris, donec Pontifici videretur, poneret, acta per interregnum, quoad ejus fieri posset, rescinderet, fore, ut ad enunciationem pœnarum, in quas incidisset, excommunicationis præsertim, procederetur. Vetitum præterea gravissimarum pœnarum interminatione, ne Ludovico, in rebus ad Imperij regimen spectantibus, morem ullus gereret, donec ejus electio foret sedi Apostolicæ probata.

Bzov. Chron. Aul. Reg.

MONITORIŪ JOAN. XXII. AD LUDOVICUM.

XLIIX. Tabulæ Pontificiæ Avenione publicatæ, & sparsæ per orbem Christianum, piorum animos luctu metúque suspenderunt. Ludovicus eâ monitione perculsus, Albertum Strasburgium, magnum Præceptorem Hospitalis S. Joannis per Alemanniam, Ewesturpium Sebechium Archidiaconum Herbipolensem, & Henricum Thorunium Canonicum Pragensem, prid. Id. Novembris Norimbergâ cum mandatis Avenionem ire jussit, ut si verè ea in suum caput mala cudi comperissent, quoad liceret, discuterent, aut si minimè id possent, impetrarent saltem aliquam tempori valde angusto comperendinationem. Legati anni sequentis initio negotium aggressi, in Purpuratorum senatu à Pontifice responsum accepêre plenum querimoniarum, quibus data nuper ad Ludovicum monita gravi oratione explicabantur: addita bimestris dilatio, quâ ad sui defensionem Ludovicus uteretur: repetita censurarum interminatio. Verba dicentis in tabulas relata Frisingensi Episcopo Pontifex transmisit, ut ea vulgaret in publicum. Credibile est, eum fuisse Conradum Klingenbergium, qui Joanni decretorum Doctori, è Brixinensi, pòst Bambergensi Ecclesiâ, Frisingam à Pontifice translato, successit. Erat ille Ludovico infensus, & à Canonicis rejectus, quoad se Cæsaris inimicum profiteretur. Certum nomen non possum edere, quia nullum editum est in rescripto Pontificio. Oportet tamen fuisse vel Joannem, vel Conradum, qui hoc anno Frisingensem mitram continenti serie tenuerunt.

Litt. Ludovici ad summ. Pontif. 2. Id. Nov. apud Hervvart.

AN. CHRIST. M.CCC. XXIV.

Metrop. Salisb. tom. p. 269.

XLIX. Istæ tabulæ passim circumlatæ, Ludovico omnem dubitandi de mente Pontificis, & cunctandi causam abstulêre. Eæ antequam perferrentur, Ludovicus veritus id quod erat, non cessaturum Joannem XXII. quem tum ex monitis, tum ex rebus alijs advertebat ad severiora gradum facturum, Norimbergæ anno superiore XV. Cal. Janu. in ædibus Alberti Ebneri, conferto senatu, missis jam in Galliam legatis, coram Nicolao Episcopo Ratisbonensi, multisque Ecclesiarum Antistitibus, in formâ protestationis & appellationis ad ipsum summum Pontificem informandum, scriptum publicâ auctoritate curavit sanctæ sedi in tempore exhibendum. In eo contestatus est inprimis, sibi nihil esse Ecclesiâ Romanâ, fidei Catholicæ magistrâ, & suâ matre atque alumnâ antiquius: in ejus auctoritate tuendâ, firmandisque juribus, se nulli mortalium concessurum, sed eosdem cum ipsâ hostes amicósque habiturum, atque in exscindendis hostibus nullum Christiani Principis officium unquam omissurum. Non posse se argui, quòd sciens ac volens adversus Christianam Rempub. senserit, aut fecerit: si quid istiusmodi imprudenti excidisset, id factum nolle, & humaniter velle emendare ex præscripto Ecclesiæ, in cujus auctoritate sit semper futurus: sibi certum esse ac fixum, ejus correctionem admittere, ipsius consilio ac nutibus gubernari, eidem exhibere debitam reverentiam & honorem. Ludovici verba ferè adnumero, relictâ

PROTESTATIO LUDOVICI ADVERSUS ACTA PONTIFICIA. *Refertur ab Hervv. an. 1324. p. 249.*

lectori

lectori de ijs sentiendi libertate. Item contestatur, se summo Pontifici, ad Romanorum Imperatorum, & Regum exemplum, præstiturum *obedientiam, devotionem, & reverentiam* habiturum: non commissurum verò, ut *status Romani Imperij, jura, res, & honores* minuantur. Cæterùm ad ea, quæ in Diplomate Pontificio objiciebantur, ex ordine respondit. Hactenus ab omni ævo, & ultra omnem majorum memoriam, *circa Electos Romanorum Reges, & Principes, sic esse de jure & consuetudine observatum*, & ita sensisse & dixisse, atq; etiamnum sentire, & dicere Principes Imperij meliores & potiores, & in Germaniâ præsertim sic esse manifestum ac indubitatū *apud omnes, Romanorum Regem eò solùm, quòd electus est à Principibus Electoribus, ad quos pertinet ejus electio, omnibus, vel majori numero eorundē, & coronatus coronâ regiâ in solitis locis & consuetis, Regem esse, & pro Rege haberi, ac nominari, eidémq; ab omnibus morem geri. Eundem jura Regis liberè administrare, fidem & obedientiam recipere, feuda conferre, & de bonis, honoribus, & dignitatibus, & officiis Regni, juxta beneplacitum ordinare & disponere. Caterùm constare, se à longè majori numero Electorum, ad quos jus eligendi Regem pertinet, ritè esse electum, & diademate regio coronatum in locis debitis & consuetis, & hoc ipso nomen & titulum regium, júsque administrandi jura regni, & de ipsius rebus, honoribus, & dignitatibus, & officijs disponendi legitimè esse assecutum, eáque omnia in pacifica possessione per decem circiter annos gessisse absque reprobatione personæ suæ, & citra contradictionem, si cujus fortè poterat interesse. Nimis* proinde *esse juri contrarium, quòd tunc primùm Dominus Apostolicus, lege imperspectâ, parte inauditâ, negotio indiscusso, & juris ordine prætermisso, contrà queritur, invehitur, & procedit, intendens*, quasi Ludovicus, *ab injecto nomine & titulo, & depositâ administratione*, se ipsum velut *capite minuat, licèt sæpe missis* ad Pontificem *nuntijs, & rescriptis litteris, per eos, vel in illis, nunquam fuerit reprehensus.* Cùm igitur pateat, quòd Ludovicus Regnum gubernet, jámque multis annis gubernârit, non rectè dici, Imperium id temporis vacare, ejúsque regimen ad Pontificem pertinere. L. LI.

Nec verò se ita *simpliciter concedere, ut proponitur, ad sedem Apostolicam, examinationem, admissionem, & approbationem electionis, & personæ electæ repulsionem & reprobationem pertinere: sed si* contrà ac credit, *pertineret, hoc unum demum sibi locum vendicare fortè posset, si per querelam, vel viam supplicationis, appellationis, vel provocationis, vel alio modo ad ipsam sedem fuisset devolutum ipsum negotium, vel deductum, quæ locum non obtinerent in præsenti: vel si fortè petitis per* Electum *insulis imperialibus, vel denominatione ex causis legitimus jure scriptis, quas in se locum non crederet habuisse*, personam suam contingeret, *exigente justitiâ refutari.* Etenim denominatio personæ, *vel electionis admissio habita subsequenter, ipsi* Ludovico, *non jus, nomen, vel titulum tribuissent, quæ jam ex ipsâ electione sortitus esset*, sed ea potiùs *detexissent, approbâssent, & latiùs commendâssent. Hanc veritatem ratione juvari, canonibus & legibus fulciri, & summorum utriusque juris Doctorum sententijs comprobari, usu & consuetudine longissimi temporis declarari.* Quod hoc loco Ludovicus de Doctoribus asserit, attigit Nauclerus (penes quem sit fides) ad ann. M. CCC. XXIII. affirmans ex Hermanni cujusdam sententiâ, qui tum erat in vivis, cùm ista gererentur, *processus istos à multis invalidos fuisse reputatos, & famam fuisse, eosdem examinatos à Doctoribus utriusque juris; qui judicabant, eos penitus non valere.* Nauclero subscripsit Mutius, Ludovicum videlicet *habuisse quosdam Doctores utriusque juris, qui judicabant Pontificis sententiam invalidam*, & hoc Doctorum judicium multos in Ludovici partibus retinuisse. Similia habet Marcus Guazus Italus. Addit Burgundus, sed sine authore, Academiam Parisiensem, totum illum litis progressum, nullius momenti esse censuisse: Idem in Italiâ Jurisconsultos respondisse, cum his consensisse Germanos. Inter istos Doctores fuêre Joannes Jandunus & Marsilius Patavinus sedi Apostolicæ infensi. Pergit Ludovicus ad cætera accusationis capita. Negat inprimis, se Vicecomitibus Mediolanensibus, aliísve Ecclesiæ Romanæ rebellibus, exhibuisse favorem aut defensionem: inficiatur sibi innotuisse, illos hæresis esse damnatos; nec porrò se videre, quî censeri LII.

Chron. Ital. de viris illustrib. Venetijs 1553. fol. 259. fac. 2.

Cardinalis iste fuit Bertrandus Lombardiæ Legatus, Comites verò Bertholdus Neuffius, Fridericus Truchendingius, & Bertholdus Greispachius.

seri debeant Ecclesiæ perduelles: se misisse quidem ad Cardinalem, Pontificis in istis partibus legatum, Generosos Comites, qui ejus auxilio concordiam sancirent inter dissidentes; sed legatum nuntios, spretis eorum exhortationibus & precibus, inhonestè dimisisse, & bellum Mediolanensibus imperio fidelibus, obsidionem civitati intulisse in sacri Imperij injuriam: mirum non esse, quòd Comites missi à Ludovico, bello appetitis Mediolanensibus suppetias tulerint, non ut Galeacij, ipsiúsve fratrum Vice-Comitum, sed Sacri Rom. Imperij negotium gererent.

Objicit deinde summo Pontifici, favere eum Generali Ministro, Custodibus, Guardianis, & Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci, dissimulando quædam, quæ ipsi perperam molirentur.

LIII. Cæterùm manifestè videri Pontificem velle Imperatoriæ Majestatis potestatem extinguere, unde multa mala sint oritura. Tandem ajt, se pro eo atque exigit officium propugnatoris & custodis fidei Catholicæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ advocati, & sacri Imperij Regis & Principis, próque obligatione præstiti à se juramenti, appellare ad sedem Apostolicam planiùs de re edocendam, & hanc appellationem, ubi primùm commodè fieri poterit, in ejus notitiam adducturum. Hæc ab irato dictata audaciùs, quàm ferret eorum temporum conditio, & sensus inveteratus, summæ sedi longè majorem esse in rebus Imperij, quàm ista verba præferant, authoritatem. Veneritne in Pontificis manus hæc provocatio, mihi incompertum est; animum certè ipsius non mitigavit: mox enim elapsâ bimestri dilatione, quam accusato indulserat, 10. Cal. April. Ludovici nomen piorum albo expunxit: quinto deinde Cal. Julij Ludovicum velut contumacem exauctoravit, & ad Cal. Octobris in jus vocavit, ultimam de se sententiam excepturum.

LUDOVICUS EXCOMMUNICATUR à IOANNE XXII.

LIV. Ille suam dignitatem indignis modis peti arbitratus, cum Pontifice, contrà ac decebat Ecclesiæ filium, malè suadentium consilio, iráque abreptus, indigniùs cœpit certare probris, reciprocandis sententijs, & tabulis à debita supremæ Sedi reverentiâ valdè alienis. Ut enim essent quædam exotica odiosè expensa, neque satis explorata, quæ in vulgus adversus Pontificem malevolè jactabantur, non conveniebat tamen Ludovici modestiæ, eorum accusationem, nedum cognitionem arripere, de quibus nec posset ipse pronuntiare, nec sine insigni Christiani Principis notâ Pontificem in jus vocare. Istæ Ludovici iræ si abfuissent, longè meliùs ipsius causæ fuisset consultum. Quanquam non defuêre istius ævi albæ mentis homines, qui tametsi istas verborum pugnas non probarent, adeò tamen Ludovici appellatione non offendebantur, ut probarent etiam: certè talem eo tempore aliquorum opinationem fuisse Scriptores prodiderunt. Nam Joannes Villanus judicium vulgi incautè secutus, ausus est scribere, Ludovicum sapienti consilio; Argentinas verò, rationabilibus ex causis appellâsse ad Concilium Generale: tametsi Pontifex meritò appellationem contempsit. Ita Bzov. ad annum M. CCC. XXIV.

LV. Christophorus Daniæ Rex, datâ ad Cardinales Epistolâ, causæ Ludovici patrocinium sic suscepit, ut se pacis conciliandæ auctorem offerret: erant etiam ex sacris Antistitibus, qui diras in Ludovicum jactas non probabant. Salisburgensi & Passaviensi earum publicatio damno fuit. Archiepiscopus eam ob rem Reip. hostis fuit declaratus: Titmaninga civitas eidem hoc anno erepta, ægrè post triennium fuit redempta. Cæterùm Leopoldus Austrius de Friderici fratris sui libertate sollicitus, Ludovici animum præstantis æstimationis dono conatus est delinire. Id fuêre Imperij insignia, Norimbergæ Cæsaris potestati tradita. Ad ea visenda innumera hominum multitudo confluxit. Idem spectaculum Ratisbonæ fuit repetitum. Inde Monachium deportata, excepta fuêre incredibili gratulantium studio. Ijsdem asservandis locus honoratus in æde sacra attributus: additi quatuor è Fürstenfeldensi Cœnobio Sacerdotes, qui quot diebus Sacram illic hostiam Deo offerrent.

Chron. Salisb.

Chron. Furstenfeld. Argent. Chron. Aul. Reg.

Nihi-

Nihilo tamen minùs eo pignore non fuit asserta Friderico libertas. Ludovicus enim negavit, se, nisi absolutis à tutelâ Austriacâ Imperij Civitatibus, de eo liberando secum agi passurum. Eâ tergiversatione irritatus Leopoldus, Ludovicum sociásque urbes omnibus afficere incommodis institit. Frequentibus dehinc excursionibus Burgovianâ ex arce, nullo maleficij genere abstinuit. Burghardus Ellerbachius loco præerat, homo audax, miles impiger, spoliorum appetens. Is villarum incendijs, agrorum vastatione, colonorum vexatione, formidabile nomen est indeptus. Perditissimus quisque, ingenij sævitiâ ipsi commendatus, gratum ad omne facinus ducem sequebatur. Angusta eorum cupiditati Suevia fuit. Erupit etiam in Boicam. Hinc spoliatorum querelæ, Ludovico facturæ invidiam, nisi Burgovianum grassatorum receptaculum repurgâsset. Mox ergo mense Novembri delectu Donawerdæ habito, cum quadringentis cataphractis se dedit in arcis conspectum. Augustani eodem adduxêre suppetias; vicinæ civitates, uti & Wirtenbergenses & Helfenstainij Reguli valida auxilia, machinas, majori etiam oppugnationi sufffecturas. Has Ludovicus ostentare obsessis satis habuit, osor cruentarum victoriarum, & clementiæ famam petens ex hoste. Sed non erat eorum hominum Ellerbachius, qui quantæcunque virtutis admiratione caperetur, aut rectè faceret, nisi coactus. Illâ ipsâ lenitate efferatior, non modò obsidionem tolerare statuit, sed ne exspectato quidem Leopoldi subsidio, qui intra diem decimum quartum mille octingentos equites, & quatuor peditum millia adducturus ferebatur, in otiosas Ludovici stationes erumpens, cæde latè editâ, quingentorum non minus captivitate superbus, se in arcem recepit. Gravis jactura, nec minùs erubescenda, utpote accepta ab hoste antea contempto. Cùm obsidio jam ad sesquimensem duceretur, Augustani sub ferias Natalitias missionem flagitârunt, otium domi quàm in castris rectiùs acturi, polliciti tamen, se, quandocunque operâ suâ Ludovicus uti vellet, ad signa propere redituros. His discedentibus, plures, non impetrato commeatu (is erat genius istorum temporum) dilapsi, eò Ludovicum adegerunt, ut rei conficiendæ occasio & facultas eriperetur. Nihil eorum Leopoldo obscurum fuit. Non dubium est, fuisse periculum, ut Ludovicus cladem luculentam acciperet, nisi Burggravius Norimbergensis, adventantis Leopoldi apparatum, periculúmque Ludovico in tempore indicâsset. Tam propinquum erat discrimen, ut nihil tutius fuerit quàm fuga, quæ ne avehendarum quidem machinarum spatium reliquit. Lavingæ denique se Ludovici miles collegit.

Leopoldus Austriæ Dux in Ludovici clientes grassatur.

LVI.

Ludovici clades ad Burgovium.

LVII.

M. CCC. XXV.

Opibus ex ista obsidione afflictis, proximum fuit, ut curæ ad recreandum ærarium verterentur. Quæstores in consilium vocati, rimati omnes pecuniæ expediendæ venas, nullas habuêre magis promptas, quàm ex Judæorum iniquis fœnerationibus, quæ si velut spongiæ Christianorum facultatibus ebriæ exprimerentur, multum æris videbantur fisco redditura. Ea sententia cùm pronis auribus exciperetur, Henricus Portnerus Augustanus, Vir Consularis, qui fortè tum adsidebat, sibi quoque putavit monstratam esse viam sine labore ditescendi: sibi enim persuasit, gentem refractariam edicto non parituram, adeóque bonorum publicatione & exilio mulctandam: Eapropter à reddendis debitis fore liberos, qui à Judæis mutuum accepissent. Ergo pecuniam quantam lubuit maximam, ab ijs fœnore accipit, quales voulêre pactus usuras, quòd non de his tantùm, sed de sorte etiam abunde sibi cautum crederet, si Judæi suis sedibus ejicerentur. Efferre se ille exinde magnificè, Judaicas opes in omnem luxum prodigere, lautum se præbere amicis, agere perpetua hilaria. Judæi interim, quanquam ad ingentis tributi nomen expalluerant, paruêre tamen necessitati, &, dependso ære collatitio, cum fisco redierunt in gratiam. Ipsis ista modestia saluti, Portnero exitio fuit. Cùm enim mutuum reposceretur, jámque decoxisset, nec reperiret apud Prætorem ullum patrocinium, vel apud suos convivales commiserationem, spoliatus omnibus fortunæ reliquijs, foro & urbe cessit, & ex

Opus Honorar. Jacobi Fuggeri.

Judæi emunguntur.

LIIX.

ex nobilissimæ Urbis Consule, ruri causarum agrestium actor, inopem vitam finivit.

LUDOVICUS DE DIMITTENDO FRIDERICO DELIBERAT.

Ludovicus post malè locatam in Burgovianâ obsidione operam, rerum humanarum vices ponderans seriò, Fortunæ ludos in se & Friderico agnoscere, déque ijs abrumpendis religiosè instituit cogitare. Id facturus sibi decentissimè & cum approbatione publicâ videbatur, si Fridericum assereret in libertatem. Satis enim apparebat, non quieturum Leopoldi igneum ingenium, nisi fratre restituto. Quam ad rem nuper cum Francorum Rege fuerat congressus, & favente Pontifice, in Ludovici perniciem multa machinatus. Regi enim spem fecerat adipiscendi Imperij, atque ad cœpta perficienda altera jam Comitia ad Rhenum coëgerat. Ea nisi Bertholdus, Ord. Teutonici apud Confluentinos Commendator, & Matthiæ Moguntini Electoris frater, suâ industriâ disturbâsset, Regem voti compotem factura videbantur. Tantum Leopoldo fratris liberandi desiderium, ut, nisi fallit Argentinensis, non dubitârit etiam eam ad rem Acheronta movere. Factum illaudatum plures, an ex vano, descripsêre. Si vera referunt, apud hominem inferorum evocatione, & occulto cum Dæmone commercio infamem egerat, ut qualemcunque fratris in libertatem asserendi viam reperiret. Mago rei tentandæ prompta voluntas fuit, petito ex inferis auxilio. Evocatus impio carmine damnatus genius, mox emersit, formam hominis habitúmque viatoris mentitus, malè calceatus, vili galero & lippientibus oculis deformis. Sustinuit tamen Leopoldus tali spectro sua vota, & fratris salutem commendare: opémque pollicitum Trausnitium ad exportandum Fridericum mittere. Adfuit nefarius veterator, sub litteratoris in Ergoviâ olim notâ personâ, & explicato in Friderici oculis linteo, quod de collo gestabat, suasit fugam, ostentans libertatis recuperandæ promptam facilémque rationem. Se enim mox, si pannum ingrederetur, ipsum ad Leopoldum fratrem ducturum. Quærentem, quisnam & unde esset novus iste paredrus, jussit supersedere quæstionibus, & bajulo confidere. Fridericus id, quod res erat, suspicatus, inclamato Christi nomine, & crucis munitus signo, tenebrionem rejecit, séque sacris amuletis & precibus à custodibus jussit custodiri. Addit Arenbekius, voluisse eum clathris carceris inseri cruces ferreas ad pellendum dæmonum terrorem. Idem improbum hoc Friderici liberandi inventum hujus uxori, non Leopoldo, utpote nimis generoso Principi, impingit, fortasse neutri debitum, quòd tam varia narratio jubet arbitrari. Certe Deo cordi fuit, ut Fridericus vellet Ludovico potiùs, quàm malo genio suam libertatem debere.

IDEM AGIT LEOPOLDUS.

Albert. Argentin. Chron. p. 690. Chron. Hirsaug. Trithe. Delrio Disq. mag. lib. 2. q. 12. mihi pag. 161. n. 7. Ger. de Roo l. 3. Lehm. Chron. Spirens. p. 746.

LIX.

LX.

LUDOVICUS FRIDERICUM LIBERTATI ASSERIT.

Cæsar igitur, pauculis sui consilij gnaris, Trausnitium profectus, Fridericum bono jussum esse animo, ultro ad amicitiam invitavit. Ea comitas miraculo proxima mortalibus visa materiam præbuit fabulis, quas nonnulli scriptores prodiderunt. Ijs recensendis ne Lectori molestus sim, icti fœderis leges depromam ex Boico tabulario. Tabulæ Bertholdi Hennebergij, & Theodorici Pillichdorfij Mareschalli Austriæ, nomina præferunt. Sunt verò in hæc capita redactæ. *Fridericus juri regio qualicunque, & undecunque parto, renuntiato. Suffragiorum Septemviralium tabellas reddito. Regnum, vivo Ludovico, ne ambito: Ultro vocatus abnuito: quæ ab ipso, Majoribus, fratribúsve ejus, de corpore Imperij avulsa sunt, in pristinum locum restituuntor: Fœdus illi, Fratribúsque, cum Ludovico, liberísque ejus, æternum esto: Communes hostes & amicos habento. Extra hostium ordinem Pontifex, donec Ludovico infestus erit, ne censetor. Dux Carinthiæ unà cum primarijs familiaribus quatuor, Rudolphus item Hochenbergius, Hugo Brigantinus, Albertus de Sancto Monte, Schebhetingus, Rudolphus & Hesso Badenses, Furstenbergius, Ochsenstainius, Regi suppetias adversus fœderis violatores jurati spondento. Austrij Fratres, quæ beneficiario jure possident, à Ludovico recognoscunto, inque ejus clientelam cum omnibus sibi obnoxijs conceduntor: Obsequij detrectatores communibus viribus impugnanto: Fridericus filiam suam Stephano Ludovici filio despondeto: Doti pecuniam, quantum arbitri dixerint, constituito: Burgovia interim & Riseburgum pro pignore sunto: Parentibus*

Tabulæ quæ in Archivo Elector. asservantur.

fato

fato functis, liberi nihilo seciùs fœdus sanctè colunto. Si Fridericum Ludovico superstitem & successorem Deus volet, liberorum ejus dignitatem comiter servato. Quæ priorum Regum beneficio Austrijs honorifica obtigerunt, rata sunto: Captivi utrinque redduntor: In has conditiones Fridericus sacramentum dicito: Pactis stato, vel in custodiam redito. Seorsim quoque id fœderi adjectum fuisse memorant, an ex vano, ad me nihil attinet, ut, quicunque Austrius in petitione Imperatoriæ dignitatis suffragiorum numero Boicum quempiam æquaret, jure ei suo cederet. Arenpekius scribit hanc ad rem peculiariter confectas tabulas, à Ludovico Barbato, cùm filij armis peteretur, ad Fridericum Tertium, nullâ facti gratiâ, fuisse remissas. LXI.

Est ex allatis, unde Annales Fürstenfeldenses, Aulæ item regiæ conditores, & Cuspinianum erroris arguas, asserentes æquatum Imperij jus inter Ludovicum & Fridericum, communicatum nomen regium, pactúmque consortium Cæsareæ potestatis. Relinquo in medio, quid ex eodem principio sentiendum sit de binis Diplomatis, quæ apud Cuspinianum nomina Ludovici & Friderici velut collegarum præferunt. Porrò Friderico libertati reddito data fides, quantum à maximi animi Principe sperari debuit, satis culta; mansit enim diutulè concordia, uti videre est ex tabulis Monachij Non. Septemb. hoc anno signatis, in quibus ab Henrico Carinthio, & Cane Scaligero, cùm inimicitias capitales exercerent, Ludovicus Rex & Fridericus Austriæ Dux (sic uterque compellatur) cum summâ litis dirimendæ potestate arbitri pacificatorésque nominántur. Quod luculentum indicium est, inconcussam eo adhuc tempore, amborum Principum amicitiam pactúmque jam recensitum fuisse. Ei perpetuándo id quoque vinculum accessit, ut Ludovici operâ Elisabetha Boici sanguinis Princeps, Othoni Friderici fratri, eodem anno, matrimonio jungeretur. Fratres sponsæ erant Joannes & Otho, qui cum Henrico Juniore patruele inferiorem Bavariam regebant illaudato imperio. Certè publicam rem habere neglectui, & jurium Provincialium immemores, multa pro libidine, paucorum consilijs, cum noxâ agere dicebantur. Optimus quisque, ipsúmque vulgus non antè destitêre æquiores dominos poscere, quàm, querelis ad Principem delatis, lecti fuerunt è nobilitate duodecim viri, qui meliùs provinciam ordinarent. Ij fuêre Abrahamus Halsius, Henricus Ortenbergius Comites; Henricus Preisingius, Sigfridus Buechenbergius, Winhardus Granso, Ebranus Lauterbachius, Alardus Fraunhofius, Conradus Fraunbergius, Arnoldus Massenhusius, Udalricus Leubelfingerus Aulæ Præfectus, Henricus Rambspergius, & Albertus Nusdorfius. Hi, rebus inspectis, legem dixêre multorum capitum, ad quam se Principes in posterum componerent. Jubebantur Provincias ut minimùm ad biennium indivisas retinere: suarum controversiarum arbitrium quindecim viris permittere: Renuntiare antiquis fœderibus; nulla nova facere absque consilio: rerum suo Marte gerendarum Reipub. rationem reddere: munificentiæ modum ponere: de præmijs, congiarijs, & donativis, sex, nec pauciorum sententiam exquirere: prohibebatur Sigefridus Rotenburgius augere vectigalia: vetabantur Principes, Præfectos, nisi ex consilij sententiâ, loco dignitatéve movere: qui in decedentium munus erant successuri, debebant in has leges jurare: servaturos se Othonis Regis tabulas, & si quibus præterea immunitati Provincialium cautum esset: qui secundum illas jus non dixisset, erat ære multandus. Statutum fuit præterea, ut privilegia quæcunque, quibuscunque concessa, à sedecim viris recognoscerentur ad fraudes vitandas: ut supremus Epistolarum Magister, cum Præfecto ærarij, Consiliariorum operâ in examinandis rationum tabulis uterentur: ut delati publicè vadimonium obirent: delecti Judices de causa cognoscerent: nullum esset privatum judicium: Fridericus Epistolarum Magister annulo Principum nihil signaret: Conrâdus Camerarius præfecturâ decederet: tam hic, quàm Fridericus ille Curiâ abstinerent, & gestæ Reipub. rationem redderent: utrique successores ex arbitrio sedecim Virûm darentur: quæstores essent omnibus Principibus

Ottonis Ducis Austriaci cum Elisabetha Boica nuptiæ. *Chron. Aul. Reg.*

LXII. *Ex Archiv. Princip.*

Inferioris Bavariæ regimen ad certas leges redigitur.

LXIII.

communes, qui ærarium, omnium commodo, æqualiter curarent: conjugibus Principum, & Sorori dotem conferrent. Pacis bellíque arbitrium penes Senatum palatinum esse jubebatur.

Probârunt hæc scita utcunque rigida & imperiosa Principes, suóque nomine, Landishutæ, Octobri mense publicaverunt: triginta cum ijs Proceres, & civitates quatuor, Landishuta, Straubinga, Cambum, & Burghusium signârunt. Hæc ante biennium gesta, occasione contractæ cum Austriacis affinitatis, huc distulimus, ne narrationis seriem turbarent.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS II.
LIBER II.

Ludovicus Mediolani & Romæ coronatus: Antipapâ creato, rebus adversis exagitatus, in Germaniam revertitur.

An. Christ. M. CCC. XXVI.

ANno vigesimo sexto magis fuit cautum Principum concordiæ, morte Leopoldi Ducis Austriæ, æternum Ludovici odium professi. Ille S. Hippolyti oppidum, ut Alsatiæ Landgravio Ludovici amicorum longè fidissimo ægrè faceret, in suam potestatem redactum mœnibus nudaverat. Subinde, tametsi adversâ valetudine tentaretur, Spiræ obsidium admovere constituit. Medici ad necessariam quietem illuc iturum revocabant, denuntiantes acrioris morbi periculum, rogantésque, sibi ac intempestivo labori ut parceret. Sed frustra. Ad Spiram castra posuit, institit oppugnationi, quam ingravescens ægritudo & civium virtus disjecit. Ille Argentinam reversus, solutis viribus, animam exhalavit. Per idem tempus Ludovico à potenti hoste libero, gravior multò procella sub ipsis Septentrionibus conflata est. Uladislaus cognomento Locticus (Locutonem vocat Chronicum Aulæ Regiæ) Polonorum Rex Pontifici gratificatus, Lituanos Russósque nondum Christo addictos in Marchiam Brandenburgensem immisit. Eo facto armata fuit in Christianam religionem barbaries, quæ Ludovici filio, quem pater tutando limiti præfecerat, inquietum reddidit imperium. Francofurtum usque ad Viadrum grassatus est Sarmaticus furor, divinis quàm humanis rebus infestior, qui Christianorum ductu auspicisque in Christianæ sanctitatis excidium est abusus. Fuere expilata templa, evastata cœnobia, patratæ Monachorum cædes, Monacharum stupra; libera corpora in servitutem tracta, edita omnis crudelitatis fœda exempla. Inter hæc triumphavit unius Virginis pudicitia novo artificio. In prædam turpissimo raptori cesserat; destinabatur ad nefariam libidinem, frustra irritans Barbari sævitiam, ut mortem inferret, quâ castimoniam tueretur. Irasci non poterat homo crudelis tali formæ. Illa hoc voto frustrata, animum adjicit ingenioso consilio. Jactat habere se unguentum vulnerarium, quo si illineretur Barbarus, tutus à vulneribus hostem formidare desineret: pollicetur se id donaturam, si castam ser-

Leopoldi Ducis Austriæ mors
Chron. Aul. Reg.
I.
Argentinæ
Chron. Aul. Reg.
Sarmatarũ in Marchiam Brandeburgicam irruptio et sævities.
II.
Virginis in tutanda pudicitia virtus ingeniosa.

ſervaret, & ne dolum ſubeſſe crederet, addixit, ſe porrectâ cervice, quam iſto ceromate, ipſo inſpiciente, imbueret, artis experimentum daturam. Arrexit aures Lituanus, & maximæ ſpei inhians, conditionem accepit. Illa collum jugulúmque oblinit, & jubet acinace, quantâ vi vellet, promiſſi fidem experiri. Experitur, & caput Virgini à cervice revellit. Ad eum modum prædo innocentiæ, virginitatem ſervavit, quam perdidiſſet, ſi in vivis ſervâſſet virginem. Ne abominandæ expeditionis facinora Ludovicus vindicaret, propiores curæ vetuerunt.

III. Senatus populúſque Romanus diuturnam Pontificis abſentiam pertæſi, ſuam orbitatem miſerati, Joannem in Gallia degentem per legatos & ſupplices litteras rogârant, veniret in urbem, ínque priſcam D. Petri ſedem, veterem ſplendorem & divini Imperij Majeſtatem referret. Pontifex ſolatus Oratores, ſe Avenione expedire non potuit. Romani, moræ impatientes, alienati à Pontifice, ſua ad Ludovicum ſtudia transtulerunt, miſsâ ampliſſimâ legatione. Ille Oratores benignè auditos, donatóſque muneribus ſui adventûs promiſſa ac famam referre in urbem juſſit. Subinde convocatis Spiram Germaniæ Principibus explicavit, quantas in ſpes vocaretur. Videri eas tantò minùs negligendas, quòd abſente Pontifice id itineris commodiùs ſuſciperetur. Is ſummo aſſenſu auditus, expeditionem Italicam in ſequentem annum indixit.

Ludovicus a Senatu populoque Romano vocatus, se ad iter Romanum comparat.

Olomutij VI. Id. Auguſti Conradus Epiſcopus deceſſit, clarum Boicæ nationis decus. Obſcuris natalibus, nullóque cenſu, viam ſibi ad mitram ingenio aperuit. Admirationi fuit in puſillo corpore ingens animus, & par ſummis curis ſapientia. Potiſſima illi ornamenta fert in acceptis, varijs in locis, poſteritas; habétque ſecuritatis publicæ fundatorem ex mœnibus, quibus multas urbes adverſus vim circumdedit. Tantum virum Boicæ ſuíſque civibus oſtendi hoc loco par erat, ad prudentiæ & magnanimitatis exemplum.

Conradi Boici Episcopi Olomucensis obitus et laudes.

Nunc, antequam Ludovicum in Italiam ſequamur, operæ pretium erit compendio oſtendere, illum immeritò, à nonnullis, admiſceri cruentis Italiæ factionibus, jam conflatis multò priùs, quàm ipſe de rebus Tranſalpinis ullam cogitationem ſuſcepiſſet. In quâ accuſatione diluendâ, tametſi non deſunt alij graviſſimi teſtes, quos ante me ſcriptores produxerunt, utar potiſſimùm operâ Wilhelmi de Cortuſis, qui horum temporum æqualis, ſcribendi fide nemini concedit, induſtriâ etiam permultis præcellit. Quo tempore Henricus Cæſar in Italia periijt, Henricus Goritiæ Comes, maritus Beatricis Boicæ Principis, contra Tarviſinos Patavinóſque eorum auxiliatores pugnavit eâ felicitate, ut Canis Scaliger, cui illam operam navabat Goritius, frenos Patavinæ libertati injecturus videretur, niſi vulgata per exercitum lues, & querelæ militum Scaligeri avaritiam accuſantium, hunc è medio victoriæ curſu retraxiſſent. Ab eodem Scaliger, anno decimo ſeptimo, centum cataphractos accepit, eorúmque auxilio montem Silicem in poteſtatem, & Patavinos in extremas anguſtias adduxit. Annus decimus octavus viam in Italiam, non Ludovico, ſed Friderico Auſtrio aperuit. Tarviſini ab Hugotione Fairolâ & Scaligero arctâ obſidione preſſi, deſperatis domi rebus, Friderico ſe ſuáque in tutelam non infelici conſilio dedêre. Is enim acceptatâ clientelâ, & vicibus ſuis Goritio mandatis, urbem periculo exemit. Germani militis robur, & Germanas Aquilas Scaliger, quantumvis acerrimus Dux, non auſus aggredi, pacem, quibus Goritio viſum eſt, conditionibus fecit. Sequenti anno etiam Patavium in Friderici Auſtrij ditionem conceſſit. Eam urbem Scaliger munimentis complexus, cives ad quærenda externa auxilia compulerat. Goritius peramplis utrinque promiſſis tentatus, diúque, quam in partem ſe daret, incertus, operam ſuam Scaligero vendidit: Patavinis verò, miſſo caduceatore, ſignificavit, Scaligerum Friderici Cæſaris fidem amplexum, ideóque Romani Imperij beneficiariûm, neque deſeri à ſe, neque quos ille hoſtes habeat, amicorum loco haberi poſſe. Non deſperâbat tamen Jacobus Carrarius, cujus apud Patavinos maxima erat auctoritas, ſuis aliquando partibus Goritium adjungendum: fore

IV.

Fridericus Austrius ante Ludovicum, rebus Italicis se immiscet.

V.

fore enim ſperabat, ut, unde ſe major lucri ſpes oſtenderet, illuc homo venalis vela verteret. Neq; aliter evenit. Goritius enim Patavinis, ſi ſacramentum Friderico dicerent, ejuſq; arbitrio urbē permitterent, prompta auxilia ſpopondit, quibus non modò obſidione liberarentur, ſed etiam, quæ iniquitate temporum amiſerant, recuperarent. In eam ſententiam confectæ tabulæ: mutatis velis, in Scaligeri caput inſidiæ compoſitæ. Emiſſa Tarviſio centum equitum ala, qui ſpecie amicitiæ fallerent, opprimerent incautum, & erumpentibus ex urbe civibus, per tumultum, ſe conjungerent. Eruptionis ſignum erat, elatum ſupra mœnia vexillum purpureum. Id commentum Canis ſubodoratus, moventes ſe ad ſigni conſpectum, ademptis equis, exarmavit, juſſitq; aliquos abripi in vincula. Fraude detectâ, Goritius ad apertam vim progreſſus, ex Ungaris, Slavis, Germaniſque ingentem exercitum confecit. Rebus omnibus comparatis ad iter, Ulricus Waldſeius Friderici amicorum Princeps & Styriæ Præfectus, cum legatis Henrici Carinthij ſuperveniens, pacis leges attulit, eáſque Goritio & Cani probatas anno vigeſimo 3. Non. Janu. Patavinis expoſuit. Præcipuæ ex illis fuêre: Patavini urbem Friderici nomine regendam Ulrico permitterent, quoad idem Fridericus & Carinthius controverſias compoſuiſſent, & de exulibus, quod è re videretur, ſtatuiſſent. Eoſdem arbitros Canis & Goritius agnoſcerent, & ſententiæ, quam Bozani, cauſis cognitis, laturi eſſent, acquieſcerent. Æqua omnia viſa. Ulrico VI.
vicarium in urbem conceſſum imperium; ſed Auſtrio Carinthióque à re ſuâ, & Ludovici armis otij tantum non fuit, ut alijs pacem foris darent, cùm domi ipſi bellum haberent. Neuter Bozani comparuit. Waldſeius nihilominus regio nomine interpoſito, inducias in Paſchales ferias produxit, paulò imperioſiùs, quàm pati Scaliger poſſet; cùm hic ſtatuiſſet nullis conditionibus pacem colere, quàm quas ipſe tuliſſet. Ergo ſuam facilitatem damnans, arces, quibus Goritij amicitiam emerat, armis repetijt, & Patavinos multò quàm antehac acriùs infeſtavit. Prope deſperationem ventum erat, cùm Comes Falckenbergius centenariam Germanorum cohortem, juſſu Waldſeij in urbem introduxit, tenue quidem, ſed projectæ audaciæ præſidium. His autoribus tentata eſt eruptio: laborantibus & inclinatis ad fugam, Altimerius Tarviſinus Patavinas copias cum ſex non amplius Germanis ſubſidio miſit, quorum virtute verſa pugnæ alea, & parta memorabilis victoria. Aſſidebat nihilominus urbi Scaliger, & fame macerabat obſeſſos. Eſurientibus adventus Waldſeij & Goritij cum octingentis equitibus ſaluti fuit. Canis rebus omnibus inferior, ignobili fugâ ultimum diſcrimen evaſit. Inde agi de pace cœptum, ſed tantis contentionibus, ut non concordiæ, ſed bello præludi videretur. Semel, iterum, ejus conſtituendæ gratiâ, anno vigeſimo primo ad Fridericum Auſtrium itum eſt, haud invito Cane, & ruinoſam potentiam pecunijs ſuffulciente. Ea cauſa Waldſeio fuit, ut totam litem miſ- VII.
ſam faceret, plenámque periculi præfecturam volens lubénſque Carinthio remitteret. Carinthius, ſumpto vicarij generalis nomine, Conradum Aufenſteinium Novembri menſe, cum ducentis galeatis, ſuo loco Patavinis præfecit. Senſit confeſtim Conradus, quali cum homine ſibi res eſſet: neque enim Scaliger Patavinis exulibus ſublevandis, & in patriæ perniciem armandis, pacem ferro cudere antè deſiit, quàm eam ad ſuum arbitrium finxiſſet, redditâ proſcriptis patriâ civitate. Id anno vigeſimo tertio 15. Cal. Maij factum eſt, cùm priore menſe Henricus Goritius, unicâ ſobole ex Beatrice Boiçâ ſuſceptâ, deceſſiſſet. Priore, quàm *Villan. Nauis* deccderet anno, Henricus Auſtrius, Friderici fratris juſſu & Pontificis invitatu, *cler. Cortuſ.* cum exercitu venit in Italiam. Nam Pontifex, cùm Vice-Comitum Mediola- *M.S. differt* nenſium vim infeſtam ſentiret, timerétque Genuenſibus; Fridericum, oſtentatâ *in ſequentem* ſpe coronæ, & mitrâ Moguntinâ Alberto ejus fratri promiſsâ, ad jungenda cum *annum.* Roberto Apuliæ Rege arma induxerat. Ea provincia Henrico obvenit. Verùm is cum quingentis veteranis, & bis mille cruce ſignatis in Italiam transgreſſus, expectationi non ſatisfecit. Matthæus enim Vice-Comes Fridericum per legatos monuit, ne ſua ipſe vineta cæderet: ſed penitiùs inſpiceret conſilia Pontificis

tificis

tificis promittentis Imperium, si Imperium evertisset, & Italiam Imperatoribus ademptam, sibi subjecisset. Iniquum enimvero esse juratas Cæsari urbes populósque, Cæsaris viribus impugnari. Sic de Pontificis mente in suam rem ratiocinabatur Matthæus. Fridericus ejus consilio credulus, Henrico fratri auctor fuit, exercitûs ex Italiâ deportandi. Obtentui sumpta Pontificis tergiversatio, quòd Brixiam reddere Imperio abnueret. Ita Guelforum spes de Henrici expeditione concepta, abijt in fumum, ínque eum dici non immeritò potuit, eâ duntaxat gratiâ venisse in Italiam, ut Italiâ exiret. Attamen ex ijs, quæ recensui, manifestum est, Fridericum Austrium Cæsareâ usum authoritate, tametsi Pontifici non esset probatus, idque impune tulisse. Et cur det pœnas Ludovicus? Hucusque is Italicis rebus abstinuerat, nec magnopere ejus auxilia Itali respexerant.

VIII. Verùm, ubi depressa Austriacorum fortuna prælio Ampfingensi, hoc anno minoris cœpit æstimari & Ludovicus Italorum animos ad se convertit.

Galeacius Vice-Comes Matthæi filius, primus fuit, qui vacillantibus Mediolanensis Principatûs initijs, auxilia à Ludovici viribus & auctoritate quæsivit. Ludovicus clientem non aspernatus, submisso cum quingentis equitibus Bertholdo Neuffio, Mediolanum obsidione liberavit, mox tamen subsidiarij illi equites territi Pontificijs (de quibus jam dixi) execrationibus, signa deseruerunt: tanti fuit Orbi Christiano vox summi Ecclesiæ pastoris, & bonis viris cura innocentiæ. Missi deinde Placentiam ad Bertrandum Cardinalem, in causa Mediolanensi, legati, cùm eodem Pontificiæ sententiæ terrore percellerentur, alius aliò dilapsi, susceptam rebus componendis operam amisêre. Junio proximo, fractis repetitâ obsidione Mediolanensium animis, & Galeacio, si auxilia tardarent, se deditionem facturum minitante, Bertholdus, jussu Ludovici, alteras obsessis suppetias tulit, hostémque à mœnibus rejectum Modoetiæ obsedit. Atque hoc quidem Ludovici factum fuit, quod censura Pontificia notavit. Eum Italiæ nullâ prorsus ambitione imminuisse, vel hoc argumento sit, quòd rerum potens, ex Italicis Friderici clientelis, nullam à captivi fide & obsequio abstraxerit, & ne Henrico Carinthio quidem succensuerit, cùm Friderici nomen & auspicia in regendis Patavinis usurparet. (*Canitell. Villan. Bossius.*)

IX. Otho Friderici frater Patavinis instructissimas copias adversus Scaligeri sævitiam duxit; nihil conquestus est Ludovicus: Patavini Germanorum licentiam apud Ludovicum accusârunt, quiritantes fuisse tolerabilius, à Cane allatrari, immo & morderi, quàm à Germano devorari; permisit Ludovicus Othoni & Patavinis jure agerent; spopondit se utrisque daturum aures: & passus est Fridericum libertate donatum unà secum in eâ causâ sedere arbitrum, incredibili comitate, quâ & ipsum in triclinij & cubiculi societatem, aliáque plura sinceræ amicitiæ documenta admisit. Accepit ergo Italia non ferentem bella, sed Imperij jura clientésque, eo, quo sibi licere credebat, modo, ne officio deesset, tuentem.

AN. CHRIST. M. CCC. XXVII. LUDOVICUS IN ITALIAM PROFICISCITUR.

Iter Italicum anno vigesimo septimo, vel sub finem prioris, cum amicorum cohorte, & militari præsidio centum capitum, ingressus est. Oeniponti cum Friderico Austrio collocutus, commotiore, quàm venerat, animo ab eo discessit. Eo colloquio antiqui vulneris cicatrix per expostulationes & verborum aculeos exulcerata. Tridenti suarum partium Principes obvios Ludovicus habuit, & commeatu, quantum expeditio requirebat, adjutus est. Azo Galeacij filius, & Marcus frater Vice-Comites, ducentos equites adduxêre: Passarinus Bonacossius Mantuæ Dominus cum Scaligero octingentos: Guido Tarlatus trecentos: Auxiliorum, quæ Ponzinus Ponzonus, Rainaldus Estensis, Legati Carratiensis Castrucij, & Friderici Siciliæ Regis comparaverant, numerus non est in chartas relatus.

X. Prima illic cum Scaligero concertatio fuit. E vestigio ad Pontificios se transiturum minabatur, nisi vicarium sibi in Patavinos imperium concederetur: miscebat minis superba promissa, & præter militarem operam ducenta aureorum millia præsentia Cæsari offerebat, si voti compotem fecisset. Cæsar monuit, peteret, quæ sine cuiusquam injuriâ posset impetrare: utrique turpe fore, si alienis se plumis convestirent. Patavinos Carinthio attributos: clientibus

cum

cum patrono rectè convenire, nec commeruisse, quàm ob rem distraheret invitos. Canis eâ repulsâ irritatus, è comitio se urbéque proripuit: verùm ex itinere, quod Veronam intenderat, amicorum precibus retractus, Cæsari se & Concilio reddidit. De ratione belli disceptantibus optimum factu visum, illud à Pontificis, quasi famæ fortunarúmque suarum hostis, eversione auspicari; non quòd maximo nomini, amplissimæque in terris potestati detractum vellent, sed quòd Joannem XXII. de summâ sede vellent, ob jactatas vulgò causas, deturbatum. Illos quoque urebant Pontificia fulmina, eóque irascebantur fulminanti. Indignabantur, susceptum à Pontifice bellum adversus Imperij clientes. Carpebant ejusdem in Cæsarem electum & inauguratum potestatem; jactantes Imperium proprium esse Dei munus, à quo esset ortum & ex asse, nullius interpositu, penderet. Addebant, immeritò Ludovicum cœtu piorum fuisse proscriptum, & motum munere gubernandi; deterritos ab ejus obsequio Principes ac subditos; viderique id agi, ut Cæsares antiquissimâ Italiæ possessione pellerentur. Eam ob rem cruce signari armatos, qui contra Romanorum Regem essent pugnaturi, non secus atque si in Saracenos pro recuperandâ Palæstinâ educerentur. Hæc aliáque Tridentinis comitijs adversus Pontificem invidiosè declamabantur, quæ sigillatim referre, nedum tueri, non est animus. Non deerant causidici, qui undique quæsita argumenta suggererent. Illud nulla satis eloquentia excuset, tantum ab isto cœtu dolori fuisse indultum, ut tam indignè communem orbis Christiani parentem malè feriati filij, degenerem in modum, lacerarent, auderéntque insimulare, quasi de aliquibus doctrinæ Christianæ capitibus malè sentiret, præsertim de altissimâ Christi paupertate; atque his criminationibus viam ad exauctorandum Pontificem, fœdóque schismate turbandam Ecclesiam, sternerent. Marsilius Patavinus, & Joannes Jandunus, pestilentis istius consilij authores non sequendi scribuntur præcipitâsse Principes in hanc insaniam. Illis addit Villanus Episcopos, & Episcopis dignitate proximos Antistites, immo & quosdam è clarissimis religiosorum ordinum familijs, magna sine dubio nomina, quibus nihil doctius illud ævum habuit. Sic illudebatur Principum, virorúmque militarium simplicitati, qui talibus flabellis jam aliàs ardentes accendebantur. Infaustis comitijs isto facinore fœdatis, 3. Id. Martij Ludovicus Tridento discessit. Margarita uxor diverso itinere in Italiam ingressa, Comensi in urbe se marito junxit: supervenit & Galeacius, primum facilè apud Cæsarem amicitiæ locum obtenturus, nisi Marci fratris & Ludrisij patrui odia obstitissent. Hi in illius famam olim per litteras grassati, multò jam pertinaciùs coràm Cæsaris aures in ejus perniciem obsidebant; quasi non alienus esset à Guelfâ, hoc est, Pontificiâ factione Galeacij animus, ex occulto cum Joanne Pontifice conspirantis. Superbum etiam Galeacij ingenium, æqualium contemptus, inferiorum oppressio, & cæteræ tyrannidis notæ, multiplicatis probris traducebantur, & tam palàm quidem, ut Galeacius suos criminatores non ignoraret.

Graves adversus Joannē XXII. expostulationes.

XI.

Cavitellus. Bossius.

XII.

Ludovicus causam parùm liquidam, & properanti importunam, Mediolanum rejecit, eâ quoque in re moris sui retinens, neminem, ne de plebe quidem, tristem à conspectu solitus dimittere, & volens cavere, ne in Galeacium quicquam inclementius primo congressu consuluisse videretur. Non erat dubium, quin fraternam invidiam fracturus fuisset Galeacius, nisi miti Cæsaris ingenio vim intulisset repetitis pervicaciæ exemplis. Is Cæsarem Mediolani regio omni honore cultum in D. Ambrosij domicilium introduxit; unde cùm pontem versus civitatis fossas duxisset, pons sequenti nocte, crudo Galeacij imperio, dejectus est. Injuria utcunque accepta à Cæsare, celeri authoris pœnitudini, & temporis hilaritati fuit condonata. Appetebat dies dictus capessendæ coronæ ferreæ. Ludovicum magnum antiquitatis cultorem ejusce accipiendæ vehemens cupido incesserat, quòd nôsset, Theodolindam, Boici sanguinis Principem, Longobardis rerum potientibus, Italico Regno id insigne dedisse. Pridie Cal. Junij, ipsis Pentecostes ferijs, in Æde D. Ambrosij, Guidone Tarlato Aretino, Friderico Madio

Corius.

Ludovicus Mediolani coronatur.

XIII. Brixiensi, & Tridentino Episcopis inaugurantibus, Ludovicus coronatus est; Cane Scaligero, Marchionibus Estensibus, Passerini Mantuani filio, & insigni Gibellinæ factionis nobilitate, pompam nobilitantibus. Exegit deinde Ludovicus à Galeacio pactum Tridenti aurum coronarium, aureos quinquaginta mille, sed nihil retulit præter verba & fastum, qui tantus in homine fuit, ut ferre se minorem Cæsare dedignaretur, eúmque velut beneficiarium despiceret. Respondit igitur, de auro cogitaturum se, & facturum, quod & quantum suo commodo facere posset; liberandæ fidei locum tempúsque fore in suo arbitrio. Scaliger certus eâ tergiversatione læsam esse Principis patientiam, occasioni imminens, Mediolanensem Præfecturam apertè ambijt, ratus, se inofficiosum Cæsaris clientem, stantémque in præcipiti, facilè dejecturum. Verùm Ludovici humanitas tunc quoque Galeacium omnia alia meritum sublevavit, neque ad iteratas Marci Vicecomitis adversus fratrem querelas longiùs progressus est, quàm ut polliceretur, curaturum se, ne quid Respub. detrimenti caperet. Eam in rem ut parata auxilia haberet, cohortes Germanici nominis sanguinísque, quibus Galeacius plurimùm fidebat, mutare auspicia, novúmque sibi sacramentum dicere jussit. Id nullo negotio impetravit. Julij denique mensis initio, Cæsar propiore suo periculo monitus, ad tutiora remedia descendit. Res sic habuit.

Villan, Bossius.

Villan.

VENENO PETITUR.

XIV. Stephanus Galeacij frater pocillum regium libare jussus, paratam Ludovico pestem bibit. Extemporalis morbus & properata mors indicium veneni fecêre. Cæsar præsenti Numinis ope servatus, cogitatum parricidium in suos authores vindicavit. Galeacium cum Joanne & Luchino fratribus, & Acone filio, conjecit in carcerem, mortémq; denunciavit, nisi arcem Modoëtianam intra triduû traderent. Id Vicecomites Præfecto mandârunt per litteras; sed cùm is fraudem subesse opinaretur, morem non gessit. Eâdem constantiâ Beatricem Galeacij uxorem, & Richardam filiam verissimis lachrymis necessariam deditionem urgentes, rejecit; donec certis convictus argumentis, arce traditâ, Patronorum salutem redemit. Luchinus & Azo viginti quinque aureorum millibus multati, sedecim præsentia numerârunt, in custodiâ futuri, donec reliquum penderent: cùm verò remissè custodirentur, facilè viam invenêre ad fugam. Galeacius compactus fuit in carcerem, quem abhinc triennio Furni nomine insignem condiderat. Ominata fuerat plebs, fore ut ipse primus in isto furno coqueretur; nec doluit, ubi intellexit, se non inaniter fuisse vaticinatam. Accessit ex mutato Reipub. statu populi lætitia. Legit tributim Cæsar viginti quatuor viros, ad tutelam urbis, & tamdiu exoptatæ libertatis. His addidit Wilhelmum Montfortium, virum æstimans ex famâ bello collectâ. Verùm ille rudis mitiorum artium, prædarúmque etiam ex cive appetens, Cæsaris expectationi non respondit. Exhilaratâ in hunc modum popularibus studijs urbe, exactáque in militare stipendium pecuniâ, Ludovicus Vrceos, Brixiani agri oppidum, Augusto mense concessit. Eo loci, ut sinistros de se rumores refelleret, in Procerum frequenti senatu, super alia Galeacij facinora, ejusdem ad Legatum Pontificium litteras publicavit novi fœderis conciliatrices. Eas nonnemo dixit supposititias, & ad leniendam facti Cæsarei invidiam confictas. Ibidem Comensibus, Cremonensibus & Castellanis Episcopos dedit, curâ præposterâ & illaudatâ. Tum lustratâ Cremonâ, duobus equitum millibus stipatus, trajecto Pado, Apennini juga, hoste nusquam viso, superavit. Probro datum fuit legato Pontificio, quòd, cùm viris armísque abundaret, crederetúrque in aperto campo sui copiam facturus, ne angustias quidem, unde Cæsarem prohibere saltem, si non opprimere poterat, occupârit. Pisani Cæsarem primi morati sunt, majore audaciâ, quàm successu. Exclusum mœnibus sunt aspernati, conquisitósque omni studio Germanos milites ejecerunt ex urbe equis spoliatos. Eo facinore offensus Cæsar juravit, aut intraturum se lubentem urbem, aut refractariam oppugnaturum. Jam parabatur obsidio, cùm Guido Tarlatinus Episcopus Aretinus à Pisanis impetravit, ut tres ad se legati mitterentur. Missos, perfusósque imminentium malorum metu, ad pacatiora con-

MEDIOLANI ET ALIBI QUÆDAM ORDINAT.

XV.

A PISANIS REMORAM ACCIPIT.

silia

ſilia deduxit. Legatis annitentibus, ſexaginta florenorum millia Cæſari à civibus conſtituta ſunt, ſi urbis ingreſſu volens lubénſque abſtinuiſſet. Ea conditio bilem Ludovico accendit, indignanti, ſe velut peſtiferâ afflatum aurâ & contagione metuendum urbe proſcribi: & tales eſſe cives, qui ſe hoſpitem averſentur magis, quàm hoſtem, quíque tanti velint emere, non videre Cæſarem. Mota continuò caſtra ſunt, & Legatis interceptis, ſeptimo die Septembris obſidio admota. Lentius ſpe fuit negotium, oppidanis incommoda omnia virtute egregiâ ſuperantibus. Obſidio futura fuiſſet longior, niſi externâ vi indomitos inteſtina diſcordia domuiſſet. Cùm ij, penes quos erat rerum ſumma, in diverſa niterentur, vicêre, qui oſtentatis pacis commodis magis populares viſi ſunt. Ex horum ſententiâ deditionis tabulæ perſcriptæ, quibus meliores Ludovicus vel victor non popoſciſſet. Cives obſequium profeſſi, Cæſari urbem ſubituro ſexaginta aureorum millia ſunt pacti, modò ne Caſtrucius unà intraret, vel exules obtruderet inviſos. Undecimo Octobris, portis patentibus, Cæſar cum univerſis copijs urbem invectus, comitate morúmque moderatione adeò ſibi plebem devinxit, ut reſciſſis publicè deditionis tabulis aliquantò reſtrictioribus, ſine ullâ exceptione, cives ſe ſuáque omnia ſacramento novo ſponderent. Ultro ſubinde revocârunt unà cum Caſtrucio exules, oblitteratâ injuriarum memoriâ, quò integriùs paci concordiæque conſulerent. Secundum hæc, Cæſar commercia edicto juſſit eſſe libera, & foro promiſcuè omnibus aperto, conſtituit in res promercales vectigal. Verùm illud urbi triſte, cùm ſupra jam addicta ſexaginta aureorum millia, centena altera civibus imperata in militum ſtipendium. Tum demum quaſi proditâ libertate, & perinde atque ſi ſanguinem, quàm pecuniam dare, fuiſſet tolerabilius, auditæ graves querimoniæ, & moleſtior bello pax viſa, quæ tanti conſtitiſſet. XVI.

Triſtius his queſtibus fuit fulmen à Joanne Pontifice 13. Cal. Novembris, diris in Ludovicum repetitis. Nihil tamen aut parùm eo motus fuit, quippe qui in ludos triumphales & perpetuam hilaritatem eſſet effuſus; cùm in ijs apparandis Caſtrucius nullis ſumptibus parceret, & Ludovicus viciſſim in eo ornando, nullum faceret finem aut modum. Vicarij Imperij titulos Francofurti ante triennium collatos, auguſtiore Ducis appellatione permutavit, & veteribus Interimellæ gentis (unde Caſtrucio origo) inſignibus abolitis, gentile ſcutum rhombis Boicis exornavit, ſimul novi Principatûs limites, novis acceſſionibus ampliavit. Demum iter Romanum 18. Cal. Janu. eſt proſecutus, cum tribus equitum millibus: præmiſſi ſexcenti equites, & peditum duo millia, qui exploratis itineribus, hoſpitia opportunè metarentur. Properato opus eſſe Romanorum litteræ legationéſque nunciabant. Enimvero Cæſaris æmulos res novas moliri, quibus niſi ipſe anteverteret, rerum bene gerendarum tempus eſſet amiſſurus. Properanti Vmbro continuis auctus imbribus moram attulit. Cùm pons extemporalis hominum jumentorúmque multitudini traijciendæ par non eſſet, pars magna navibus fuit tranſportanda, ob id opportuna injuriæ, ſi adverſa factio occaſione noviſſet uti.

EXCOMMUNICATIO IN LUDOVICUM REPETITA. XVII.

Anni vigeſimi octavi initio, Caſtrucius cum lectiſſimo equitatu Viterbij Cæſarem eſt aſſecutus. Eundem Roma 7. Id. Janu. læta accepit, nihil morata Pontificis execrationes, quas Cardinalis Urſinus Hetruriæ legatus non Florentiæ modò, ſed etiam in urbe vulgandas curârat. Nonnulli quidem, è ſacro præſertim ordine, nonnihil urbem turbaverant, à legato Joanne Cardinale, à Stephano Columnâ, & Neapoleone Urſino, Guelfarum partium Ducibus, concitati; ſed turbas Sarta Columnius, Jacobus Sabellus, & Theobaldus Sant-Euſtachianus, Romanæ urbis Principes, exactis æmulis, repreſſâque, quam illi conflârant, factione, Romanos compoſuerunt. Cæſar quatriduum in Vaticano moratus, ad D. Mariæ Majoris palatium ſucceſſit. In Capitolium aſcendenti Senatus populúſque Romanus præſto fuit, & Elleranum Epiſcopum ex Eremitanâ D. Auguſtini familiâ, pro Cæſare verba facientem auribus animíſque aviditiſſimis audivit. Cùm eſſet pero-

AN. CHRIST. M. CCC. XXVIII.

XIIX.

ratum, effusus in vota, Regi clarissimè applausit, & Senatorem urbs, Ducémque cum imperio annuo (quæ dignitatum nomina neque prisci Reges fastidierant) salutavit. Spatium omne à D. Mariæ Majoris, ad Vaticanam Basilicam perpetuo aulæorum textu, & quà domesticarum, quà peregrinarum opum ostentatione, exornatum. Pompam regiam duxêre urbis signiferi sublimes in equis ostro instratis. Inaugurandi Cæsaris partes Sarræ Columnio, Buccio Processo, Ursino Ursinio, & Petro Montenigro datæ, qui auro fulgentes cum Præfecto urbis, & quinquaginta duobus Romanæ libertatis custodibus, longè inter Proceres eminebant. Res erat novi exempli, Imperatorem profanis auspicijs fieri; etsi id quoque jure factum Romani vecordes defenderent. Porrò, quòd Comitis Palatij Lateranensis præsentia inaugurationi necessaria antiquis legibus moribúsque haberetur, Cæsar Castrucium auxit eâ dignitate, cùm baltheo manu suâ præcinctum aureâ priùs bullâ donâsset. His rebus peractis, Jacobus Venetus Episcopus, Nepos Cardinalis Pratensis, adjutus ab Episcopo Ellerario, Ludovicum cum Reginâ conjuge consuetis aliàs ritibus initiavit: Sarra Columnius utrique diadema imposuit, ob quod officium, insigni Columnæ coronatæ fuit nobilitatus.

Ludovicus Romæ Augustalia insignia accipit. *Nauclor.* XIX.

Ludovicus Imperator acclamatus, ternas confestim leges tulit, quibus religionis integritati, sacri Ordinis honori, viduarum & pupillorum saluti consultum voluit. Patratis sacris, epulum in Arâ cœli præbuit; pernoctavit in Capitolio. Postridie senatoriam dignitatem, suásque in urbe moderandâ vices Castrucio concessit, & tabulis publicis, quæ adhuc leguntur, Ducis Lucani, & vexilliferi augustalis titulos illi confirmavit. Confirmationi testes adfuêre, Rudolphus Dux Boiariæ Ludovici fratre genitus, Jacobus Episcopus Castellanus, Bonifacius Episcopus Chironensis, Hermannus Lichtenbergius Cancellarius, Henricus Dux Brunsvicensis, Ludovicus Dux Tekensis, Albertus Fridericus Burggravius Norimbergensis, Menhardus Ortenburgius, Otho Truhendingius, Jacobus Claromontius, & ex Romanis Sarra Columnius, Jacobus Sabellus Senatores, Manfredus de Vito Almæ urbis præfectus, & Theobaldus de S. Eustachio. Nihilominus, quæ humanæ cupiditatis indoles est, ne sic quidem omnia Castrucij vota Ludovicus explevit, sed unicâ repulsâ in non maximâ re, tot beneficiorum gratiam corrupit. Nam cùm avarus animus sua erga Cæsarem merita hac ipsâ illius liberalitate metiretur, & acceptis tumens honoribus quicquam sibi negari nefas crederet, pro indignissimo scilicet habuit, quòd sibi pro libertate Vicecomitum supplicanti, próque condonandis mox injurijs, Cæsar non annuisset. Quamobrem ubi primùm à Florentinis captum esse Pistorium cognovit, à Cæsaris latere discessit. Ludovicus ex abitu de offensâ conjectans, hoc quoque irato dedit, ut cum Vicecomitibus in gratiam rediret. Galeacius ad 8. Cal. April. eductus è custodia, ad Castrucium in castra contendit, & libertatis suæ auctori ultimas vitæ reliquias impendit. Nam eodem anno, soluto æstivis caloribus corpore, fuit extinctus.

Apud Freherum ex Ald. Manut.

XX.

Ludovicus, Urbeuetanis ob Guelfæ factionis studium infensus, illorum agrû, immisso equitatu, latè vastavit, urbi etiam imminens circumlatis per vicina castella incendijs. Nec metus major aberat, nisi ista populatio propiore Ludovici periculo fuisset depulsa. Ex Germanis nonnulli 4. Non. Mart. Romanos institores, raptis cibarijs, gravissimè offenderunt: fuêre etiam, qui inter rixas rapinam sanguine & vitâ luerent. Id exemplum cùm ad omnes pertineret, nec dubitaretur vindicatum iri, noxij juxtà innoxiique correptis armis, brevi omnem urbem tumultu impleverunt. Ludovicus, ne latiùs vagaretur popularis furor, suos manipulatim tendentes, sparsósque per contubernia, in unum locum contrahit, occupatóque S. Angeli castello, emissarias cohortes in urbem revocat, quæ forent sibi auxilio, tumultuantibus terrori. Sic detumuit seditio: turbulenta capita, quorum erat crimen manifestius, securi fuêre subjecta. Per idem tempus de Silvestro Gatto Viterbiensi Regulo perfidiæ insimulato sumptum est supplicium. De urbe prodendâ Roberto Regi, agitâsse consilia ferebatur: accusaba-

Tumultus in urbe.

XXI.

cusabatur etiam, cumulâsse opes non optimis artibus, quas pessimo publico prodigeret. Missi proinde confestim cum mille equitibus Cancellarius & equitum Magister, Gattum cum filio in quæstionem abripuêre : pecuniæ indicium haud difficulter extortum, & triginta aureorum millia ex PP. Franciscanorum sacrario, quod illi erat pro ærario, sublata. Gattus tractus fuit Romam in vinculis ad Cæsarem, ut causam coràm diceret. Non defuêre, qui jactarent, Gatto opes fuisse exitio, quæ subinde paupertate sunt damnosiores, sive nocentes videri faciant suos dominos, sive innocentes. Et erant Ludovico causæ, cur innutrita factionibus ingenia suspecta haberet, toties deceptus. Illudebant videlicet Germanico candori homines ad omnem auram mobiles, &pacis fastidio ad perniciem usque laborantes. Richardus Ursinus Romanæ urbis Cancellarius, novus Cæsaris hostis exortus, maritimo Scuri oppido præsidiarios Roberti Regis imposuerat, ut agrum Romanum populantibus, arx illa receptum præberet. Istius facti indignitatem populus Romanus dirutis illius ædibus unà cum elegantissimâ turri vindicavit. Quâ in re, ut suam Cæsari fidem Roma præbuit, ita illud parùm civiliter accepit, cùm triginta aureorum millia, exiguum ex tantâ urbe subsidium, ad sumptus militiæ tolerandos Cæsar exegit, jure utique optimo, cùm non ultro, sed vocatus oratúsque in urbem venisset. Sed populo libertatis mirè studioso, & aurea sæcula sub novo Imperatore expectanti, iniquum visum est, tributum sibi indici. XXII.
Hinc spes mutatæ odijs, & languente fide, nata rerum novarum cupiditas. Eam ut frenaret Cæsar, Aprili mense, novam legem tulit in perduelles, & advocatâ sacri profaníque ordinis concione publicavit, denuntiatis ultimæ severitatis supplicijs in eos, qui sive rei, sive conscij silentésque eo crimine tenerentur. Ea denuntiatio solis metuenda criminosis, etiam innocentes involvit, ne parcens quidem summo secundum Deum in terris capiti Orbis Christiani; quod demum patuit decimo octavo die mensis Aprilis, qui meritò inter nefastos est recensendus.

Tristissimam fabulam egit Ludovicus in Joannem Pontificem XXII. Exornatus Augustalibus insignibus, regióque fultus solio, in gradibus Basilicæ Vaticanæ, toti populo conspicuus, summis utriusque ordinis viris stipatus. Ubi sederat, Nicolaus Fabrianensis Eremitani Ordinis professor, ex formulâ tertiùm repetitâ primam scenam acturus, jussit nomen suum edere, quisquis Jacobi Caducensis (sic per contemptum Pontificis nomen edebat) suscipere vellet patrocinium. Cùm nemo prodiret, Abbas quidam Germanus, indignus, cujus nomen prodatur, prolixâ oratione concionem ad excipiendam impiam adversus Pontificem sententiam excitavit, quæ fuit scena secunda. Orsus ab Imperatoris laudibus, suscepti ab eo rationes itineris explicavit : venisse videlicet, ut Romanæ urbi sua decora restitueret, utque sedem Petri exulantem in æternam suam stationem, ex quâ orbi terrarum dari jura solerent, reduceret. Respiraturam tandem Rempublicam Christianam, si Roma recepisset dudum absentem Majestatem & sceptra, quibus Ecclesia regeretur. Tum multa declamavit in Joannem Pontificem, indigna, quæ pijs auribus exciperentur; denique conclusit, nihil præstari posse utilius ab Imperatore, in cujus sinum Respub. confugisset, quàm si alius terrarum orbi Pater Pontiféxque diceretur.

Schismatis tragœdia.

XXIII.

Recitatis improbi consilij causis, lata atrox in Joannem sententia : data omnibus tribunalibus de ejus capite inquirendi potestas : denunciatum fortunarum omnium periculum omnibus, qui in eo colendo forent constantes. Cæterùm Cæsari curæ futurum, ne orba legitimo pastore Ecclesia quicquam detrimenti capiat : propediem sufficiendum alium, qui se Patrem humanæ gentis meminisset. Tertia hæc scena eò ludebatur fidentiùs, quantò minùs ejus improbitas à Ludovico in fraudem per viros sacros & litteratos inducto intelligebatur. Tanti est studiosè inspicere, quàm probis hominibus, non quibus Doctoribus Principes se, résque suas commendent. Sanè Ludovicum obsessum, circumventúmque scelerati Doctores in speciem sancti, sed damnosè facundi, in hunc famæ pietatísque scopulum impulerunt, tantâ ipsius menti offusâ caligine, ut ne-

que post naufragium videret se periisse, præmiáque sibi promitteret stabilitæ religionis, quam concusserat ab imis fundamentis, per imprudentiam. Nimirum irritatus in severitatem Pontificis, & excussâ patientiâ ferociens, justo faciliores
XXIV. calumniatoribus aures præbuit. Si fraus à sceleratis consultoribus, si à Ludovico error credulitásque nimia abfuissent, hodie ejus candorem, & expertem malarum artium simplicitatem præstaremus. Erit tamen ipse documento Principibus, ne religionis causas ad se inauspicatò revocent: rarò etenim faciunt non bonæ operæ bonum fructum, cùm se ingerunt in messem alienam, Deo plerumque talibus conatibus non adspirante. Ejus factum ita non defendimus, ut irascamur etiam servilibus ingenijs, quibus vel plaudere tunc libuit, vel timido silentio favere tam periculosæ temeritati.

Unus, quod sciatur, Jacobus Columnius, Stephani filius, vir omni laude excelsior, liberam vocem ausus est mittere, & in justâ populi concione quiritari, Ludovici consultores falsò in tabulas retulisse, ab utriusque Ordinis Oratoribus Cæsarem esse interpellatum, ut Pontificem loco moveret: satis enim constare, primaria sacerdotum Collegia, & ex Religiosis familijs optimum quemque, consultò urbe abijsse, ne illi fœditati conciliâsse auctoritatem suâ præsentiâ viderentur. Fæcem porrò reliquam, quæ in urbe restiterit, ut execratam intestabilémque Oratoris aut Syndici nominandi fiduciam non habuisse. Jam cæteros etiam, quorum in turpissimâ actione partes fuerint, diris devotos, à templo pariter & foro submotos, nihil unquam humani divinique rite acturos; idque se necessarijs rebus omnibus, vel duello arbitro, si quis eo velit experiri, ostensurum. Hæc publicè vociferatus, & affixâ ad D. Marcelli Pontificiâ detestatione, citatis equis urbe profugit, lentum insequentium agmen, notis viarum diverticulis & celeri-
XXV. tate facilè frustratus. Proximâ die, quæ vigesima tertia Aprilis fuit, Ludovicus, re communicatâ cum delectis è Senatu populóque Romano, legem tulit, ne quis Pontifex in posterum invito populo, longiore quàm bidui itinere, ab urbe discederet, aut trimestri longiùs abesset, quíque secus fecisset, Pontificatu excideret.

Christi in cœlum ascendentis die, irato Numine, inchoatum nefas fuit absolutum. Petrus Corbarius è D. Francisci Ordine, sacrosancto Petri solio impositus, monstrum ex virtutibus vitiisque ita conflatum, ut summos honores meruisse crederetur, non mereretur tamen, sed delatos fuisset haud dubiè rejecturus, si meruisset. Deferendi hic modus fuit. Cæsar pro gradibus Basilicæ Vaticanæ suâ sede receptus, assurrexit venienti, jussítque in Pontificiâ sellâ considere, tum Nicolaum Fabrianensem ad concionem de re præsenti verba facere. Hic verbis Apostolicis abusus, Act. 12. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me, &c.*

Ludovicum cum Angelo composuit, qui Petrum, captivámque cum illo Ecclesiam Herodi (ita Pontificem improbus appellabat) non sine præsenti numine eripuisset. Cùm finem dicendi fecisset, Episcopus Venetus tertiùm Quirites appellavit; an, quem præsentem aspicerent Petrum Corbarium, Pontificem vellent? Succlamatum vocibus magis, quàm animis, & per speciem publici consensûs, qualiscunque demum auctoritas sceleri conciliata. Corbarius hoc Plebiscito factus Pontifex, authore Ludovico, Nicolai V. nomen assumpsit. Ab eodem an-
XXVI. nulo & purpurâ, aliisque præposteræ pietatis officijs fuit cultus. Ejus rei nonneminem è Cæsaris comitatu puduit. Belgarum animadversa fuit manifesta indignatio, asserentium, Ludovicum nullâ re peiùs, vel de suâ famâ, vel de Ecclesiâ meritum, quàm eo die, quo se optimè de utraque mereri credebat. Tertio à profanâ inauguratione die, spurius Pontifex, ne incomitatus prodiret, nonnullos creavit Cardinales. Ludovicus proximis Pentecostes ferijs ab eo sibi Imperium confirmari voluit, & paulò pòst urbis præfecturâ Reinerio Fagiolano commendatâ, Velitras concessit, elapsis jam per noxias curas rerum gerendarum occasionibus, & provocatâ per inconcessas actiones Numinis irâ.

Res Ludovico adversæ.

Prima à Spoletanis clades accepta ad Narniam, quadringentis equitibus, peditibus mille quingentis cæsis fugatisque. Alibi fames castra afflixit, efferatúmque

que militem in amicos primùm, tum etiam in socios accendit. Belgæ à superioribus Germanis discesserant. Stabant signa signis, castra castris opposita, devota in mutuam perniciem capita, arrectæque ad classicum aures. Ut verò Imperatoris vocem audirent, temporis potiùs ac necessitatis ratio habenda fuit, quàm Majestatis. Ille dirum certamen ut averteret, longè infra suam dignitatem se demittens, promissis, & propè blanditijs, arma furentibus excussit. Tum ne malum recrudesceret inter vicinos, opportuno divortio consuluit; alijs Tibur, alijs Romam subductis, quò denique etiam ipse 13. Cal. Aug. abijt, consilij juxtà ac pecuniæ indigens; quâ sine, nulla in Apuliam via, tametsi eò adspiraret, erat aperta. Siculus enim Rex auxilia spoponderat quidem moturo in Robertum Apulum, sed nulla repræsentabat: fœderati reliqui opes servare malebant, quàm fidem, & fatali Gibellinorum tempore, dum Ludovicus inanibus cæremonijs Romæ tempus perderet, Guelpharum partium vires indies magis magísque creverant. Et jam non erat, cur se Cæsar Romanis mœnibus vel animis crederet. Ergo pridie Non. Aug. inter improba populi vota, & dictu horrendum, inter volantia saxa Viterbium abijt. Deus videlicet Ludovicum admissi facinoris monere, & ab ejus latere spuriùm Pontificem ac Cardinalium umbras volebat avellere. Fuêre etiam grassatores nocturni, qui, more castrensi, datâ tesserâ, vicos obirent, & si quem Ludovico non inimicum haberent obvium, extemplo jugularent, aut jactarent in Tiberim. Consilium erat omnes Cæsaris clientelas extinguere. Sævierunt etiam in sepultorum cadavera, quæ uncis in flumen raptanda procaci pueritiæ objecerunt. XXVII. Tumultus Romani.

Urbem desertam Bertholdus Ursinus & Stephanus Columnius mox occupârunt, quibus cùm etiam Napoleo Cardinalis se junxisset, nihil ad infamandam Ludovici memoriam omisêre, ipsis adeò tabulis beneficentiæ ejus in Romanam urbem testibus, in favillas redactis. Cæsaris miles, ne otiosus Viterbij desideret, continuis excursionibus agrum Urbevetanum infestum habuit. Reperti in oppido cives, qui pecuniâ corrupti, spoponderant, se portas ipso Assumptæ Virginis die, dum reliquus populus pietati vacaret, aperturos Cæsarianis: & actum erat de oppido, nisi tempestivè proditio venisset in lucem. Cæsar eâ spe falsus, Tudertum abijt; & alterâ copiarum parte Oetingensi Comiti, alterâ Magistro Equitum attributâ, Guelphorum opes, vastato latè agro, attrivit. Constituerat etiam Florentinos Roberti Regis socios evertere. Id si fuisset consecutus, nulla per Etruriam civitas fuisset detrectatura jugum, eâdémq; operâ Robertus magnopere affligendus videbatur. Id consilij classis Petri Siculi Regis seriùs Cornetum appulsa discussit. Cæsar illi profectus obviam, & querelis inutilibus cunctatorem obtundens, id quoque tempus seris deliberationibus perdidit. Accessit ad vetera incommoda Castrucianæ defectionis nuncius, de quâ eò minùs dubitatum, quò recentior erat indignationum memoria. Nam Pisas in sua verba adegerat, ejecto Comite Oetingensi, vel, quod aliqui suspicabantur, aureis hastis superato. Idem Florentinos, Ludovici hostes capitales in societatem novi fœderis pellicere ferebatur: paulatim Cæsari evadebat metuendus, nisi cœptam perfidiæ telam Superi mórsque ipsius abrupissent. Pistorium in suam potestatem redegerat, cùm exustus æstivis caloribus, morbo ultimóque fato prohibitus, victoriæ fructum non cepit. Ultimis mandatis supprimi famam mortis suæ, immo & luctum voluit, donec Pisanum imperium Henricus ejus filius sibi stabilisset. Id cùm cecidisset ex voto, Cæsar, insignem injuriam & violatos amicos ulturus, omnia posthabuit urbis nobilissimæ recuperationi. Eò dum properat, Marsilius Patavinus sui sæculi pestis, quo antesignano peractum est, quidquid in Ludovico reprehendimus, spiritum infelici morte evomuit. Scripta reliquit adversa Christianæ sanctitati, hodiéque spirantia auctoris impietatem. Conjuratorum proditio. XXIIX. Castructius a Ludovico deficit. Moritur. XXIX.

Quinto decimo Septembris, ad Grassetam Ludovicus castra posuit, eodémque Petrus Siculus, occupato Telamonis portu, accessit. Ibi quatriduum absumptum, exiguo ad famam emolumento; nam tametsi numero cives obruerentur, virtute

virtute tamen civitatem servârunt. Jam Ludovicus Pisis imminebat, cùm fama adventantis cum magno apparatu, Henricum Castrucij F. expulit. Ergo Cæsar triumphi specie urbem ingressus, Tarlatino Tarlato moderandas libertatis publicæ habenas dedit, dimissisq; Siculis & Genuensibus, totam Castrucianæ proditionis scenam detexit. De supplicio inferendo cogitantem Pina Castrucij vidua placavit tempestivâ sibi suisque munificentiâ. Sed non sedavit Lucensium iras, qui non antè tumultuari desierunt, quàm redactis in ordinem Castrucianis hæredibus, in suam eos clientelam Cæsar recepit, Burggravio cum potestate illic relicto. In eo præficiendo Cæsar fuit deceptus. Ille enim mox cum Castrucianis caput conferre, eorum ambitioni faces subijcere, ultro vocare in partem imperij, pòst ambire eorum affinitatem fuit compertus. Eæ technæ utrisque exitio fuêre: ille novæ dignitatis fastigio dejectus: hi paternæ dignitatis titulis spoliati, imperio simul patriâque fuerunt depulsi.

XXX. Belgarum defectio. Per idem tempus, Belgarum nuper sopita seditio recruduit acriùs. Octingenti equites, & ex nobilitate factiosissimus quisque, idémque egentissimus, occupandæ ex improviso Lucæ spem conceperant, non omnino irritam, si consilium invadendi in arcano sanctiùs habuissent. Venientibus ergo urbs non patuit: eapropter suburbanus ager impetum excepit. Cùm sibi receptum, & servandis prædis spoliarium quærerent, locus à Castrucio olim munitus in Cæruleo Reconciliatio. monte placuit. Illic rapto viventes, operam suam Florentinis venditârunt, à quibus spreti, iterum ad Cæsaris se gratiam applicuêre, negotio tantò faciliore, quòd in non maximâ militum copiâ, Cæsar nollet fortium virorum defectione An. Christ. M. CCC. XXIX. augeri vires hostium, suas minui.

Sub anni finem, & vigesimi noni initium, spurius Pontifex, favente Ludovico, irritis execrationibus Joannem legitimum Ecclesiæ caput nequicquam appetijt. Ardentia jam olim odia ampliùs Michaël Cæsenas, & Wilhelmus Occamus accenderant, viri in D. Francisci familiâ præclari, quippe quam prior universam Cæsenas et Occam Ludovico suam locant operam. rexerat, alter admirabili ingenio, & novis sapientiæ inventis, multò quàm antea reddiderat celebriorem. Hi Pontificem legibus suis moribúsq; infestiorem experti, ne quid acerbius paterentur, Avenione profugi, in Ludovici fidem tutelámque concesserant, inepti malæ causæ Atlantes, & abortivo Pontifici, quem nuper inter suos cucullatum viderant, magno (si Divis placet) usui futuri, tum calamo, tum declamationibus. In Avenionensi curiâ vices Corbario redditæ, Joanne in hunc fulminante validis dirarum missilibus. Nondum tamen Corbarius pertinaciam posuit. Frigebant interim vera bella, tametsi hostis non deesset.

XXXI. Beltramus Balzius cum Regis Roberti copijs, Pisanorum agrum populabatur impune. Urbi opem flagitanti stipendium imperabatur: at illa, ut domi forisque compilata utrobique periret, ægriùs avarum hospitem, quàm rapacem hostem est experta. Non augebant hæc reverentiam Cæsareæ Majestatis inter amicos, nedum apud illos, qui olim vim metuerant. Et corrupta delicatis hibernis Proditio Florentiæ detecta. magnanimitas, veniebat in contemptum. Serviebat tamen subinde otiosis cessatoribus, vel imponebat veriùs, aliena perfidia. Ita Vgolinus quidam, Florentiam traditurum se pollicitus, jam malleolos, aptámque corripiendo igni materiam, diversis urbis regionibus sparserat, habebátque ad manum conjuratos, quorum alij facibus, alij ferro, securibus, malleis, ad molienda portarum claustra, & revellendos obices, operam condixerant. Propositum erat, gliscente incendio, mille Cæsarianos equites cum totidem peditibus, quos à tergo jumentis impositos veherent, intra mœnia recipere, & vitam felicitatémque Imperatori acclamare. Pistorio reliquum exercitum Magister equitum debebat educere. Sed vigilavit Deus pro Florentiâ, & patriæ perduelles mactandos dedit meritis supplicijs.

Inauguratio Vicecomitum. Secuta est Vicecomitum inauguratio. Joannes Matthæi filius purpureo galero, & legatione Lombardicâ ab Antipapâ fuit donatus: Azo Galeacij filius, XXXII. Principatûs Mediolanensis insignibus auctus ab Imperatore. Pompæ imaginem, post

post id temporis opere statuario, Azo in D. Gotthardi æde, quo loco sepeliri voluit, repræsentavit. Idem in præsenti magnam adduxit auri vim. Ea militibus, qui in Cæruleum montem secesserant, potiorem partem erat numeranda. Verùm Burggrauius, cui eius distribuendæ provincia erat demandata, ex primâ pensione, viginti quinque aureorum millia intervertit. Facinus eius indignum natalibus, & Ludovici rebus perincommodum, quibus cœlum ipsum esse inimicum videbatur. Spurius enim Pontifex ad execrandos communes æmulos, Joannem videlicet XXII. Robertum Regem & Florentinos, diem duodecimum ante calend. Martias delegerat. Jam diri carminis recitandi Pisis fiebat initium, cùm ventorum prælia in aëre excitata, ruptæque nubes, permixtam grandine pluviam effuderunt tantâ violentiâ, ut Pisani iratum furioso Corbario cœlum, & sibi quoque, si insanienti favere pergerent, interpretati, sese intra suos parietes continuerint, nihil reveriti iussa Cæsaris iterata, ut præsentes adessent execrandæ cæremoniæ; æquè parùm morati Mareschallum, qui multo cinctus satellite, vicos obibat, protracturus per vim è suis latebris latentes cives. Miser Mareschallus id operæ suæ præmium tulit, ut in equo pene obrigescens, sub noctem in balneum fouendo corpori ingressus, fortuito correptus incendio, solus perierit, cæteris intactis. Talibus prodigijs Deus homines factiosos vecordiæ admonitos revocabat ad mentem. Proximo mense Lucæ tumultuatum est. OMINOSA COELI FACIES IN ANTIPAPAM CORBARIUM.

Poginghi homines clari, sempérque ob libertatis studium Poplicolæ habiti, cum Interminellis, unde Castrucijs genus, digladiabantur; Castrucios videlicet oppugnabant, qui ad continuandum parentis dominatum, eúmque tradendum posteris, apertè grassabantur. Verùm Poginghi (ut fit in bellis ciuilibus) tametsi pro asserendâ æquitate certarent, & evertendâ Tyrannide, iisdem tamen artibus, quibus Tyrannidis assertores, utebantur, minore quidem inuidiâ, sed pari propè Reipub. damno. Cæsar simultati arbiter intercessit, & disjecto ambitionis certamine, Castrucij filijs ademit spes improbas, & Poginghis occasionem turbandæ patriæ, ferocioribus actis in exilium. Tum Francisco Castracano summam imperij Lucensis viginti duobus aureorum millibus emptam tradidit. LUCENSIUM TUMULTUS. XXXIII

Quæ apud Lucenses detonuisse videbatur tempestas, iisdem agitata turbinibus paulò post Pistorium corripuit. Castruciani pari cum ciuibus jure viuere nescij, eam ingressi urbem, ab insanâ plebeculâ ijs fuêre plausibus excepti, quibus solent imperantes. Hoc decepti fuco fasces corripiunt. Coorti adversum Gibellinarum partium Principes, clientelas suas excitant: è diverso civitatis erga Imperatorem studia accenduntur. Concurritur strenuè; communem causam armis alij, alij clamoribus tuentur, donec submissæ à Cæsaris Vicario validæ cohortes, regulorum copiolas conciderunt, fugarúntque. Cæsar, rebus compositis, Ludovico Teckensi Modoëtiensem Præfecturam concessit, rem Principi quidem securiorem, sed genti exteræ semper odiosam; cùm nunquam credat se benigniùs, quàm à suis popularibus gubernari. Teckensis, Modoëtiæ Senatores vocatos in arcem inuitauit ad dicendum Cæsari sacramentum, summa omnia de eius voluntate pollicitus, quippe quí passurus nunquam esset, ut ullius Regum gratiorem memoriam, quàm ex præsenti Cæsaris beneficentiâ sint habituri. Bene animatis Azo Vicecomes suam perfidiam affricuit: tam illuserat Cæsari nuperâ modestiâ, & juratis in posterum obsequijs. Hortatus est senatores, ne iugum acciperent: copiam enim iam adesse firmandæ libertatis: nihil à Cæsare posse præstari utilius, quàm si fines eorum nunquam contingat: eo semel recepto, seram de tam graui hospite & tot armatis fore pœnitudinem: quod si verò is non invitatus ingratúsque se ingerat, alio quàm optet modo, exceptum iri. PISTORIENSIUM DIGLADIATIO. Corius. XXXIV PISTORIUM, MODOETIA, MEDIOLANUM, LUDOVICUM MORIBUS EXCLUDIT.

Non latuit Cæsarem improbum Azonis consilium. Placuit nihilominus capere nouæ istius hospitalitatis experimentum. Igitur è vestigio Marcariam Mantuani agri oppidum profectus, Canem Scaligerum Veronâ, Franciscum Ruscam Como, cæterósque suæ factionis Principes Cremonâ, Mantuâ, & Vicentiâ euocat, & sanctissimis Christi patientis ferijs adhibet in colloquium. Actum de petendis

bello Mediolanensibus. Credas Deo intempestivas curas cordi non fuisse; certè successus gratas fuisse negauit. Modoëtiæ accessum (quò primum Ludovicus iter intenderat) insolita Lambri fluminis eluvies prohibuit: eques vadum tentare ausus, in oculis exercitûs haustus est. Aquis non detumescentibus, copias per Aliensem pontem, septimo â Modoëtiâ lapide traduxit. Sed locum, non fortunam mutauit. Modoëtia, verborum suauitate, Cæsaris iras permulsit, & extra mœnia detinuit frustra minitantem. Mediolanum in exiguas eius vires solo contemptu pugnauit. Pauxillum denique pecuniæ sedendo potiùs quàm obsidendo fesso militi obiectum, languidam soluit obsidionem, & Azonem reposuit in pristinam dignitatem, cùm nonnullâ notâ Cæsareæ lenitatis.

XXXV. Sed quod per id tempus Papiæ edidit exemplum, meretur apud posteros eximiam laudem præclaræ probitatis. Nimirum eâ urbe receptus, Rudolphum & Rupertum fratris filios, atque illum, qui ex Adolpho eorum fratre nuper extincto Rupertus quoque nomine supererat, divisis ex æquo, novâ sortitione Provincijs, in omnia Principatûs jura ultro restituit, nihil moratus fraterna Rudolphi eorum patris odia. Factum, cuius ipse sibi autor fuerat, admirantibus solebat dicere; ad peccantes pertinere vindictam; innocentibus non debere imputari culpam alienam: neminem esse tam feliciter natum, qui in suis majoribus non numeret aliquem â lineâ exorbitâsse; bona â maioribus quæsita, non autem supplicia, debere esse hæreditaria. Capiebatur videlicet præstanti indole & formâ egregiorum juvenum, quæ quantamvis fortunam deceret, quibus pater nihil præter sanguinem dederat, cùm mores â Patruo viderentur accepisse. Et verò etiam sub illo stipendia fecerant, ut coronam, quam pater Ludouico inviderat, ipsi defenderent. Juverit potissima pacti capita, quibus Ludovicus credebat staturam inter posteros concordiam, cognoscere, hoc etiam loco; tametsi jam sæpius in lucem prodierunt. Primùm ergo, quidquid terrarum oppidorúmque vel Rhenus intermeat, vel per Boicam, Sueviam, Austriámque sparsum, fratribus olim communiter, tum verò soli Ludovico patebat, bifariam divisum est, velut ad novam sortitionem, cui tamen subijcere liberalitatem suam Cæsar noluit, sed optionis primas fratris filiis concessit, utique inter beneficia positutis, quicquid patruus dedisset. Illi usi humanitate in patris portione acquiescunt, & indiculum urbium castellorúmque in tabulas referunt: quædam indivisa relinqui placuit, æquali jure utrorumque hæredibus

Ex. Archiu. Monac. Andr Presb. Freher.

LUDOVICUS CUM NEPOTIBUS, RUDOLFI FRATRIS FILIIS, PACISCITUR.

Archiu. Elect

XXXVI. cessura. Adiuncta futuræ amicitiæ vincula: Videlicet, *Opem sibi mutuò, quoties usus posset, ferunto: Provinciam, quantam acceperint, servanto: si quid venale necessitas fecerit, cognatis venundanto. Bonis oppignorandis permutandisq., ne mutuò incommodanto, néve ingratum vicinum alterutris obtrudunto: Clientes in fide patronorum retinento, neque horum potentiam transferendis sedibus, & emigratione imminui patiuntor. Suffragium in Comitijs Imperatorijs alternis ferunto. Ea vicissitudo perpetua esto; qui interruperit turbaueritq., jure suo cum omni posteritate exclusus esto. Quorum in Comitijs vices erunt, cognatorum causam agunto, illorum jura eâdem fide, quâ sua sibi salva volunt, sarta tecta seruanto. Vtra geminarum stirpium prior defecerit, alteram potentiæ hæredem habeto. Litium, si quæ inter Provinciales utriusque gentis orientur, finiendarum causâ prætores mutuo consensu diem dicunto, & reo quatuor arbitrorum, actori trium nominandorum potestatem faciunto, eorúmque arbitrio sententiam attemperanto. De causis gravioribus Principes cognoscunto, & ad patrocinium æquitatis suorum met Provincialibus viribus compelluntor.* Hæc aliáque pluscula jurisjurandi religione magnísque testibus, quin etiam proprijs Septemvirûm Imperij tabulis firmata sunt: quibus cùm cætera omnia accuratè, tum quæ de alternandis suffragij Imperialis vicibus constituta sunt, gravissimis verbis

XXXVII. sacrosancta esse iubentur. Supersunt in eam rem testes, Henrici Moguntini, Balduini Trevirensis, Rudolphi Saxonis, Rudolphi Brandenburgici, & Regis Bohemiæ, Electorum Imperij, tabulæ.

Porrò

Porrò Ludovici ex Hetruriâ diſceſſus, ut Lombardicis motibus tranquillitatem non attulit, ita Hetruſcis rebus nouandis, miſcendíſque peropportunus fuit. Initium Germani dedêre, quos à Ludovici ſignis in Cæruleum montem perfidia abſtraxerat. Hi imperio ad Marcum Vicecomitem, quem obſidis loco penes ſe habuerant, delato, corruptis arcis Lucenſis præſidiarijs, eâ haud gravatè recipiuntur. Revocant ſubinde ab exilio Caſtrucij filios, cædi alia, alia prædæ deſtinant, juris omnis, niſi quod in gladio ferrent, obliti. Lucenſes exitium voluntariâ deditione redimunt: alij reluctantes extremis calamitatibus afficiuntur. Marcus partam qualicunque ſorte Lucam, turpiùs poſtea, velut ſub haſtâ, venditavit, & quidem minimo addictam: octoginta enim aureorum millibus venalem expoſuit nobiliſſimam Rempub. ſi quem emptorem inueniret. Piſani nihilominus haudquaquam tali exemplo territi, ex Inſtitoris huius, veriùs quàm militis, manibus libertatem ſibi polliciti, eius operâ ſunt uſi ad eijciendum Cæſaris Legatum & præſidium. Non multò pòſt, ipſi Florentinis prædæ fuiſſent obijciendi, niſi Marci molitionibus divina Juſtitia interceſſiſſet. Proditionem molienti, fuga ſupplicium non abſtulit, ſed diſtulit. Azo transfugam Mediolani nactus, laqueo ſtrangulatum de palatij feneſtrâ præcipitavit, factus patrui ſui carnifex. Quâ in re ſuſpicionibus ſuis obſecutus, non omnino vana inſidiarum argumenta ſuo facinori prætexuit quidem, ſed læſæ humanitatis opinioni & invidiæ vulgi, immane factum deteſtantis, non ſatisfecit. Probabilior fuit defenſio, cùm profeſſus eſt, ſe non tam ſuas iniurias, quàm patris ſui calamitates, quarum Marcus auctor fuerat, ſimul etiam Marci in Cæſarem perduellionem vindicâſſe. Certè facti ſui aliam rationem reddere non eſt coactus, ſed eodem menſe (September is fuit) quo ſe patrui ſanguine contaminârat, ampliſſimam dignitatis ſuæ confirmationem à Cæſare impetravit. Dena illi primùm aureorum millia ſtipendii annui loco è Mediolanenſibus vectigalibus conſtituta: libera deinde provincia tradita nullo militari præſidio citra eius aſſenſum oneranda: Bergomo & Novariæ, immunitas, delictorúmque venia conceſſa.

Belgæ rurſus novas res moliuntur.

Marci Vicecomitis exilium. *Bzon. Anno 1329. n. 11.*

XXXVIII.

Viciſſim id oneris Azoni impoſitum, ut Cæſaris ærario inferret duodena aureorum millia in menſes ſingulos: ut ducentos equites ſuo ære aleret, qui Cæſarem, ſi uſus ferret, extra Germaniam ſequerentur: ut eoſdem cum Cæſare amicos hoſtéſque haberet: cæteroqui vetera odia oblivione delerentur.

Azo, recuperatâ Ludovici gratiâ, etiam Pontificiam ambijt, tanto officiorum temperamento, & ſimulandi dexteritate, ut apud utramque factionem non inſcitè duabus velut ſellis ſederet. Nihil per ea tempora fide rarius fuit. Vnus totius Italiæ ſtatus mutabilis in horas, & compoſitus ad nutum inconſtantis fortunæ, nullâ famæ aut virtutis curâ. Parma, Mutina, Regium, cùm Pontificijs partibus nuper acceſſiſſent, ſua ad Ludovicum ſtudia retulêre. Cauſa defectionis fuit, quòd Pontificis Legatus, Rolandum Rubeum Parmæ dominum fide publicâ Bononiam pellectum, in vinculis attineret. Cæſar decimo ſeptimo Novembris, Cremonâ Parmam profectus, civibus in fidem receptis Marſilium Rolandi fratrem juri dicundo præfecit. Parmæ exemplo etiam Mutina & Regium ad Cæſarem redière. Nutabat quoque Bononia imperij Pontificij pertæſa, & incenſa ſtudio rerum novarum. Magni duces trahebant mobile vulgus ad vòluntariam deditionem, ſed plures in conſpirationis conſcientiam aſſumpti, quàm ut poſſet latére. Multi ex illis addicti ultimis ſupplicijs. Cæſar Bononiæ occupandæ ſpe deceptus, Parmæ, Mutinæ, Regióque muniendis animum intendit, & ultimo anni menſe, Gibellinorum nobiliſſimis comitantibus Tridentum abijt, cum Carinthiæ Duce, & Germaniæ optimatibus conſilia initurus de ſupplendo exercitu, & Guelphis majore apparatu appetendis. Interea de morte Friderici Auſtrij nuntij allati ſunt. Cuſpinianus prodidit medicatam potionem ipſi à milite propinatam. Miles videlicet ut Friderici gratiam haberet perpetuam, eam amatorio poculo voluit demereri. Verùm

Italiæ ſtatus.

XXXIX

VVilhelm de Cortuſ.

An. Christ. M. CCC. XXX.

malè vertit, quòd philtrum inscitè temperatum putrescenti corpori lethiferam dysenteriam invexit, & necem Idib. Januarij. Ea fama Ludovici consilia mutavit, ipsúmque Germaniæ reddidit, post triennium in Italia datum rebus improsperis, & inauspicatis. Sæpe isthic locorum cum hominum perfidiâ & ærarij angustijs luctatus: sæpe inter minutula prælia, languidas obsidiones, rixásque parùm plausibiles occupatus, parùm sibi gloriæ peperit: sed ne crevit quidem ex adeptis Romæ Imperatorijs insignibus, gloriosior futurus, si ea in meliores modos distulisset. XL. Nullûs gravior innocentiæ ipsius scopulus, quàm intrusum Pontificij Idoli dedecus, quod laboriosissimam sumptuosissimámque eius expeditionem labefecit. Inter hæc Ludovicum filium, Romanum cognomine, ex Margaritâ conjuge, Romæ suscepit.

Histor. de Monasterijs Bavar. *Hundius in Metrop.* FUNDATIO MONASTERII ETALENSIS.

Memorabile est, quod referunt tabulæ Monasterij Etalensis, & Andreas Presbyter Ratisbonensis. Cùm Ludovicum Imperatorem, exhausto ærario, sumptus ad reditum in Germaniam deficerent, Monachum quendam, vel certè sub monachi specie latentem Angelum, graviter solicito memorant spem fecisse, fore, ut ex ea rerum difficultate emergeret, si redux in Germaniam, Monasterium in Deiparæ Virginis honorem Deo dedicaret in Ampherang loco Boicæ ditionis; attulisse simul eundem illum monachum Virginis imaginem ex alabastrite, pollicitúmque, Deo res Ludovici cordi fore: exinde Cæsari votum nuncupanti faciliora omnia & prona fuisse, affluentibus ex insperato opibus, & mortalibus etiam, post placatos Superos, longè quàm antè æquioribus. Addunt, in Boiariam regresso, ab Henrico Vendio venatore, fundi Ampherangensis eousque Ludovico ignoti factum esse indicium: illo confestim repurgato, mense Aprili, jacta magnæ molis fundamenta: post biennium duplicem inductam esse coloniam, alteram viginti virorum D. Benedicti legibus devotorum, alteram tredecim torquatorum equitum, qui, emeritis stipendijs, uni Deo deinceps unà cum conjugibus militarent. Utrisque necessaria ad vitam subsidia, pia Cæsaris liberalitas largè comportavit. Militare contubernium pridem solutum est, sive insolens sanctioris otij turba mores ad normam, quam Cæsar statuerat, exigi non sustinuit; sive uxoriæ lites, & discors illius sexûs genius, concordiam abrupit; sive denique Ludovici beneficentiam posteritas minuit, & gratuitam militibus annonam subtraxit. Monasterium hodiéque floret & numero, & sanctioris disciplinæ observatione.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS II.
LIBER III.

Irritæ ad Ioannem XXII. & Benedictum XII. pro Ludovico Legationes. Ioannes Bohemiæ Rex variam in Italiâ fortunam expertus, se bellis implicat, fitque Ludovico hostis. Sanctio Renseana de electis Cæsaribus. Vtraque Bavaria in unam ditionem conflatur. Ludovici fœdus cum Gallo. Variæ ejusdem fundationes. Agnetis ejus filiæ vita, finisque laudabilis. Turbæ Danovverdanæ.

FRiderico Austrio è vivis sublato, stabiliendæ in Imperio Germanico pacis desiderium spésque successerat, tantò majore expectatione, quòd ambitiosa Regum odia, & accensæ æmulatione simultates, quantumvis sopiantur fœderibus, vix extinguuntur tamen nisi funeribus. Nullus jam apparebat contentiosæ litis hæres, resoluto tergeminûm fratrum Austriacæ gentis Geryone, quod nomen Fridericus, Leopoldus, Henricus, Principes ad summa omnia nati, non magis sanguinis nexu, quàm animorum virtutisque ad maxima quæque connitentis consensione merebantur. Supererant quidem Otho & Albertus, Friderici fratres, sed utrumque genius quietis quàm belli amantior, è fraternis studijs publicisque turbis jam olim submoverat; & Otho insuper Boico sanguini per affinitatem innexus, extinctâ licèt conjuge, pactæ amicitiæ conjunctionisque admonebatur, ne minimè lacessitus se in bellum induceret. Quiescentem excitavit Joannes XXII. addicto quinquaginta millium florenorum ad belli sumptus stipendio, & pollicitus prætereà, nullum se Germaniæ Episcopum, nisi ex voluntate Othonis daturum. Hâc illecebrâ præsentibúsque Bertholdi Argentinensis, & Rudolfi Constantiensis auxilijs confirmatus, ductisque in Alsatiam copijs, Columbariæ obsidionem admovit. Magnanimis cœptis frigidam infudit insperatus Ludovici adventus, cum valido ex-

An. Christ. M. CCC. XXX.

I.

Rebdorf. Vita Carol. IV. Alb. Argent. in vita. Bertholdi. Argent.

II.

Ludovicus

BELLO AB OTHONE DUCE AUSTRIÆ LACESSITUS, do exercitu. Ne veniretur ad manus, intercessit Joannis Bohemiæ Regis opportuna dexteritas. Persuasit bonus pacis conciliator, ferociam concordiâ mutarent: meminisset Cæsar pristinæ amicitiæ, & affinitatis, quam Otho tot annis coluisset; cogitaret Otho, rem esse cum Cæsare & signis victricibus, quibus ante septennium ipsius fratres infeliciter obstitissent. Utrumque pacavit Rex, orator impetrabilis: sed Cæsari sua humanitas potiùs, quàm aliena facundia vim intulit. Suis enim moribus obsecutus, justas iras clementiæ subiecit, cavitque sedulò, ne in ferendis pacis conditionibus, vindicis potiùs quàm patris personam gessisse argueretur. PACEM FACIT. Primùm Benfelda, quam Comes Wirtenbergius Ludovici castra secutus, de Argentinensi Episcopo ceperat, priori domino restituta. Keisersperga Bohemi fidei credita, navatæ eâ expeditione operæ pretium. Otho ipse, quanta sperare victor non poterat, præmia impetravit. Brisacum & Neoburgum ex eo tempore Austriacis fuerunt contributa, insigni potentiæ incremento. Hagenoënses tabulæ Othonis & Alberti fratrum nomine scriptæ, mera benevolentiæ signa præferunt. Earum summa est: *Tabula ex Archiv. Elect.* *damna mutuò accepta, illataq; oblivione sepeliuntor. Captivi in libertatem restituuntor. Gundelfinga, & quidquid Ludovico vi malisue artibus subtractum est, ad eundem redito. Cæsar Austrijs fratribus avita jura confirmato. Villingam urbem ijsdem beneficiario jure possidendam attribuito. Suppetias invicem adversus quemcunque hostem ferunto.* III. *Ecclesia Catholica, Bohemiæ Rex, totum collegium Septemvirûm, Carinthius, Boijq; Duces, Salisburgensis, Passaviensis, Brixinensis, Wurceburgensis, Argentinas Antistites, eximij sunto, neque nomine hostium censentor. Redintegratæ gratiæ fructum communes inprimis clientes ferunto, & patronis benignis utuntor. Iure apud Cæsarem acturis faciles aures prabentor. Pacta conventa, vti & fœdera adversus Cæsarem icta, irrita sunto.* Hæc 8. Id. Augusti mutuò stabilita consensu; etsi multò antè erat ab armis discessum, neque de illâ duntaxat lite, sed etiam de placando Pontificis animo summâ industriâ actum fuerat. Litteris primùm, deinde honestissimâ legatione, quam Bohemus, Gallicæ affinitatis fi- *Bzou. an. 1330* duciâ, cum Archiepiscopo Trevirensi, & Othone Austrio adornaverat, commune orbis terrarum desiderium fuit explicatum. Godefridus Comes Liningius, Simon Philippi ex ordine equestri, Guilielmus Pinchonius, & Nicolaus Mestorfius, ambo sacerdotijs inclyti, eo munere functi; fidem dabant LEGATI AD PONTIFICEM PRO LUDOVICO CÆSARE. Pontifici, si paternum in Ludovicum animum sumeret, obsequente eo & morigero usurum. Nullam in eo moram fore, quòminùs redacto in ordinem Pontificij honoris æmulo Nicolao, ipse plebi Christianæ solus imperet. Ludovicum suas illi sive injurias sive querelas condonaturum, ejuratâ appellatione. Quæ adversus Pontificem, & sacrosanctam nominis ipsius Majestatem acta essent, omnia rescissurum: non detrectaturum pœnitentis personam, sed agniturum se excessisse, & sententijs excommunicationis fuisse ligatum.

Pontifex 2. cal. Augusti per litteras Avenione datas respondit in hanc sententiam. Non dubitare se quidem de Regis, aliorúmque Principum, qui sequestres IV. Bavari causam agerent, sincerâ voluntate, sed futurum fuisse gratum admodum, si ipsi priùs Bavari conditionem, & ingressum in Imperium attentiùs expendissent; eo enim perspecturos fuisse, ipsum jure merito dignitate motum, si quam sibi ex electione quæsivisset. Enimvero eum M. de Paterna, & Joannem Jandunum, libri hæretici autores, in suam fidem ac clientelam recepisse, & errorum disseminandorum potestatem fecisse. Eo factum, ut velut hæreticorum fautor publicè damnaretur, cúmque non resipisceret, in hæreticorum album referretur. Eundem Petro Corbario autorem fuisse invadendi summum orbis Christiani fastigium, atque ab eo accepisse consecrationem, non nisi sanctissimæ electioni maximisque virtutibus debitam. Eo facinore vulgâsse manifestum scissæ Christianæ concordiæ exemplum. Quid, quòd immaniter fuerit grassatus in fideles Ecclesiæ Catholicæ clientes, in res sacras, in opes Ecclesiarum & sacerdotia, quæ ausus sit hæreticis & schismaticis, depulsis per vim Catholicis possessoribus,

imper-

impertiri? Hæc non esse ejusmodi, quæ Imperij coronâ sint remuneranda. Habere ipsum etiamnum suorum facinorum satellites & incentiva, Jacobum Castellanensem olim Episcopum, Michaëlem Cæsenatem, Guilielmum Okamum, Bonamgratiam Bergomatem: fovisse verò, quoad licuit, Marsilium Patavinum, pessimorum consiliorum architectum. Hos omnes esse pessimis institutis hæreticos, in Ecclesiæ Romanæ perniciem armatos. Non esse illi concedenda auspicia, sub quorum umbrâ peccet licentiùs, & jactet, se pontificiâ manu & auctoritate armatum, bella cum pietate & piorum cœtu gerere. Quæ nobis pollicetur, nullam (inquiebat ille) prorsus spem melioris frugis ostentant. Destruet Idolum, quod erexit: atqui Corbarius sese ipse jam ad pedes Pontificios abjecit, & si adhuc staret, tamen ejus depositio ad Bavarum non pertineret.

Recedet à suâ appellatione; cui nihil, tametsi non recedat, omnino est deferendum. Revocabit acta contra Ecclesiam Romanam, & summum Ecclesiæ præsulem: recognoscet, se excessisse, se diris fuisse devotum, implorabit Pontificiam misericordiam: verùm ista omnia non sunt signa animi verè pœnitentis, quamdiu malè quæsito Imperio potietur. Sed quo jure se volet dici Imperatorem? si veteri & malè parto? Imperium iniquus possessor occupabit: si de novo jure cogitat, non intelligit voti sui inanitatem, cùm nemo Tyrannus, sacrilegus, piorum cœtu extorris, capax sit suffragiorum, quibus patefit aditus ad culmen Imperij. Potiùs igitur de alio, qui ad illud evehatur, esse cogitandum. Quòd si Bavarus, positis fascibus, ad Ecclesiæ gremium velit redire, sinum Pontificiæ misericordiæ fore ipsi patentem. V.

Hæc iræ Pontificiæ argumenta vulgata per Germaniam, quibus animis accepta sint, facile est conjicere. Credibile est Ludovico dicta excidisse, qualia Mutius scribit in Comitijs Norimbergensibus & Spirensibus esse audita. Multum erat, revocari in dubium, an sibi Ludovicus per electionem suffragiorum numero potiorem, jus aliquod quæsiisset: plus erat, exagitari ut hæreticum, qui sibi erat conscius, nunquam venisse in mentem, ut à Christianâ fide & avitis ritibus ullâ in re dissentiret: nec etiam credebat se esse promeritum, ut è summæ dignitatis fastigio moveretur: tantum abesse, ut, quod habuisset, haberétve cum viris doctissimis, & probitatis opinione conspicuis, commercium, culpam ullam exaggeraret; ut etiam siqua esset, vel prorsus tolleret, vel plurimùm elevaret. Quid à ratione alienum, si Princeps armis potiùs, reique publicæ, quàm libris assuetus, aures mentémque accommodâsset, in ijs, quæ ad juris sui defensionem spectarent, magni nominis Jureconsultis; in ijs, quæ ad Deum & religionem, illustrissimis Theologis, quorum doctrinam vitæ severioris, & sanctitatis professio commendaret? si quid talibus authoribus peccârit, peccâsse deceptum, & probabili ductum si non ratione, ut minimùm ignoscendâ ignoratione. Quòd Gibellina factio jura Imperij defendat; id certè non esse habendum pro hæresi: Christum non vetuisse reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris, sed jussisse: & si quid ab orthodoxâ fide, Gibellinus quispiam sentiret alienum, non inde tamen constare, eum qui Gibellinorum partes tueretur, ilicò hæreseos contagione infectum esse censendum; Antipapæ creationem, non tam sibi, quàm malis suasoribus tribuendam; quam tamen justâ satisfactione velit expiare. Porrò non involâsse se in jura sacerdotum, quos non tam ipse, quàm eorum factiosa studia ab Imperij tutela submovissent; si quid præterea sit, quo rei Christianæ doceatur nocuisse, obtulisse se æquas rationes sarciendi illatas injurias, quod sincerum sit signum animi verè pœnitentis, â quo non possit justè exigi, ut ilicò se exuat rectè quæsitâ possessione Regiæ dignitatis. Pontificem non Judicis modò, sed etiam Patris personam sustinere, & alterâ quidem moneri, ne justitiæ modum excedat, alterâ verò, ut Justitiæ addat clementiæ temperamentum. Bonum pastorem, qui in Petri locum successit, ágitque Christi vices, ovem, quæ aberrârit, non VI.

con-

continuo mactare, aut vellere exutam nudare ad ignominiam, sed humeris sublatam ad caudam referre. Hâc orationis libertate ita non fuerunt offensi permulti, ut etiam mite Cæsaris ingenium suspexerint, quòd asperâ notatus repulsâ, easdem Pontificiæ gratiæ fores proximo iterum anno, sibi tentandas putârit, uti, rebus Italiæ inspectis, sumus dicturi.

VII. *Chron. Aul. Reg. Villan. VVilhelm. de Cortus. Canitell. Corius.* AN. CHRISTI M. CCC. XXXI. JOANNES BOHEMUS TRANSIT IN ITALIAM, M. CCC. XXXI.

Ea in factiones divisa, & prona ad turbas, ad novi Ducis nomen impotentiùs exarsit. Joannes Bohemiæ Rex Septembri mense, peragratâ Sueviâ, & Bavariâ, in Tirolim concesserat, veteres cum Henrico Carinthio offensas, qui ipse quoque se Bohemiæ Regem ferebat, novâ affinitate extincturus. Constitutum erat, Margaritam Henrici filiam cum Joanne Bohemi filio conjungere. Tridenti commorantem Brixiani, Scaligerorum viribus impares, adesse invitârunt; neque hic clientelæ conditionem aspernatus, sub anni finem in suam fidem recepit. Sive autem animos stimulabat rerum novarum cupiditas, sive Joannis, ad Scaligerorum mores facti, dexteritas; amabile tamen prudentis Principis imperium Italis fuit. Hinc, paulò pòst Bergomum, Cremona, Papia, Vercellæ, Novaria, Parma, Regium, Mutina ipsum vel patronum, vel etiam dominum salutârunt. Neque stetit intra Apenninum iste fortunæ ludus, qui velut dormientem ditabat. Nam etiam Lucam egit in eius casses, ne ambientis quidem, sed attoniti quotidianis magnitudinis suæ incrementis. His confirmandis, stabiliendisque, dum omnia undique præsidia conquirit, suis semet consilijs pessumdedit. Eò usque Vicarius Imperatoris habitus, amorem ac tutelam Gibellinæ factionis jactaverat, gratiosus eo nomine in vulgus, & quidvis impetraturus à bene affectis.

VIII. *Chron. Aul. Reg. Argentin*

Verùm Aprili mense, cum Bertrando Pontificio legato congressus, dum illi quoque sua probare studia contendit, prodidit versatile ingenium, larvámque, sub quâ priores amicos fefellerat, sibi detraxit, tantò utrique partium suspectior, quantò se his vel illis familiariùs applicabat. Jam neque satisfaciebat Ludovico, quo annuente, Italiam intraverat. Nimirum, quod Legato erat inconcessum, privatis auspicijs sua curabat, serebat in fundo alieno, & sibi metebat: humanitatis lenocinio corrumpebat Imperij clientes, tandémque videbatur vicariæ potestatis fastidio assurgere ad Tyrannidem, cùm se affectatâ morum facilitate Guelphis juxtà ac Gibellinis nullo discrimine venditaret. Ausurúmne cum Pontificio legato conferre caput, si Cæsaris auctoritatem salvam vellet? An non rescindi Cæsaris acta, restituendis exulibus, quos Cæsar proscripserat, & reducendis ad sua sacerdotia sacrorum ministris, qui sua in Imperatorem odia nondum posuerant? Quid amplius fieri possit ab aperto hoste, & Coronæ apertâ professione imminenti? Crescebat suspicio, Carolo filio sedecenni in Italiam evocato; plerisque credentibus, venisse patri successorem, qui Regnum hæreditarium sit facturus. Eapropter Carolo hospiti inexspectato & inviso, sub primum in Italiam ingressum, structæ fuerunt insidiæ. Ipso Paschatis die, in jentaculo mistum venenum quosdam de ejus familia corripuit, non parsurum Domino, nisi festi reverentiâ ad prandium jejunus durâsset. Cùm accumberet, adfuit homo mutum simulans, sed vultu, signis, & officijs disertior, quàm ut elinguis credi posset. Nata ex his indicijs suspicio, ut abriperetur in quæstionem. Ille in tertium usque diem, nihil nisi mutire, & gestibus innocentiam profiteri: Denique tormentis lingua soluta plenam atrocis criminis confessionem expressit. Nimirum Azonem Mediolanensem Vicecomitem autorem facti prodidit; se verò offulæ medicatæ coquum, cujus haustu Joannes Dynasta Bergensis Aulæ præfectus, Simon Keylius, & Joannes Hochkirchius periêre. Nihilominus Joannes Rex Provinciæ administrationem filio, filium verò Ludovici Sabaudi, Azonis soceri, curæ commisit. Arduum erat Cæsari, ea, quæ dixi, facta probare, & tamen Joannis plurimùm intererat, non videri nocentem. Ergo per Franciam regressus in Germaniam, Ratisbonæ 12. cal. Aug. Ludovicum, rerum gestarum rationem redditurus, accessit, majore eloquentiæ, quàm causæ fiduciâ. Lecta colloquio

CAROLUS JOANNIS BOHEMI F. IN ITALIAM PROFICISCITUR. IX. VENENO PETITUR. *Vita Caroli IV.* LUDOVICI CŪ JOANNE BOHEMO COLLOQUIUM.

loquio insula, quam claudit Danubius. Illic uterque cum paucissimis congressi, viginti duos dies, multò, quàm initia promiserant, jucundiùs exegère. Cæsar iræ potens, & manifestis etiam culpis placidus, apertas aures servaverat Regis dictioni: sive hic objecta dilueret; sive obtineret, eâdem facilitate sublevabat dicentis verecundiam, æquè cupidus, ut innocentem posset credere, atque ille se insontem haberi volebat. Finis actionis fuit, ut Rex liberali sententiâ absolutus, nihil contra Rempub. fecisse pronunciaretur. X.

Proximè inferioris Bavariæ Principum concordiæ est prospectum. Indivisis eò usquè limitibus, communiter jus dixerant, non tamen absque tricis, quæ plerumque imperantium consortionem dissolvunt. Lites spectabant ad bellum, nî iretur obviam. Optimum factu visum, rem ad communes arbitros deferre. Bini lecti à singulis, qui, si aliam concordiæ viam non reperirent, Provincias dividerent: Ratisbonæ consultum in medium. Descriptis intra mensem limitibus, Ludovico Cæsari & Bohemo Regi eorum inter se comparatio permissa, qui etsi alia omnia mallent, ultimum tamen fratrum consilium secuti, divisionem approbârunt. Henrico majori Landishuta, Straubinga, Schardinga cum agro contermino: Othoni Fratri Burghusium, Oeringa, Traunstainium, quæque ad montes porrò pertinent; Henrico minori Dingelfinga, Landavium, Chambum, Vilshovium, Deckendorfium attributa. Henricus major Burghusio cessit invitus, cessit tamen, ne Cæsarem & Bohemum offenderet, si forti pergeret obniti. Hic metus breve Boiœ otium peperit, neque diutiùs quàm hibernæ nives duraturum. Bohemiæ Regi ne tantum quidem contigit quietis, ut sine bello esset. Augusto etenim mense, â Regni curis, ad Norimbergensia comitia properantem, fama de Othonis Austrij in Morávos irruptione domum retraxit.

Andr. Presby. Ratisb. Tabul. Princip.

INFERIORIS BAVARIÆ DIVISIO.

Chron. Aul. Reg.

XI.

Invitati in Bohemiam Austrij culpam, nonnemo Ludovico impingit, quasi superioribus Comitijs in famam ejus apertè grassatus, expeditionis Italicæ, ut contra Rempub. susceptæ invidiâ oneratum hostibus suis objecisset. Et fuerunt sanè, qui, relatâ ad concilium Bohemi causâ, censerent, ipsum domi plectendum, dum foris peccans Italiæ inhiaret; & alterâ mulctandum alâ, ne sese supra Cæsarem efferret. Quæ voces cùm non valde refutarentur, fuêre è Bohemi æmulis aliqui, qui se eidem hostes profiterentur. Inter eos Othò Austrius eminuit, specie Reipub. vindicandæ, re autem verâ privatis odijs, & invidiâ, quòd Bohemo Cæsarei legati honor fuisset delatus: quare impetum animi Otho secutus, concitatis etiam Polonis & Ungaris, ingentem exercitum adversus Bohemum comparavit, quem fama vero maior quinquaginta Ungarorum, Austriorum viginti millia, extra cataphractos habuisse vulgavit. Bohemus tempore exclusus, viginti tamen peditum millia, equites mille quingentos, tumultuario contractos delectu, Othoni ingruenti in campis Laënsibus objecit. Juvit fortuna audaciam, & Othonianis panico perculsis metu, desperationem victoriæ, ante pugnam iniecit 6. cal. Decemb. Nam formidabilis illa nubes occultâ vi disjecta, nullum sui vestigium reliquit. Bohemus modicis præsidijs Danubij ripam tutatus, iter in Gallias intendit. Per ejus absentiam Austriacæ copiæ admissum dedecus correxerunt, victoriâ de Bohemis reportatâ. Rex pacem magno redemptam, denique etiam spe affinitatis sanxit, Elisabethæ Friderici filiæ conjugium pactus, quod tamen nunquam coaluit. XII.

OTHO AUSTRIÆ DUX BELLUM INFERT BOHEMO.

Cæsar interim, Rege & Duce digladiantibus, iras Pontificias novis expugnare officijs institit, missis Avinionem Legatis, qui nullam conditionem pacis defugerent, quæ citra supremam injuriam & dedecus admitti posset. Arnoldus Mumerbachius Eystatensis canonicus, & Udalricus de Augustâ Cancellarius, hâc legatione functi sunt. Mandata habuêre sedi Apostolicæ perhonorifica, testésque litteras à Ludovico, gratiam Joannis Pontificis non sincerè minùs, quàm demissè prensante. Quæ omnia promptum Ludovici animum, & flagrans reducendæ in Rempublicam Christianam publicæ quietis desiderium ostende-

ALIA CÆSARIS AD PONTIFICEM LEGATIO.

An. Christ. M. CCC. XXXII. bant. Sed hâc quoque legatione nihil effectum est, nisi quòd apertiùs compertum, nihil nisi severum à Joanne posse sperari. Profuit tamen Ludovico, ut demonstraret, nihil à se omissum, quo crederet, posse Pontificis iras deliniri.

Andr. Presb. Ratisb.

XIII.

Inferioris Bavariæ Ducum discordia.

Nos, qui supplicem vidimus, iterum armatum spectemus. Inferioris Bavariæ pacem Principes turbaverant, suis ipsi dissensionibus irritati. Jam, quod paulò antè insinuavimus, Henrico natu majori prioris anni sortitio ægrè fecerat: nec suâ etiam sorte ejus consortes erant contenti: igitur jejunij verni initio, Henricus in armis fuit. Frater & Patruelis, prædæ destinabantur, nullâ humanitatis aut sanguinis reverentiâ. Sic naturæ repagulis semel perruptis, cùm cætera legum vincula efferato in cognatum hostem animo nimis forent infirma, usque ad 8. Cal. Jul. cùm nullum jam nefas nimium videretur, sævitum per omnem scelerum licentiam. Minus invidiæ Juniorum Principum causa habuit, quòd non nisi provocati arma induissent, & festinato Henrici bello oppressi, suâ indigniores calamitate censerentur. Certè Cæsar patruus suæ pietatis esse duxit, suscipere patrocinium Juniorum ad se confugientium, & frangere vires Henrici lacessentis. Sed memor tamen clementiæ, quâ peccantis pœnam temperaret, ne defendendis nepotibus, nepotem perderet, non processit longiùs, quàm ut turpibus victorijs exultantem, in latebras conjectum adigeret ad cogitationes rerum æquiorum. Quare Henricum insecutus cum nongentis galeatis, fugientem intra Straubingæ mœnia conjecit, tenuítque bimestri obsidio inclusum. In eo secessu jam didicerat suspirare pacem, & istis angustijs præferre libertatem; cùm Joannes Bohemiæ Rex generum suum Henricum miseratus, Balduino Trevirensi patruo adjutore, illius cum Cæsare & propinquis, conciliandi partes suscepit. Norimbergæ, Virginis ad cœlum evectæ ferijs, concordia fuit integrata: res in eum locum restitutæ, quem anno superiore habuerant: Pignori opposita redimi placuit: vi occupata suis dominis asseri, captivos solui.

Componitur.

Ex litt. Henric. Senioris.

XIV. Eodem congressu actum de Cæsaris filio Bohemi filiæ copulando, & extinguendis denique, Bohemo pacificatore, Pontificis simultatibus. Tanta erat Ludovico cura cum eo in gratiam redeundi. Is Regem digredientem Passavium comitatus, cum Austrijs fratribus reconciliavit, & ad finiendas querelarum reliquias, cognatis Principibus novos dedit arbitros, qui de controversijs cum fide ad se referrent. Henrico verò minori auctor fuit, ut partem Provinciæ, quæ ipsi sortitò obtigerat, cum Henrico patruele communibus auspicijs regeret, commodo eodem, sed curis minoribus.

Joannes XXII. frustrà à Bohemiæ Rege pro Ludovico rogatur.

Rebdorf. an. 1332.

Nova ad eundem legatio.

Bohemiæ Rex Novembri mense Avinionem profectus, nil ad placandum Pontificem intentatum reliquit, nil dedit effectum. Vix tandem omnia prorsus neganti persuasit, ut spem faceret, fore ut utriusque liberos legibus solveret, si tractatum conjugium parentibus allibuisset. Porrò cùm sub idem tempus Halsium & Oetinganum Comites, Legatos Ludovici ad Pontificem abijsse compertum sit, facile est colligere, eos fuisse Joanni Regi additos, ut communem causam concordibus studijs agerent. Eorundem postulationi suffragati sunt Otho & Albertus Duces Austriæ, ut mirum sit, Pontificis indignationem, tot legationibus, támque potentibus votis non cessisse. Suggillârunt aliqui Bohemi fidem, quasi cum Pontifice colluderet, serviens non tam Ludovico, quàm tempori, doctus ex suo commodo vela vertere, & utrinque aspirantis auræ emolumenta capere. Id quamvis ab ejus moribus non esset alienum, satius tamen est eum dubijs suspicionibus nondum premere. Amicitia instabilis paulò pôst manifesto casu ruitura, minore invidiâ de ejus fide loquetur. Par est credere, eum adhuc à tam fœdâ prævaricatione fuisse prohibitum, memoriâ recentissimi fœderis, quod Norimbergæ 9. cal. Septembris, auspice Balduino Trevirensi, cum Cæsare sanctissimè pepigerat, eâ religione & verborum gravitate, tot testibus,

XV. & tabularum, quæ hodiéque visuntur, solennitate, ut difficile sit credere, tantum

cum fuisse in tali Principe levitatis, quæ passa non sit stare tantisper fidem tam religiosè juratam.

Cæterùm Bohemus anni trigesimi tertij initio transgressus in Italiam, plena omnia factionibus reperit, longè, quàm sperârat, sibi fortunæque suæ infestioribus. Rerum statum novârant amici temporarij, ijdem illi, qui priore anno præsentem magnis spebus impleverant. Jam erant pertæsi, quod voverant obsequium, velut indecorum libertati, malebántque esse Bohemi hostes, quàm clientes. Eam ob rem vires & consilia sociaverant: urbes quasque validissimas in partes traxerant; alliciebant reliquas ad potentiæ Regiæ jugum, quod credebant parari, à suis cervicibus avertendum. Poterant videri futuri esse ad parendum proniores, postquam Carolus Joannis Regis filius Veronenses prælio vicerat; sed eâ clade tam non fuêre fracti, ut tunc maximè conjurationem inSenderint, solicitarintque Regis partiarios ad publicam patriæ defensionem & communis libertatis. Eorum conatibus tempus duntaxat defuit: nisi enim hiemis asperitas obstitisset, Joannes redux exiguas pristinæ conditionis reliquias fuisset reperturus. Advenit quidem ille tempori; sed neque labefactata restituit: neque integra firmavit: tot expertus suarum molitionum obices, ut, cùm neque hostium viribus par esset, neque eorum dolos æquaret, de summâ rei in Carolum filium reclinandâ cogitârit. AN. CHRIST. M. CCC. XXXIII. *Vita Caroli IV. Villan. Corius. Chron. Aul. Reg.* RERUM IN ITALIÂ ADVERSUS BOHEMUM CONVERSIO.

Verùm hic tutum in patriam receptum infido honori, speíque jam fugienti anteferens, detrectavit onus, sive ætatis excusatione, sive quòd minore verecundiâ, quàm pater, esset abiturus. Sed neque suum in Italiâ dominatum ita castè gesserat, ut magnopere esset ab offensis vagâ ejus libidine Parmensibus, expetendus. Cùm enim Parmæ ageret, ferunt eum iuveniliter lascivientem, alienos thoros non paucos contaminâsse, neque, quamlibet à patre reprehensum, abstinuisse. Visus est moneri, ut resipisceret, spectro nocturno. Per id tempus, Delphino Franciæ cum Sabaudo bellum erat: Joannes Caroli pater Delphino suppetias ire statuerat. Nocte, quæ decretam profectionem antecessit, apparuit Carolo in somnis juvenis formâ præstanti, manu militari raptus ad supplicium, ínque locum sublimem, unde à spectantibus posset conspici, delatus, exectis verendis evirari. Adstabat Carolo adolescens specie supra humanam augustiore, qui juvenem isti lanienæ pro potestate addixerat. Hunc Carolus, eâ severitate territus, rogat, quisnam iste vir esset, quem tam crudeliter jussisset excipi, quæve causa tam immanis cruciatûs? Est Delphinus, inquit ille, Franciæ Regis primogenitus: sic enim decet plecti, qui aliena matrimonia audent violare. Experrectus Carolus, summo manè patri somnium recitat, rogátque, ne frustra fatiget exercitum: Delphinum enim è vivis sublatum militaribus non indigere auxilijs. Hæc tametsi Carolus velut certus de Delphini nece recitaret, contempsit tamen eam denuntiationem Joannes, ratus, nihil inesse ponderis visis istiusmodi. Verùm cùm bidvi itinere promovisset exercitum, accepit per certos nuntios, Delphinum in castelli cujusdam obsidione, sagittâ in incertum missâ, inguine confosso expirâsse, eiúsque copias esse dissipatas. Carolus ad rei memoriam, in villa Terentij Parmensis agri, quo in loco id moniti acceperat, Deiparæ Virgini Collegiatam Ecclesiam magnifico proventu ditatam, dedicavit: ejusce Ecclesiæ Patronum instituit Rectorem chori, sive præcentorem Pragensis Ecclesiæ, uti constat ex Caroli litteris, quas se vidisse Æneas testatur. Ejusce visi fidem suo relinquo authori; Carolum ejusmodi spectris fuisse obnoxium, testatur ipse in suâ vitâ: testatur oratio funebris in ejus laudem composita â Joanne Archiepiscopo Pragensi. Interea certum est, Carolum delatum à parente imperium detrectâsse. Joannes verò, ne inter Italorum insultantium ludibria, nullâ re tentatâ, & omnis consilij inops ac irritus, discederet, spem novam pacis inter Ecclesiam & Imperium sanciendæ Italis ostentavit, professus, se id negotij, si ipsi annuerent, in se recepturum. Plausibile id erat celandi dedecoris tegumentum, quod utique ambitioni veniam impetrâsset, si sanâsset tam perniciosum Reipub. vulnus. *Cortus.* XVI. *Æneas Sylvius Hist. Bohem. c. 33.* CAROLI VISUM NOCTURNUM. *Vita Caroli IV.*

Et sanè ne nunc quidem per Ludovicum sterit, quò minùs Rex idipsum perficeret. Ejusce rei testes sunt tabulæ Rotenburgi datæ Henrico inferioris Boiariæ Duci, quibus Cæsar profitebatur, se Imperium abdicaturum, si aliter Pontifici satisfacere non posset: hoc tamen addebat cautionis, ut ne Henrico istas tabulas publicare liceret, antequam Pontifex Cæsarem piorum cœtui restituisset: quòd haud dubiè fuit rarissimæ modestiæ & animi verè religiosi indicium, dignum, cujus memoria ad seram posteritatem transmitteretur. Addit Rebdorfius illorum temporum scriptor, etiam Ludovicum scripsisse Principibus litteras commendatitias, quibus supplicabat, ut in Henricum Imperij fasces transferrent: & eâ quidem re Joannem Pontificem fuisse recreatum, quippe qui omni contentione ad Ludovici eversionem niteretur. Ne verò id consilij maturesceret, fecit Henrici præcox aviditas. Cùm enim adversus Cæsaris præscriptum, justo citiùs arcanum vulgâsset, Ludovici iras in se commovit, nullo alio operæ profectu, quàm ut spe Imperij potiundi excideret. Ut verò fama tam insolitæ expectationis admirationem per omnium ora distulerat, miserabantur alij Principis infelicem sortem, & virtuti de solio deturbandæ ingemiscebant; alij indignabantur tali se natos sæculo, quo Romani Imperij Majestatem eò calamitatis dejectam essent spectaturi. At enim quid simile haberet Ludovicus cum Henricis & Fridericis Imperatoribus, superiorum Pontificum hostibus et maximè professis? Cur ille longè leniora meritus, multò quàm illi acerbiora esset passurus? Manifestaria illorum scelera & numero & gravitate atrocia, redimi potuisse unicâ supplicum voce, si Pontificum gratiam ambire sustinuissent. Uni horum, jus poscenti, æquas Pontificis aures, errores deprecanti clementiæ fores patuisse: at verò Ludovico toties ad Pontificis pedes abjecto, clausa esse omnia, præter inclementiam. Ergo Ludovicus tabulas suâ sponte ruentes induxit, & cœptam facilitatis suæ telam abrupit.

Extant in Archivo Monac.

LUDOVICUS DE SUBSTITUENDO IN IMPERIUM NEPOTE COGITAT.

XVII.

HENRICI JUNIORIS OBITUS.

Andr. Presb. Arenbeck.

XIIX.

Per idem tempus, Henricus junior, inferioris Bavariæ Dux, immaturo absumptus fato, in Parthenone felicis Vallis, Landishutæ, suis maioribus fuit contumulatus. Otho acerbo patruelis casu mortalitatis admonitus, cùm ipse quoque ex Richarde Juliacensi, nihil liberorum tulisset, prospicere patriæ aliunde instituit. Detulit Ludovico Cæsari, si quid sibi humanitus contingeret, Provinciæ regimen, eâ conditione, ut viginti librarum millia assium Ratisbonensium, Richardi conjugi, si transferre vellet domicilium, præsentaria numeraret; interim, quoad uterque superesset, ex singulis annui reditûs libris, totidem asses honorariàm pensiunculam pignoris loco Ludovicus haberet. Credibile est, causam Henrici fratris prætereundi fuisse, ex inveteratis simultatibus, quæ novis hoc ipso tempore injurijs irritatæ recrudescebant. Nam patruele mortuo, cùm, nullâ fratris ratione habitâ, omnia ad se Henricus raperet, vis manifesta bello materiam erat datura, nisi Ludovicus, & Bohemiæ Rex arbitri intervenissent.

AN. M.CCC. XXXIV.

Villan. l. 11. c. 20.

Id anno trigesimo quarto contigit, qui ad finem properans in spem extinguendæ multò tristioris discordiæ, Joannem Pontificem extinxit, exagitato Ludovico; & comportato auro, quantum nemo Pontificum omnibus retro annis habuit, nominatum. Est, qui in historiam retulit, eum viginti quinque milliones auri rudis signatique habuisse. Diem obijt nonagenario major, quarto Decembris, cùm pridie in Cardinalium, quem convocârat, senatu, præsentibus alijs præsulibus, suam sententiam de animarum corporibus solutarum statu, de scripto, declarâsset. Curiam & sedem Apostolatûs quo in statu reliquerit (si Bzovio & Alberto Argentinensi, ex quo ille narrationem descripsit, credimus) Deus cuidam ex Italiæ Episcopis significavit, cùm per quietem in stabulum introducto, excisam è candido marmore arcam, sed planè vacuam ostendit, successorem Joannis, quem quoque ei spectandum dedit, eo schemate adumbrans, quem ipsum antequam eligeretur, Episcopus præmonuit his verbis: *Vos estis illa arca, quam debetis in officio vestro virtutibus implere & signis*: *Et ò*

pastor

pastor & stabularie Curiam & sedem Apostolatûs, ab avaritijs & simoniacis stercoribus expurgate, vobisque sanctam Romanam Ecclesiam, & urbem, commissas habete. SUCCEDIT BENEDICTUS XII.
Quem Deus ad hoc munus eo ostento designârat, fuit Jacobus Furnerius, è molestrinâ ad Cisterciensem ordinem, indéque ad purpuram, ac demum ad sedem Pontificiam evectus, assumpto Benedicti XII. nomine. Nec verò illi virtûtes deerant eo loco dignæ, & planè expleturæ vota orbis Christiani, si nemini obnoxius morem animo suo rectissima cogitanti gessisset. Minus, quàm pro jure poterat metu esse ausum, & Ludovici rebus plurimùm obfuisse maxima documenta aperient. Amicum illi Pontificem aliena injuria fecit Philippus Valesius Franciæ Rex, magis jubentis in morem quàm rogantis. Hic à Pontifice, *quasi nihil sibi denegare posset*, ut Argentinas loquitur, *petebat inaudita:* pro filio quidem regium nomen ab Arelatensi Regno: pro se, vicariam in Italiam potestatem, & decimam decimæ ex toto orbe Christiano colligendam cum universo Ecclesiæ thesauro. Pontifex grandia vota abominatus, cùm eorum nihil concedere posset, simul metueret Regis animum repulsâ exasperandum, respicere Ludovicum Imperatorem cœpit, validum Philippo adversarium, si quid ampliùs movisset. Ludovicus ostentanti se spei gnaviter insistens, officiosissimâ legatione Pontificem coluit, qui delectatus officio, sponte currenti calcar addidit, & legatis ad certam diem redituris formulam composuit sponsionum, quas fieri æquum censeret. Probavit eam Cæsar, & conditionibus quantumvis asperis, & scrupulosissimè collectis, ingentes tabulas implevit. Illæ Ulmæ 3. Non. Martij anno M. CCCXXXVI. confectæ, quæ delatæ à duobus Comitibus Oettinganis (utrique Ludovico nomen fuit) Henrico Siplingio Ordinis Teutonici Commendatore, Eberhardo Tummovio Archidiacono, Marquardo Randeckio Canonico Augustano, & Udalrico Epistolarum magistro, hodiéque tum in Vaticanis scrinijs, tum apud Bzovium leguntur, & optimi Principis modestiam quantumvis serâ sententiâ absolvunt.

XIX. AN M.CCC. XXXV. INCLINAT AD LUDOVICI AMICITIAM. LUDOVICI AD BENEDICTUM LEGATIO. *Ad. an. 1336.*

Dabimus compendio sopiendæ litis annosas rationes, quas procuratoribus suis Cæsaris lenitas præscripsit. Prima fuit, ut nullum obsequij genus à Ludovici præcessoribus præstitum detrectarent: deinde acta omnia Cæsarea cum Joannis XXII. injuriâ conjuncta rescinderent; sententias Henrici VII. in Robertum Siculum, ejúsque fratres, & clientes, rémque publicam Florentinam, perpetuâ oblivione inducerent. Ne inconsulta liberalitas, sicubi Ludovicus Romanæ Ecclesiæ agrum carpsisset, aut imminuisset, fraudi foret Ecclesiæ, aut commodo iniquis possessoribus: eóque tabulæ in eam rem Cæsaris nomine confectæ nullum pondus haberent. Pacem cum Italiæ populis & civitatibus, quocunque nomine Cæsarem offendissent, ex Pontificis sententiâ, facerent: Juramento sancirent D. Petri patrimonio immunitatem, & Cæsaris fide satis darent: cautionem præstarent omnibus, quorum interesset, de clientelis Pontificijs neque solicitandis, neque ullâ injuriâ lacessendis. Quicquid terrarum Pontificij juris esse Henricus VII. agnoverat, penes Pontifices permaneret. Sanctè addicerent, Ludovicum Pontificis injussu Romam non aditurum, neque diutiùs quàm ei visum fuerit, intra urbis mœnia, aut Romani agri limites, futurum. Eundem, ipsiúsque Legatos non aliter, quàm ex jure & Ecclesiæ commodis res Italicas moderaturos: nullam fore moram in signandis concordiæ tabulis ex parte Cæsaris, qui nihil ad eas eludendas vi aut dolo, contrarijsve pactionibus sit acturus: daturum eundem operam, ut, qui ipsius auctoritate essent Episcopatibus contra jus admoti, ab ijsdem removerentur. Optimates Imperij fore solutos præstito sacramento, & obsequio Cæsari debito, simul ac ipse in tuendâ Ecclesiâ suo officio deforet: ut cum Rege Siculo, qui Cæsareas vices in Italia esset gesturus, fœdus, & si è Repub. videretur, affinitatem contraherent. In dubijs pactorum capitibus interpretandis judicio suo, & Pontificis sententiâ starent. Hæc omnia rigidis adstricta verbis, religionibus, pignoribus, testibus firmata, Marquardus Randekius Pontifici disertissimè explicavit, Italicis, Gallicisque auribus ad Germani hominis facundiam arrectis.

XX. XXI.

M.CCC. XXXVI.

Bzon. loc. cit.

Non dissimulavit animi lætitiam Pontifex, gratulari se Ecclesiæ dictitans, eo demum die in pristinam dignitatem reflorescenti, quando *Alemannia nobilis Ecclesia ramus, qui se in personâ Ludovici lædi per Ecclesiam æstimans, jam ab arbore Ecclesia separari cœperat, eidem arbori cum tanto honore redintegraretur.* Plura dixit in Germaniæ laudem, & Ludovici commendationem, *quo nobiliorem Principem orbis non haberet.* Conquestus etiam fuit, Italiam dilacerari per Tyrannos, Armeniam à Paganis intercipi, dum ejus Principes tempore Joannis Pontificis, & suo, Christianorum auxilium implorarent: insuper terram sanctam à Barbaris etiam *occupari propter Imperatoris carentiam. Unde meritò dixit*, Verba sunt Alberti Argentinensis, *absolutionem eidem impertiri se debere: quæ & dari in crastino sperabatur.* Hæc sic dicta à Pontifice, ut de optimâ ipsius mente non esset causa dubitandi. Sed obstitêre infesti Ludovico hostes, Gallus & Apulus. Missi ab utroque bini Archiepiscopi, Episcopi totidem, eodem numero Dynastæ, qui pacatis Pontificiæ Curiæ consilijs intercederent. Et Cardinalium quidem sententiam in diversa traxêre. Pontificem, cùm in suâ perstaret, sunt ausi monere; videret, an tantum hæresiarcham (os hominum ex convitio æstimes) conveniret talibus Regibus Ecclesiæ fidelissimis antepositum, rebus humanis imponere, eóque ipso fautorem hæreticorum se profiteri. Quærenti deinde Pontifici, vellentne ipsorum Domini Imperium Romanum convellere? Eâdem ferociâ responderunt, velle quidem Reges salvum Imperium, sed nolle Ludovici personam toties damnatam, contra quem ipsi niterentur, quique multa contra Ecclesiam esset molitus. Non omisit tamen Benedictus Ludovici patrocinium. Imò verò, inquit, nos contra Ludovicum multa fecimus. Ipse sceptro cum scipione mutato, venisset ad nostri prædecessoris pedes, si prædecessor admisisset, neque supplicem à suis pedibus amovisset? Quicquid Ludovicus censurâ dignum fecit, fecit provocatus. Adjecit, se de Ludovico sperare meliora, etiam in Regum adversantium, & posterorum, Regnorúmque commoda, & plura quidem, quàm ipsi vel à captivo essent expressuri. Verùm tam nihil profecit, ut Rex Franciæ toto Regno Cardinalium bona, proventúsque involârit ne videlicet Benedictus, eorum territus damno atque periculo, cum Ludovico rediret in gratiam.

GALLIÆ ET APULIÆ REGES APUD PONTIFICEM LUDOVICO ADVERSANTUR.

XXII.

Argentin. in Chron.

Apparebat Pontificiam constantiam duorum Regum violentiæ parem non esse, cùm repentè velut ex insidijs Joannes Bohemus, novus Ludovico hostis est exortus. Urebat Joannem, quòd Henrico Carinthio sine masculâ prole extincto, Filiam ejus Margaritam Maultaschiam Bohemi nurum, Carinthiæ Principatu Ludovicus exclusisset, eáque Provinciâ Austrijs fratribus traditâ, etiam Tyroli immineret. Dolorem Bohemi accendebat, quòd se de Ludovico ita meritum crederet, ut, tametsi leges à tali hæreditate fœminam arcerent, tamen filium suum Maultaschiæ maritum nulli competitorum, in Carinthiâ jure beneficiario concedendâ postponi pateretur: cúmque ex eodem capite filio dubiam quoque Tyrolis possessionem sentiret, utramque Provinciam credidit bello esse retinendam. Ergo, quò se potentiùs compararet, magnos ex suis ditionibus fecit delectus, & vicinos Reges traxit ad belli societatem.

JOANNES BOHEMIÆ REX LUDOVICO FIT HOSTIS.

Vit. Arenb. Vetus Chron. M.S. Argentin. Carol. IV. vita

Henricum inferioris Bavariæ Ducem Ludovici præsentia hactenus tenuerat, ut se alienæ sortis spectatorem fore profiteretur. Triplices in eam sententiam tabulæ confectæ: quarum postremæ hoc eodem anno 9. cal. Maij signatæ, hoc duntaxat fructu, ut quibus in re tam recenti, & tot firmatâ sponsoribus, servandæ fidei erat admonendus, eò graviùs perfidiæ argueretur. Eodem enim mense, quo Bohemus in apertum prodijt, Henricus in ejus partes descendit. Huic levitati Scriptores Boici colorem obtendunt, quasi Ludovicus prior in Henricum incurrisset. Ajunt enim hunc vicariâ potestate auctum, suæ potestatis limites transgredientem, cùm se Aquisgrani nihilo inferiorem Cæsare gereret, à Ludovico de insolentiâ monitum, & imminutâ vicarij muneris authoritate fuisse offensum. Vero propius est, nondum penitus oblitteratam veterum

HENRICUS BOIUS BOHEMO JUNGITUR.

Arenbek. ex vetusto Chronic. M.S.

terum dissensionum memoriam Henricum vindictæ cupidum soceri causæ adjecisse.

Prima ejus procella in Goritiæ Comitem Austriacorum partiarium effusa. Otho Austrius magnis deinde affectus cladibus, citeriore omni Austriâ exutus, ultra Danubium se recipit. Læta initia addidêre grandes animos, ut non victorias modò, sed etiam nova Imperia victores somniarent. Ausi sunt Avinionem scribere, quærere se dignum coronâ caput, quod Ludovico toties abdicato substituerent. Ea jactatio tametsi frivola, Pontificis benevolentiæ frigidam affudit, Cardinalium verò studia prorsus extinxit, negantium, solem occidentem & mox ruiturum Ludovicum esse adorandum. Legati propè sine responso remissi, res eo loci domi reperêre, ut nihil admodum Ludovico à fastuosis hostibus esset metuendum. Is enim victoriæ cursum stiterat. Et primùm quidem Lombardiæ Reguli junctis cum ipso viribus Athesi propinqua carpebant, Suevi verò ac Boij Inalpina omnia sic reddebant intuta, ut rebus necessarijs, hostium signa, mitigato furore, aliorsum verterentur. Imperator, eodem tempore, fœdifragi Patruelis Henrici provinciam vastabat. Habebat in armis septem galeatorum millia, omnes continuis felicis audaciæ successibus ita præclaros, ut nomen *Invictorum* essent adepti, nec detrectarent unquam sequi Ducem, quocunque ducerentur. Id periculi Genero imminentis, Regis Bohemi consilia vehementer turbavit. Sola *Invictorum* advenientium fama Ungarum ex Austriâ fugavit. Neque fortiora de Bohemo, Polono, Boióque Henrici milite Argentinas loquitur, cui tamen adversus scriptores domesticos, & Caroli IV. Diarium, non putamus esse suffragandum.

LUDOVICUS BOHEMI FACTIONEM REPRIMIT.

XXV.

Ad Landavum urbem, ex utrâque Isaræ ripâ, castra castris opposita, veriùs ab illis asseritur. Neutris ob pontium inopiam, quæ tum erat, suppetebat ratio amnis transeundi. Inutilis per octo ipsos dies sessitatio commeatum absumpsit. Ita in agrum effusa est. Bohemus, quia inertem stationem diutiùs tenuit, se pro victore gessit, tumidásque fabulis litteras, velut hoste profligato, ad Pontificem dedit, metum Ludovici increpans, & fugam, cujus beneficio caput salutémque sit tutatus: addens, quòd, ni fugisset, futurum fuisset, ut ipsum vivum mortuúmque calcandum Pontifici objiceret. Risit Bohemi vanitatem Benedictus, & ad Cardinales in Ludovici occasum intentos, conversus: *Allatrari*, inquit, *potuit Germaniæ sol, sed illum tamen nemo de cœlo detraxit: Adhuc lucet, & æmulorum oculos exurit.* Eodem recidêre conatus Caroli Bohemi Regis filij. Eum Ludovici filius irrupturum cum copijs Tyrolensibus in Bavariam, Kuefstainij transitu prohibuit, eóque rejecit, unde venerat. Parte aliâ, Kaiserspergа Alsatiæ oppidum Bohemo oppignoratum, ad Imperium fuit revocatum. Vim admoveri Cæsar jusserat; eam oppidani, cùm auxilia nusquam apparerent, voluntariâ deditione anteverterunt, mox etiam alios Bohemo obnoxios eodem conditionis suo exemplo tracturi. Ea rerum inclinatio Bohemo ferociam excussit. Factus sedatior, Cæsarísque gratiam aucupatus, ad eam receptus fuit mense Septembri, eâ legè, ut novo sacramento fidem in posterum addiceret, & iniquâ lite, quam Austriæ Ducibus super Carinthiæ Principatu moverat, absisteret.

ALIA LUDOVICI AD PONTIFICEM LEGATIO.

XXVI

Bzovius ad An. 1336. e M.S. Archiv. Vatica.

Sub hæc Ludovicus multò quàm antea ampliorem ad Pontificem legationem adornavit. Robertus Comes Palatinus Rheni, Rudolfo Ludovici Fratre genitus, & Guilielmus Comes Juliacensis eam obiêre. Conditionum tabulæ, Norinbergæ vigesimo octavo Octobris, eo temperamento erant perscriptæ, ut modestiam Ludovici supplicis potiùs saperent, quàm fiduciam æquo jure contendentis, eóque crederentur Pontificium tribunal flexuræ. Fatebatur inprimis, se ad Corbarij inauspicatam inaugurationem non verâ ratione, sed irâ abreptum, malis suasoribus, legem talionis adversus infestum Pontificem suggerentibus, Romanis etiam exoleta jura creandi Pontificem jactantibus; quibus tamen nunquam fuisset assensurus, nisi omnem Pontificiæ æquitatis & gratiæ spem antè ami-

amisisset. Vicecomitibus Mediolanensibus innoxiam se navâsse operam, haud sanè ad alendam eorum pertinaciam, cujus notæ nullæ apparuerint, sed ne clientibus Imperij defuisse patronus argueretur. Se Fratrum Minorum contentioni asylum non aperuisse: Eos ad se perfugisse: Excellentia eorum ingenia non indigna esse visa, quibus se mecænatem præberet: Quod si sub larvâ pietatis Christiano candori illuserint, aut Ecclesiæ fuerint immorigeri, id factum esse suo injussu. Sobriè philosophantibus, & Imperij jura modestâ ratione defendentibus, se accommodâsse: Pontificia decreta impugnantibus, indixisse silentium. Appellationis suæ formam, quæ vulgò circumferretur, fraudi sibi esse non debere; si quid in eâ dictum intemperantiùs, exagitandas potiùs impias Udalrici Groildonis manus, qui transcribere tabulas jussus, ijsdem, alioqui modestissimis, maledicta insperserit, quique moriturus serâ utique pœnitentiâ, ultimis lachrymis

XXVII. crimen defleverit: scelus alienum à Cæsare lui tantâ Diplomatum Pontificiorum asperitate non debuisse, priùs quàm de authore constaret. Jam Marsilium Patavinum, uti & Joannem Jandunum, pestilente homines ingenio, Ludovicum ultro detestari, ac dolere, non pridem fuisse agnitos sub ovillis pellibus rapaces lupos. Omnis Romani juris peritiam jactantes in familiaritatem receptos, consultósque, in civilibus causis, velut in suo foro responsa dedisse: Eorum argutias ab homine armato deprehensas non fuisse, cùm in Ecclesiæ jura furtim irrepserunt. Id verò neque erubescendum Principi armis assueto, neque tale visum, quod tam acerbè deberet vindicari. Illa verò, quæ propria sint, sacri interdicti violationem, profanas inaugurationes, familiarem cum execratis usum, neque ut bene facta defendere, neque libidine animi in ea præcipitâsse, sed velut adversis ventis impactam in scopulos innocentiam, ipso suo naufragio commiserationem potiùs, quàm odium meruisse. Durum porrò esse invidiam sibi concitari ob Romanam coronam, quam neque rite, neque more majorum sumptam quidem fateatur, sed sibi necessariò huc denique fuisse descendendum, quando omnia ejusce necessitatis remedia frustra antè fuerat expertus. Nihilominus si id ex usu Ecclesiæ videatur, abjecturum se Imperiales titulos Romæ acceptos, neque ijs deinceps usurum. Dedit simul Legatis mandata promittendi, fore ut ipse in personâ erratorum plenam confessionem ederet, humilitérque peteret veniam, & noxæ pœnam susciperet, eámque in rem, si Pontifex juberet, ad bellum, adversus infideles, ultra mare proficisceretur, arma non positurus, nisi acceptâ à Pontifice missione. Si construere Ædes sacras juberet, si votivas peregrinationes, Eleemosynas, aliásve expiationes imperaret, se pariturum sine exceptione.

XXIIX. Habebant denique legati potestatem petendi, nomine Ludovici, condonationem omnium admissorum, & sententiarum, quas eapropter incurrisset: Ad extremum *supplicandi* (verba sunt litterarum) *pro Ludovici assumptione & in integrum restitutione, ad famam, honorem & statum pristinum, nec non assumptione in Regem Romanorum, & approbatione ipsius personæ ad imperialem dignitatem promovendæ.* Talia erant Principis portum inter fluctus suspirantis decreta, tali exemplo, quale, si superiora sæcula respiceret, nullum esset editum ab ullo Cæsarum.

PONTIFEX REGUM GALLIÆ ET SICILIÆ METU LUDOVICUM NON ABSOLUIT. *Ptolom. in Benedicto XII.*

Benedictus tam splendidis promissis, & tanti Principis votis haud dubiè locum fuisset daturus, nisi Philippi Galliæ & Roberti Siciliæ Regum potentiam metuisset. Causatus est, nihil adhuc in Ludovici causâ posse decerni, eò quòd istorum Regum legati nondum advenissent, quasi ijs inconsultis consultum non esset supplicis Ludovici precibus annuere, & fungi, sine Regibus, officio Pontificis, omnibus numeris absoluti. Legatis Ludovici causam nihilominus strenuè urgentibus, post multas ambages, denique fuit confessus, nullum se è labyrintho exitum videre, vijs omnibus obseptis. Comminiscuntur aliqui, optimum Pontificem obtendisse (ut suæ videlicet verecundiæ consuleret) se à dirimendâ lite divino instinctu prohiberi. Verùm plerique id tribuerunt, non cœlesti monito, sed Pontificis superuacuæ trepidationi. Nam in Ludovico,

Alb. Argentin.

quod præterea desideraret, nihil fuit; postquam neque Magalonensis Episcopus

ejus

ejus morum explorator submissus in Germaniam eâ duntaxat gratiâ, ut visa de Cæsaris in Ecclesiam animo referret, nihil quicquam censoriâ notâ dignum deprehenderat, & jam ex mente Pontificis Moguntina controversia de adeundo Archiepiscopatu erat composita, nihil reluctante Ludovico. Joannes enim XXII. Henricum Wirnebergium, Moguntinæ Ecclesiæ, Canonicis invitis, Mathiæ Buchekio subrogârat. Obstiterat Collegium, eò quòd Henrici majores, & generis nobilitatem tali infulæ imparem judicaret. Rerum interim administratio Balduino Trevirensi permissa, majore Ecclesiæ ejus emolumento, quàm civium voluntate, quos ad ipsas Monasteriorum devastationes progressos, Ludovicus gravi multâ castigârat. Consultum est igitur tum Pontificiæ voluntati, tum concordiæ; Henrico in Archiepiscopatûs possessionem introducto. XXIX. *Nic.Serar.l.5. rer. Mogunt.*

Ludovicus, accepto per Legatos Benedicti responso, etsi majores in ipso animos requireret; quia nihilominus vim excusabat ac metum, excusanti lubens ignovit: sed non perinde æquo animo accepit, Galliæ Regem Pontificiæ libertati & paci publicæ obstitisse. Ultorem idcò visus est Deus in Regem armâsse.

Is fuit Eduardus Angliæ Rex III. qui Galliæ Regnum materno nomine repetens, utpote Isabellâ natus Philippi Pulchri filiâ. Cùm lege Salica, quæ fœminas sceptris Gallicis arcet, refutaretur, ansam arripuit nonnulla Aquitaniæ oppida, quæ causabatur Anglis per vim erepta, nisi sponte redderentur, bello repetendi, & arma, si fors daret, ultra proferendi. Accedebat recens in Galliæ Regem offensio, quòd hic se turbis Scoticis immiscens, illius quoque Regni spem conatus esset Eduardo intercipere, quemadmodum à Gallico jam antè exclusisset. His initijs causisque concitatum gravissimum bellum, Galliam in multos annos exercuit, & non modò Philippo regi reddidit sceptrum cruentum, sed ejus etiam filium successorem duxit in triumpho: ut Pontificem vatem fuisse ostenderet, qui bellum spiranti Philippo offensus, vetus in illum oraculum repetivit; *Noluit pacem, & elongabitur ab eo.* Porrò cladibus diuturno bello dandis accipiendisque, quantis duorum Regnorum magnitudo non suffecit, totius Imperij vires venêre in consortium. Principum potentissimos in partes rapiebant affinitates, aut æquè fortis illecebra præmiorum. Plures Anglum respiciebant, ipséque Imperator auctor faciendi cum ipso fœderis. Stimulabat Imperij Principes, quòd Galliæ Rex non modò privatas simultates cum Cæsare gereret, sed Imperium Regni Arelatensis vetustissimo jure titulóque vellet imminutum, atque insuper Cameracum, intra fines Imperij, præsidijs occuparet. Suberant etiam causæ mitiores, & illa præsertim Ludovicum spectabat, quòd illi cum Eduardo intercederet affinitas: duxerant enim singuli singulas Guilielmi Hollandiæ Comitis filias. Post Cæsarem, nomina fœderi dedêre, Coloniensis Archiepiscopus, Brabantus, Hannovius, Gelder, Juliacensis, Montensis, & minorum gentium reguli. Convenerat, ut sequenti anno, qui trigesimus septimus fuit, Julio mense Eduardus in Germaniam transgressurus, conditiones fœderis coràm daret, & acciperet. Et verò Argentinas in villa Rensiana, Rebdorfius, Confluentiæ cum Cæsare collocutum tradidêre: Sed Villanus bello implicitum id negotij per Legatos transegisse affirmat. Huic fidem faciunt veteres tabulæ, quibus Renaldi Geldri, & Wilhelmi Juliacensis, Regiorum Legatorum; Wilhelmi de Monte acuto Sarisberiensis, & Wilhelmi Clytonij Honthindonensis Comitum, stipulatio, Francofurti hoc ipso anno & mense, signata refertur. Ex ijsdem videre est, Cæsarem duo galeatorum millia, ære regio militatura, eâ lege pollicitum, ut in singula capita quindecim floreni menstruum stipendium decerneretur: si tamen operam bimestri longiorem continuarent, auctarium adjiceretur, & prior summa à quindenis ad vicenos excresceret.

BELLI ANGLICI IN GALLIÂ INITIUM.

XXX.

AN. CHRISTI M. CCC. XXXVII.

Argentin.

In Archiv. Princip.

Ad Philippum Galliæ Regem subinde scriptæ à Cæsare litteræ, quibus ne Regis quidem nomen erat præscriptum. His jubebatur Cameracum Imperio reddere, præreptique Francici Regni, quod sibi debitum Eduardus affirmaret, XXXI.

causam dicere. Quadraginta aureorum millia præsentaria fuère Ludovico, ab Angliæ Rege numerata. Evocati mox sub signa milites, & fortissimus quisque in prætoriam cohortem delectus, apparatu quàm successu majore. Bohemiæ enim Rex Gallo duplici affinitatis vinculo, ob Caroli filij cum Philippi sorore, & Joannis Regis Franciæ primogeniti cum nepte Bohemi, natâ ex Duce Carinthiæ, conjugium, adstrictus, partibus Gallicis sese addixit.

Subijciendum est usitatis mortalium contentionibus bellum nefarium, quod Hebræa gens inveterato odio cum sanctissimâ Christi humanitate gessit in Boicâ.

Emerant impij homines, à Christianâ vetulâ, sacratissimam Eucharistiæ hostiam Deckendorfij inferioris Bavariæ oppido, eâ ut ad ludibrium & furorem barbaræ crudelitatis abuterentur, subulis, aliisque mucronibus sanguinem ex augustissimo Sacramento elicuerunt, nihil moti prodigioso ostento non modò stillantis cruoris, sed etiam aspectabilis Christi humanitatis, cujus speciem carnificum oculis ferunt objectam. Nam & majore rabie efferati, divinam hostiam flammis dedêre, contudêre malleorum ictibus, semper infractam, omniáque indigna patientem, hoc uno excepto, quòd impura rabidorum ora refugeret, ne talium bestiarum visceribus sepeliretur cibus Angelorum. Id enim ultimum, cæterísque dirius supplicium excogitârunt Dei hostes, seu ut cumularent injurias, sive devorato sacramento, tegerent. Verùm immane scelus quantumvis nocte, & tot defensum latebris, cælum insolitis lamentis, quæ Angelorum fuisse par est credere, prodidit. Nocturni vigiles secuti voces quiritantium geniorum, sacróque perfusi horrore, suspicionem magni facinoris ad Magistratum detulêre. Ut ventum in rem præsentem, manifesta patrati sceleris argumenta fidem fecêre. Injectus indè ardor immane nefas spectantibus, evertendi gentem sacrilegam, quæ non contenta vexare cives iniquissimis usuris, Deo sanguinem, cœlo quiritatum & lacrymas propè expresserit. Ergo fortissimi quique & optimi oppidanorum, Schæchingam suburbanum vicum evocati, cum Primoribus conspirant: prolatâ in medium cruce se jurejurando mutuò obstringunt, & Hartmanno Degenbergio Dynastæ sumendæ vindictæ imperium deferunt. Pridie cal. Octobris, uti convenerat, factus est in Judæos impetus. Parârant illi jam defensionem, ultima ausuri, ne perirent inulti. Quare tela jacere in subeuntes cives, faces in tecta jaculari, conari civium sanguine & civitatis busto sibimet parentare. Id ne assequerentur, vetuit civium fortitudo. Nam Hebræi primo impetu protriti, nihil secum præter impium votum ad inferos abstulerunt. Eorum bona publicata, direptáque, piæ operæ præmium civibus fuerunt. Sed omnium spoliorum æstimationem vicit divina hostia in suo sanguine reperta, asservatáque non modò ad rei gestæ memoriam, sed etiam ad venerationem, & perpetuam civitatis tutelam. Ei honorificè reponendæ nova Ædes, sacri Sepulchri nomine, ex piorum collatitiâ liberalitate erecta, hodiéque visitur. Henricus Boiariæ Dux facto civium probato, Judæos jure cæsos pronuntiavit, eorúmque fortunas læsi Numinis vindicibus in præmium concessit.

Judæorum sacrilegiũ Deckendorfii. XXXII.

XXXIII.

Per id tempus Ratisbonenses grande discrimen adierunt. Cæsaris iram (si vana non est Aventini conjectura) meruerant initâ cum Henrico jam memorato societate, in nuperis tumultibus. Malum ingens nec opinantibus parabatur. Hærebat mœnibus Boicorum Principum domus, ubi nunc est ædes Ægidiana. Ad eam ex agro suburbano ducebantur cuniculi tanto silentio, ut ad extrema propè ventum fuerit ante omnem notitiam metúmue periculi. Per cuniculos tendebat iter subterraneum, nec supererat aliud, quàm ut conjurati, qui in urbe erant, perfosso muro, aditum Cæsariano militi aperirent ad ædes Principis. Decimo tertio cal. Junij, quo die hostis urbem erat subiturus, fraus fuit animadversa. Duo, qui maximè intenti erant operi, abrepti in furcam, è murorum pinnis pependerunt. Hiatus saxo oppilatus, inciso epigrammate servavit facti memoriam.

Ratisbona periclitatur.

Annus

Annus trigeſimus octavus magnis tempeſtatibus turbidus fuit. Colmariam acceſſerat Ludovicus, ut res Alſatiæ componeret Argentinenſis Epiſcopi molitione turbatas. Bertholdus Buechegkius Epiſcopo nomen fuit, cujus jam antè cum honore meminimus. Is olim de Ludovico optimè fuerat meritus, quando ipſius potiſſimùm operâ factum, ut conſilio Leopoldi Auſtrij aliorumque ſacrorum juxtà ac profanorum Principum, De Franciæ Rege ad Imperij ſolium euehendo, in Renſeano conventu, fuerit interceſſum. Verùm Bertholdus à Teutonici Ordinis præfecturâ, ad Spirenſem primùm, deinde ad Argentinenſem Epiſcopatum à Joanne XXII. evectus, animos Ludovico iniquos unà cum Pontificijs infulis induit. Joannes Pontifex ejuſmodi illecebrâ, ad pelliciendos in ſuas partes Germaniæ Epiſcopos, armandóſque in Ludovicum, uſus erat, cùm neglectis Collegiorum electionibus, principales mitras pro arbitrio, ad homines Cæſari infeſtos transferret, quorum operâ eum de gradu deijceret. Cùm Bertholdus, his vinculis implicitus, à Ludovico fuiſſet monitus, ut Epiſcopatûs jura, quæ vocant, regalia fiduciariúmque Imperij beneficium, more majorum recognoſceret, adduci non potuit, ut morem gereret. Fremebant interea Wirtenbergici & Oetingani Comites, nimiámque Cæſaris patientiam ignaviæ nomine ſugillabant, quòd ſe tanto ſupercilio, à Bertholdo deſpici pateretur. Jam quarto ab hinc anno, Cæſar armatam manum in Præſulem paraverat, erátque in eo, ut ejus pertinaciam frangeret. Sed interceſſit Herbipolenſis Epiſcopus Ludovici nuper Cancellarius, perſuaſitque, ſervare amicum, quàm perdere hoſtem, magis eſſe Imperatorium. Igitur tunc quidem Argentinenſi parſum eſt, ſed conſultò in hæc tempora dilata pœna. Quo graviùs plecteretur Bertholdus, à ſuis familiaribus in vincula conjectus tamdiu captivus fuit, donec libertatem multo auro, pactiſque duriſſimis, redimeret, expertus futurum fuiſſe facilius, Principis beneficia ex Cæſaris manu capere, quàm capi ab infidis. Nihilominus, quamvis nôſſet, quòd cauſas Cæſari dediſſet iraſcendi, tamen cuſtodiâ expeditus, Cæſari, quem ſupra modum comem humanúmque eſſe noverat, ſuas ærumnas commendare auſus eſt, & cum Joanne Sennio Baſileenſi Epiſcopo Columbariæ diverſanti, venire in ejus conſpectum. Fiduciam non fefellit mite Ludovici ingenium, à quo tanta fuit humanitate exceptus, ut manſuetiſſimi Principis mores ignorantibus, ea ſuavitas ad oſtentationem compoſita eſſe videretur. Ad eum modum cicuratus Bertholdus, cùm à Cæſare juramentum præſtari ſolitum poſceretur, reſpondit ſe facturum, ſi Synodi pauló pòſt futuræ Patribus ita videretur. Ipſo porrò ſuaſore Moguntinus Archiepiſcopus Antiſtitibus Comitium Spiram indixit. Convenêre menſe Martio cum Henrico Moguntino, Bernardus Padebornenſis, Henricus Auguſtanus, Gerardus Spirenſis, Ulricus Curienſis, quique Senatum poſtulârat, Argentinenſis. Leopoldus Babenbergius, Joannes Baſileenſis, Henricus Aichſtetenſis, Otto Wirceburgius Legatos miſère. Adfuit in commune conſulentibus Cæſar, ut ſemper antehac quietis publicæ cupidiſſimus, & nondum fractus Pontificijs fruſtrationibus. Percelli tamen, commoverique animo viſus eſt, cùm poſt longam quæſtionem, animadvertit, Patres ad irrita conſilia revolui, & veterem ſibi quercum, quam toties fruſtra excuſſerat, obtrudi. Novas illi ad Pontificem preces ſuadebant, offerebántque de ſuo cœtu, qui Legationem obiret, Ulricum Curienſem Epiſcopum, cujus inter ſacratos viros major eſſet futura authoritas, & impetrabilior oratio, ſi Eccleſiaſtici ordinis univerſi deſideria Pontifici exponeret. Rectè ratiocinabantur, etiam Cæſaris ſententiâ, ſi, quàm intelligens humani divinique juris Pontifex erat adeundus, tam etiam ſuæ ſpontis arbitrijque fuiſſet. Cæteroqui redibat in mentem ſuperioris Legationis conatus inutilis, tametſi illi ad ſplendorem & Principum virorum authoritatem, qui illam obierant, nihil addi potuiſſet. Animo obverſabatur propoſitarum conditionum ſumma, quæ deſiderari potuiſſet, æquitas & demiſſio: Cantatam eſſe dictorum, factorúmque palinodiam, quamvis culpam in ijs Cæſar vix ullam agnoſceret: ſuſtinuiſſe eum

XXXIV.
An. Christ. M. CCC. XXXIIX.
Argentin. in vita Bertholdi.
Episcopus Argentinensis Ludovico adversatur.

XXXV.

XXXVI.

Rursus oratur Pontifex pro Ludovici reconciliatione.

non modò personam supplicis, sed etiam propriam innocentiam ream peregisse: projecisse ad Pontificis pedes honorum insignia, & ultimi dedecoris tolerantiâ captâsse ipsius gratiam, nullo alio fructu suæ modestiæ & infelicis pietatis, quàm ut Legati viri principes præbuerint adversarijs os ad contumeliam; & Germa-
XXXVII. nicam simplicitatem, maiestatémque Imperij adduxerint ad insignem vilitatem: Satis tandem apparere, id tantùm quæri, ut misso sub jugum Imperatore, inducatur insueta forma novi dominatûs. Talia cùm adversus legationem jactarentur, cessit tamen Antistitum authoritati Cæsaris facilitas, id saltem factura lucri, ne contumacem appellare ulla ætas posset, quem toties supplicem esset
Extant apud Bzovium. auditura. Additus Ulrico Curiensi Episcopo Gerlacus Nassovius, & mandatis Cæsaris junctæ Episcoporum litteræ, nulli bono futuræ, nisi ut legerentur, & reijcerentur. Lenivêre tamen invidiam lachrymæ, quibus perfusum Pontificis vultum Legati viderunt, incertum, Ludovicúmne, an seipsum miserantis.
PONTIFICIS LACRYMÆ.
Jam enim non statuendi modò, quæ vellet, sed loquendi etiam libertate exciderat: animi proinde sensa publicare prohibitus, hæc paucula Legatorum adorantium auribus insusurravit: Ægrè sibi esse, quòd Ludovico bene velle, non item benefacere posset. Constrictum se esse Regis Franciæ minis, atrociora sibi, quàm nuper passus sit Bonifacius, interminantis, si cum Cæsare palàm in gratiam rediret. Hæc questus, Legatos, ne violarentur, Delphino commendavit, à quo Lausannam usque ducti, suísque redditi, negârunt æqui quicquam ex Galliâ esse exspectandum. Ruperto nihilominus Palatino, qui proximè Cæsaris Orator fuerat, Rosa aurea Pontificiæ benevolentiæ munus missa est, ne Germaniæ almam pacem desideranti nihil datum videretur.
BELLUM LEODIENSE.

Villan. Ioan. Hocsemius. Pro pace interim bellum exarsit, fœderatorum viribus, adversus Episcopum Leodiensem Adolfum à Marca gestum. Brabantus classicum cecinerat, ideo infensus Episcopo, quòd Mechliniam Flandro vendidisset. Neque Cæsar con-
XXXVIII. silio ejus intercessit; quòd Leodiensem noverat Gallicarum partium, quàm Imperij esse studiosiorem. Accesserat nova offensio, ob Episcopi, in Cæsarem, pervicaciam. Nam ad Comitia Coloniensia Aprili mense per litteras, cal. Febr. datas vocatus, ne responso quidem Cæsarem dignatus fuerat: quod ne ipsi impune foret, dignus est visus quem sexaginta octo peditum equitúmque millia ad modestiam reducerent. Imperator bello abfuit: Ludovicum filium Marchionem Brandeburgicum pro se misisse contentus. Episcopo, Bohemus Rex, mille octingentos equites adduxit: sed fortunam parùm propitiam cùm fuisset expertus, ex bellatore orator factus, adnitente potissimùm Coloniensi Antistite, pacem inter partes composuit. De Coloniensibus Comitijs nihil ampliùs reperimus commendatum memoriæ. De Renseanis & Francofurtensibus, multa insignia tabulis consignata sunt.

Chron. Martini Pœnitentiarij. Pridie Non. Julij, quod Aventinus notat, vel quod Epistolæ Electorum certiùs asserunt, ipsis Idibus Julij, Septemviri Electores Principésque magno numero Rensij convenêre. Nuper, Spirensibus Comitijs, seriam fuerant polliciti operam Reipub. si novissimæ Legationis vota solitis frustrationibus Pontifex
SENATUS-CONSULTUM RENSEANUM. expedisset. Ventum ad ultima fatebantur, consumptísque remedijs, patientiam manifesto malo succumbere. Querebantur, Imperij non modò dignitatem, sed propè etiam nomen supremè periclitari: demi autoritatem Septemvirûm
XXXIX. suffragijs: carituram denique Imperatoribus Germaniam, aut, quod non multò dignius sit, habituram, quem Galli Pontificibus obtruderent. Jam duorum Pontificum annos ad pertexendam hanc telam esse impensos, mussitante suum dedecus Germaniâ, & cùm exterum jugum acceperit, serò libertatem inclamaturâ. Id quoque verecundiæ Germanis Principibus apud posteritatem fore, quod in annum usque quintum & vigesimum de jure Cæsaris ab ipsis more majorum electi, inquiri & dubitari passi sint, quódque eam litem suâ ignaviâ aluerint, non sine præjudicio causæ, quam prodituri tacendo non fuerint, nisi fuissent de illius æquitate diffisi. Non aliter eorum famam posse eripi invidiæ,
quàm

quàm si tot annorum silentium nobili monumento corrigant, & tali quidem, quod perpetuam testificationem contineat optimæ in Rempublicam voluntatis: in hunc modum præparatis animis, magno assensu senatusconsultum condiderunt, quod qui volet legere, reperiet apud Albericum de Rosate, & Hieronymum Balbum Gurcensem Episcopum. Ejusdem meminerunt alij, in quibus Rebdorfius, Abbas Urspergensis, Joan. Latomus, Aventinus, Freherus. Jure, an injuriâ cúmque Reipub. Christianæ incommodo fuerit conditum, neutram in partem pronuntiavero. Albericus, qui id temporis in curiâ Romanâ versabatur, testatur audivisse se *magnos Prælatos, & Laicos, utrosque jurisperitos* inclinasse in sententiam, quæ pro edicto certabat: idem utriusque partium argumenta dissolvit. Addit præterea, vidisse se Epistolam Electorum & Principum ad Benedictum XII. Pontificem pro jure Romani Imperij: quam Freherus recenset, eo tamen suspectam, quòd nomen Waldemari Marchionis Brandeburgici, & Rudolfi Palatini præferat, quasi uterque suâ illam manu & auctoritate firmârint, cùm tamen aliquot annis, antequam Renseanum Edictum, & Septemvirûm Epistola extarent, uterque in vivis esse desiisset. Constat enim senatusconsultum Renseanum esse editum An. M. CCC. XXXVIII. Augusti mensis die VIII. datásque (si ullæ datæ sint) eodem anno Electorum litteras: Waldemarum autem II. Brandeburgicum Electorem, eúmque ex Anhaldinâ Ascaniorum stirpe ultimum, Anno M. CCC. XXIII. vel XXII. Rudolfum quoque Electorem Palatinum Anno ejusdem sæculi XXVII. fatis concessisse, ut proinde neuter sanciendo edicto potuerit adesse. Edictum porrò in eo versatur, ut ostendat, quid legitima electio juris in administrando Imperio conferat Romanorum Regi ante Pontificiam confirmationem. Id Senatusconsultum Septemviri in tabulas relatum Pontifici transmisêre, jus postulantes, & causæ fiduciâ animosi. Imperator Francofurti 6. Id. Aug. diademate redimitus, populo se spectandum præbuit, & pro se orsus dicere, negavit, quicquam sibi æternis bonis, Deo, fide, & Ecclesiâ potius unquam fuisse: quam cum lacte imbiberit pietatem religionémque, ad ultimum usque spiritum inviolatam servaturum, suóque, si opus sit, sanguine obsignaturum. Interim diris Pontificijs appeti suam innocentiam, aliquo fortasse famæ, nullo conscientiæ periculo. In Dei omnia cernentis vultu acquiescentem, impavidum inter humana odia staturum. Ea ut dici ex animi sententiâ omnes agnoscerent, Christiani ritûs preces, quas vel mortalibus Dei filius dictavit, vel ad Dei matrem Angeli exemplo recitamus, tum denique summa fidei capita magno pietatis sensu, quam vultûs ardor & heroica vox facilè proderent, clarè pronunciavit, ita propitium sibi numen, pacémque Superûm expetens, si consentaneè sanctissimis scitis votísque omnibus vixisset.

Alberic. de Rosate in l. 3. de præscript. triennal. Hieron. Balb. lib. de coronat. ad Carol. V. pag. 65.
Rebdorf. an. M. CCC. XXVIII. Vrsperg. Paralip. p. 271. Latom. in Chron. Francof. p. 135. Aventin. p. 777. Freher. in Rebdorf. Loc. cit.

LUDOVICI PUBLICA PROFESSIO. XL.

Hoc pietatis præludio, cùm populum erexisset; sanctionem, quam paulò antè retulimus, publicavit, capite eius, qui contrà facere, dicerève ausus fuisset, supplicijs devoto. Refutatæ pariter Joannis XXII. execrationes, causæque refutationis editæ: si qui deinceps contrà agerent, aut sentirent, suóve patrocinio istis Pontificijs censuris adstipularentur, igni & aquâ interdictum. Ea sententia religiosiores graviter perculit, dubiósque quò se verterent, magnis affecit incommodis. Ædis D. Bartholomæi Canonicis, Dominicanorum & Carmelitarum plerísque Pontificium nomen sanctius fuit, quàm ut Cæsaris authoritate moverentur, & acta probarent: eam constantiam alij exilio, alij fortunarum imminutione luerunt. Ex Proceribus, nemo Bertholdo Argentinensi rigidior: solus Principum sacramentum Imperatori dicere detrectavit, quantumvis suâ ipsius syngraphâ admoneretur officij: Illâ enim disertè receperat, nisi postremæ Legationis postulatis Pontifex annuisset, in Cæsaris se potestate fore. Immemorem promissi & tam amicorum exempla, quàm monita spernentem, hostes in viam reduxêre. Ii undique coorti, destitutum Principis gratiâ in maximas conjecêre difficultates. Argentinenses adeò negârunt se pro pastore habituros

SANCTIONIS RENSEANÆ PUBLICATIO. XLI.

POENÆ CONTRA SENTIENTIUM.

turos hostem Cæsaris. Tum denique fractus animo, Spiræ in verba Cæsaris juravit, ut tamen Cæsarianum aliter se dici nollet, nisi unà Pontificio esse licuisset. Assensus fuit Cæsar, magno clementiæ documento, erga tam difficilem XLII. clientem. Morositatem ipsius compensavit communis Septemvirûm consensus, qui tutelam legis nuper Francofurti latæ professi, se ad ejus defensionem colligârunt, rati (quæ fuit temporis acerbitas) salutem Reipub. & Germanici nominis gloriam, sanctionis illius incolumitate sustentari. Unius Bohemi Regis nomen in tabulis desideratur, quòd is ad Gallicam factionem velut tempestatis impetu avulsus, â communi curâ Reipub. discessisset.

Ioan. Hocsem. Ioan. Villan. ANGLUS VICARIÂ IN IMPERIO POTESTATE ABUTITUR.

Anglus vicissim rebus suis stabiliendis, in Brabantiam, cum trecentis & ampliùs navibus, appulsus, Ludovicum ad Francicum bellum, ex fœdere, invitabat: sed cùm præter verba nihil adferret, & promissa stipendia nusquam apparerent, Cæsar excitari se non est passus: ne tamen nullum benevolentiæ pignus daret, Regem, Imperij Vicarium per Germaniam declaravit. Is honor Francofurtensibus Comitijs, Septemviris probantibus, decretus fuerat, magno haud dubiè usui Anglo futurus, sed non minorem Ludovico conflaturus invidiam, tum præsertim, cùm Rex isto jure promiscuè adversus omnes uteretur, & in Episcopos etiam incurreret. Eorum querelæ demum ad Pontificem delatæ, ejus benevolentiam in Cæsarem, siqua adhuc erat, extinxerunt.

Extant de hâc causâ litteræ Pontificis ad Capitulum Leodien. LOCUSTARŨ AGMINA. XLIII. *Caroli IV. vita Rebdorf. Metrop. Salisb.*

Salisburgi interim, Friderico Antistite cal. April. mortuo, Henricus Piernbrunnensis Bojus ex Rupertini Gymnasij Præfecto evasit ad mitram Archiepiscopatûs. Memorabilis hoc anno clades non Boicæ modò, sed etiam reliquæ Germaniæ per locustarum examina fuit importata, mense Augusto. Ex Oriente in Ungariam delatæ, in modum densatæ nubis, septem milliaria, pigris corporibus inumbrabant, quòd Carolus Bohemus recto itinere per id spatij progressus, deprehendit. Omnia in ijs aspectu auditúque fœda & horrida: cum stridore volabant senis instructæ pedibus: aliæ totidem nigrâ fuligine litteratæ iram Numinis inauspicatis characteribus loquebantur: dentium durities, quidquid contigisset, erodebat: fœcunditas tanta, ut unius infelicis noctis conceptu, vicenas singulæ excluderent: quacunque pleno exercitu aërem volantes occupabant, solem terris eripiebant: subsidentes, agrorum elegantiam non libabant tantùm, sed radicitus depascebantur. Vitibus tamen alicubi abstinuisse

Addit. ad Lamb. Schaff. M.CCC. XXXIX.

proditum est. Ungariam communi voracitate populatæ, Provincias cæteras velut sortitò diviserunt. Medio agmini cessit Bavaria: ala altera Italiam, altera Franconiam involavit.

Sub vernum sequentis trigesimi noni jejunium, Ludovicus Francofurti in frequenti Principum coronâ Reinaldum Geldrum, & Wilhelmum Juliacensem Comites, novis dignitatibus auctos, illum Ducem, hunc Marchionem, salutavit. Idem Anglo per id tempus auxiliares copias ex fœdere rursus flagitanti, negavit se pactis teneri, quæ Rex, non numeratis in tempore stipendijs, prior violâsset: Infra Imperatoris dignitatem esse, quingentis tantùm equitibus,

XLIV. *Argent. Hocsem. Villanus refert ad priorẽ annum.*

quos Rex Romanis aquilis destinabat, circumdari: ita fœderi renunciatum magnâ vulgi admiratione in utramque partem interpretantis factum Cæsaris, alijs constantiam in eo desiderantibus, aliis regium aliquod arcanum, & doctam inter se colludentium artem suspectantibus.

BELLUM BERNENSE. *Stumpf. Munster. l. 3. Hocsem. Trithem.*

Secuta est mense Junio Bernatum de Ludovici clientibus memorabilis victoria: Bernates Cæsarem ut piorum cœtu extorrem aversabantur: Friburgenses contrà fide in ipsum incliti, Bernatium contemptum bello vindicandum sumpserunt, inito cum vicinis Optimatibus fœdere. Acuebat iras Loupense oppidum nuper ab Imperio ad Bernates devolutum, inter victoriæ præmia cessurum Friburgensibus, si rem gessissent ex sententiâ. Illuc fœderatorum copiæ universæ ad triginta hominum millia confluxêre: eminebat Neoburgicus, Nidavius, Valendisius, Antuatius, Furstenbergius, Montenachius Reguli, non unius gentis viribus potentes. Bernates rebus omnibus, præterquam virtute inferio-

feriores, 12. cal. Julij venêre in illorum conspectum cum exiguâ manu ab hoste derisâ. Etiamnum patuit, quàm noxium sit, hostem contempsisse. Luxuriabat nobilitas, ludis equestribus simulacra ludi, non pugnæ editura, & velut mox ductura Bernates in triumphum. Verùm hi tanto impetu in gloriosos milites invecti sunt, ut momento temporis aliam faciem utraque castra inducerint. Bernatium virtus uti in pugnæ discrimen integra venit, ita sui ludibrium non verbis, sed fortibus factis ulta, magnam in Friburgensibus stragem edidit. Quatuor millia inutilem arrogantiam suo sanguine luerunt. Inter cæsos, quatuordecim Comites, nobiles octoginta, ex insignibus agniti. Unius Bluembergij equestri loco inter Suevos nati facinus, laudem tulit etiam apud victores, quòd, amissâ jam rei bene gerendæ opportunitate, gloriosam mortem ignominiosæ fugæ præferens, incitato equo in confertos hostes non priùs pugnare, quàm vivere desijt. Loupâ in hunc modum obsidione liberatâ, rectâ itum Burgensteinium, familiæ illustris, cui inde nomen, gentilitiam sedem. Eam Gordanus tenebat, istius belli fax, & dignus, qui suo incendio involveretur. Is per exploratorem delusus, quasi Bernatium acies inclinaret, velut jam securus periculi, salutísque suæ negligens, priùs vidit Bernates ante arcem victores, quàm cognovisset vicisse. Telum fortuitò missum, ex alto de mœnibus prospectantem, confecit.

Inter hæc Anglus, etsi Ludovici auxilia desperârat, bellum tamen Francicum magnis animis viribúsque resumpsit: constat, eum quatuordecim equitum millia, peditum sexaginta, sub signis habuisse, & omnes regio stipendio militaturos, si ducenariam Ludovici Brandeburgici Cæsaris filij cohortem, & mille quingentos equites voluntarios è Germaniâ spem prædæ secutos excipias. Cameracum primò tentatum est, Urbs Imperij. Languida obsidio nonâ die prorsus soluta est. Anglis justo prælio decernere ardentibus, Franci sui copiam non fecêre. Credidêre, posse Anglum, nullo sui periculo, fame expugnari. Hâc solâ Germanos domari posse censebat Robertus Rex Apulus, magnámque Philippo cladem denuntiabat, si confligeret: id enim astrorum aspectum portendere. Fides habita vaticinanti maximè ob longum rerum usum, quo obtinuerat, ut ipsius responsa instar oraculorum haberentur. Salutaria monuisse, eventus ostendit: Nam Germanorum plerique exosi sedentariam militiam, domos suas repetivêre. Anglus in Flandriam digressus cùm partem Galliæ nullam cepisset, insignia tamen sumpsit, insertis in scutum Lilijs, & usurpato Regis Franciæ nomine. Cæterùm nullâ præterea re hoc anno tentatâ, bello in sequentem indicto, transmisit in Angliam, ut rem illic pecuniariam expediret.

Villan. Argent. Hocsem.

XLVI.

BELLUM ANGLICUM IN GALLIA RECRUDESCIT.

Interim Ludovicus Cæsar, postquam Henricus Inferioris Bavariæ Dux 7. cal. Septembris è vivis excesserat, Ioannem ejus filium, quem ille ex Margaritâ Bohemi Regis filiâ unicum sustulerat, cum Provinciâ universâ in tutelam accepit, legésque utiles, maximè ad repurgandas fori labes, corruptelásque judiciorum, tulit. Joanni tum decenni Rudolphi Palatini filiam despondendam fuisse Carolus IV. in suâ vitâ annotavit; sed Ludovico pro suâ filiâ ambiente, eam conditionem priori fuisse antehabitam: Patrem verò, quòd filia per ætatem fari nondum posset, ejus vicem spospondisse, factúmque divinitus, ut ea illi infantia esset perpetua, memorabili prodigio, nisi ejus fidem ipse author elevaret, nunquam æquus rebus Ludovici, neque famam ejus tantùm, sed paulò pòst etiam coronam invasurus. Joanni vita brevis fuit, Bojariæ universæ ditiones sub unum dominatum destinante cœlo. Id sub finem anni sequentis factum.

Arenb. Chron. M.S.

HENRICI BOII DUCIS OBITUS.

BOICA INFERIOR SUPERIORI IUNGITUR.

XLVII.

AN. M.CCC. XL.

Joanne extincto, de hærede lis erat. Præter Ludovicum Cæsarem, Fridericus & Leopoldus Duces Austriæ, Othonis & Elisabethæ Boiæ Joannis amitæ filij, & Adolfus insuper Comes Rheni Palatinus, hæreditati imminebant. Causâ disceptatâ, pro Ludovico fuit pronuntiatum. Quare adito Principatu, suæ Provinciæ jura Landishutæ confirmavit. Eâ in Urbe Dominicani Patres Pontificijs perculsi minis, sacra opertanea, excluso populo, cùm jam diu fecissent, rebus

PP. DOMINICANI PONTIFICIUM INTERDICTUM ABRUMPUNT.

bus ad Ludovicum delatis, vela vertere cogitabant ſuperato metu. Suberat nihilominus decori cura, nec volebant videri ſerviſſe tempori, ſed neceſſitati paruiſſe. In eam rem conſilium ab ingenio petitum. Res ex compoſito adornata cum Duce Tekenſi. Is face armatus Cœnobium irrumpens, minitatur ſacerdotes cum ſuis aris mox arſuros, niſi remiſſo interdicto, privatam pietatem & ſacra publici juris facerent. Hac ſimulatione expugnatum templum, palámque litari cœptum eſt. Ratisbonæ ejuſdem inſtituti Patres cùm ad viginti propè annos à publicis officijs abſtinuiſſent, ipſi quoque triſte ſilentium templo proſcripſerunt. Ludovicus Vilshovium digreſſus, alteris tabulis promiſſiſque novorum clientum deſiderio ſatisfecit: Præcipuum caput fuit, de conflandis in unum Boiariæ Provincijs, ita quidem, ut, niſi Reipub. ratio aliud exigeret, penes unicum caput, velut ſociata membra, manerent perpetuò. Certè Ludovicus vigeſimo ante mortem anno mentionem de dividundo imperio fieri vetuit, eámque legem violaturos ab hæreditate ſubmovit, utili quidem cautione, ſed à poſteris inſuper habitâ.

XLVIII

Cum Margaritâ Bohemâ, pluſculum negotij fuit. Negabat Ludovicus paſſurum ſe, ut Burghuſium, ab Henrico marito ipſi attributum in Viduitatis ſedem, penes ipſam remaneret, niſi Rex Bohemiæ, viduæ pater, Egrâ, quam pignoris loco eò uſque poſſederat, deceſſiſſet. Evaſura lis in bellum videbatur, jámque erat in procinctu Carolus, ſorori laturus opem; cùm deníque inter diſſidentes convênit, ut renuntiante juribus ſuis Margaritâ, Egra in Regis ditionem tranſiret, modò Joanni filio ſuo apud Tyrolios imperanti, perſuaſiſſet, ut ſolenni & uſitato Principibus obſequio ſacramentum Cæſari diceret, ſéque ejus beneficiarium profiteretur. Id non eſt impetratum à faſtu hominis præcipitio proximi, unde ruentem proximè ſpectabimus. Margaritæ exitus memorabilis fuit. Poloniæ Rex, qui in ejus amorem, vivente marito, inciderat, viduam in thori Regnique conſortium invitabat. Pater Margaritæ, cùm neminem alium generum mallet, nuptiarum conciliator futurus, eum in conſpectum filiæ adduxit, tum quidem ex morbo decumbentis. Juſſa ſalutare hoſpitem, imò ſponſum, offenſa peregrino cultu, & qualem rumore ſibi vel ſuſpicione finxerat, maritum à Chriſto alienum averſata, refugientibus ab eo videndo oculis, animam edidit.

MARGARITÆ BOHEMÆ MEMORABILIS EXITUS.

XLIX.

RATISBONENSIS EPISCOPUS SEDEM DESERIT.

Porrò annus iſte Nicolaum etiam Ratisbonenſem Epiſcopum ſuſtulit, cùm annos viginti ſeptem Eccleſiæ ſuæ clavum eâ moderatione tenuiſſet, ut neutiquam Pontificium odium incurreret, & Cæſare ſemper favente uteretur. Virum magnum conſtantia deſtituit in re minùs difficili, quæ nata ex civium Ratisbonenſium protervia, ipſi Epiſcopatûs gubernaculum excuſſit. Cauſa fuit hujuſmodi. Piſtor, qui panem juſto minorem vendiderat, in volutabrum, more Ratisbonenſi dejectus, culpam luerat. Is cùm emerſiſſet, ab alio cive, qui ſpectaculo aderat, rurſus præcipitatus in cœnum, ignominiam tam altè demiſit in animum, ut paulò pòſt inviſum hominem, Sacerdoti divinam hoſtiam ægro deferenti comitem, trucidârit. Cæde patratâ, refugit in ædes Pontificias, quibus ſacri aſyli jus eſſe noverat. Cives immane facinus ulturi, latronem è latebris publicum extrahunt, & carnifici jugulandum obijciunt. Nicolaus Antiſtes peſſimi exempli vim deteſtatus, ſacroſanctæ immunitatis violatores in jus vocat. Nemo comparet; negant tanto ſceleri ullum aſylum eſſe apertum: vel ab aris ad furcam fuiſſe rapiendum, qui ſuo furori, Deo ſupplicantem ex improviſo immolârit, & ſanctiſſimæ religionis pompam humano ſanguine temeraverit.

L.

Pontifex cùm nihil proficeret, reúmque ſe nemo agnoſceret, ipſe ſibi indixit exilium, indignam urbem pronuntians, quæ viventi ſibi hoſpitium, aut morienti tumulum præberet. Neque illum ab eâ ſententiâ vel muneris ſui ratio, amicorúmve voces, vel publici boni cura, abduxêre. Quare propoſiti tenacem, dolorique indulgentem ætas denique confecit Altaichij, quod ſuperius vocamus. Benevolentiæ adverſus Monaſterium documentis id quoque accen-

ſeas,

ſcas, quòd primos Marianæ Cellæ ad pedem Schopflochij montis incolas, inde jura petere, ritúmque diſciplinæ juſſit. Gottfridus Pucherus Straubingenſis, & Albertus Tunzlingerus Cœnobio dedere initia, Nicolao Epiſcopo authore. Reinmarus Prenbergius Dynaſta ſumptum dedit, agrúmque, quem colerent: pia poſteritas ſplendorem addidit, ut poſt centeſimum, quàm eò immigratum eſt, annum, in Abbatiæ dignationem humilitas loci aſſurgeret. D. Emerammi Cœnobitis haud perinde grata eſt Nicolai memoria, ut quem infeſtum religioſæ libertati de imponendo cœnobitarum cervicibus novi imperij jugo, non antè cogitationem depoſuiſſe, quàm à Pontifice causâ deſiſtere juberetur, meminerunt. De ſucceſſore ipſius magnâ contentione certatum eſt. Fridericus Burgravij Norimbergenſis filius prævaluit, Cæſaris gratiâ ſublevatus, quæ illi pro virtutibus fuit. Deceptum eo judicio Ludovicum tempus aperuit. Errorem compenſârunt facta laudatiſſima, quæ ob annorum rationem, vel exempli ſimilitudinem, in hunc locum congeſſimus. *MARIÆ-CELLENSIS COENOBII INITIA.* LI.

Bildenreutenſis Cœnobij cunabula primum locum obtinent plena documentis egregiæ pietatis. Quinas ex Imperatricis gynæceo virgines ſylvæ Norinbergicæ & ſolitudinis amor ceperat, ſi ſervando pudori illic neceſſaria ſubſidia reperiſſent. Cæſar probato illarum ſtudio, curæ ſibi fore pollicitus eſt, ne quid ipſis ad neceſſitatem tutelámque deeſſet. Aream circumſcripturo, rem eveniſſe memorant, quæ indicio eſſet, bonis avibus & probante Numine, pio operi manum admoveri. Volucres cantu noſtris avibus inſolito, Cæſarem omnia luſtrantem, ad procêram quercum traxere. Addunt prodigio Annales Crucis trophæum, quæ ſummæ arbori imminens Cæſari fuerit pro divinæ mentis interprete. Eum protinus in genua provolutum, adoraſſe Deum cœptis propitium, impactáque in ominoſam quercum ſecuri, initium feciſſe cædendæ ſylvæ, eximio modeſtiæ & pietatis exemplo. Nomen à crucis imagine & quercu exciſâ loco datum Bildenreuta. Sumptum in opus Cæſar præbuit, & Reipub. Norimbergenſis Optimates. Extat aliud in Ratisbonenſi viciniâ muliebris pudicitiæ domicilium, quod ſe totum debet Ludovico. Id Bettendorfium, à precum uſu perpetuo appellari voluit, cùm antea Alaſperga diceretur. De Etalenſi ſuperiùs diximus. Windesbachenſe D. Wilhelmi Sodalibus attributum, alium præter Ludovicum authorem non agnoſcit. Ingolſtadienſe Xenodochium ſua quoque ad eum principia refert. Alibi in partem vocatus piorum operum, tam largas ſymbolas adjecit alienæ munificentiæ, ut fundatorum nomen propè extingueret. Ita Hartwicus Degenbergius Ædem matris Virginis ad ultimos Boiariæ fines, quâ ſeptentriones reſpicit, monaſterio aucturus, cùm Ludovicum ad conſortium invitaſſet, præter ædis fundum, vicinum nemus ad dena paſſuum millia longum, quindena latum, ab eo impetravit. Cùm Hartwici conſilium ex certis cauſis intercidiſſet, ſuæ Cæſarem liberalitatis non pœnituit, ſed Altaichio utrique, ſuperiori videlicet & inferiori Aſceterio, votivum munus tranſcripſit. Faſtidio ſim lectori properanti, ſi per omnia Boiariæ Monaſteria ſparſas Cæſareæ beneficentiæ teſſeras colligam, ægrè pauciſſima cœnobia reperturus, quæ in accepti tabulis Ludovicum patronum non appellent, grata que proſequantur memoriâ vel fortuitorum incendiorum damnis occurrentem, vel bellorum injurias cum fœnore penſantem, vel pomœria proferentem, vel quocunque alio nomine optimè meritum. E triginta omnino Monaſteriorum in ſola Boica tabularijs produci poſſunt litteræ, quæ gratijs ab eo conceſſis robur firmitatémque addidere. Ita quem potiore jure Carolo Magno, Ottonibus, ſancto Henrico, adnumerare poſſis, & ad eorum erga ſacratas familias affectum exigere, in Regijs faſtis ægrè 'ſis inventurus. Sacerdotibus vitæ licentiori addictis haud perinde faviſſe Ludovicum, Rebdorfius author eſt, ut eum aliquando dixiſſe memoret, ſi auri montes ſibi creſcerent, unos illos opulentiæ ſuæ fructum non laturos. Credibile eſt, offenſum fuiſſe moribus aliquorum ſacro nomini non reſpondentium: contrà bonorum ſanctitate ſic capiebatur, ut non contentus eorum

MONASTERIUM BILDENREUTENSE CONDITUR.

BETTENDORFENSE COENOBIUM. WINDESBACHENSE, à LUDOVICO FUNDATA.

ALIÆ FUNDATIONES. LII.

LIII. rum inopiam sublevâsse regijs opibus, numerum etiam splendorémque auxerit. Misit ad severissimam D. Claræ scholam disciplinámque filiam, cui Agneti nomen fuit, & virtus par nomini, cui non minùs quàm Agneti Romanæ laudator Ambrosius conveniret. Nam rudes Angerani Monacensis Parthenonis tabulæ, præter rosæ hujus præproperum finem nihil annotârunt, quæ tamen ipsa illibatæ innocentiæ candorem odorémque castis mentibus non sine voluptate adspirat. Arenbeckius, atque post eum Hundius, Anno M. CCC. XXXIX. Deo dicatam, & LII. mortuam scripsere. Patre vitâ functo, Reip. Proceres Agnetem patriæ oculis reddere, profanísque imbuere artibus optabant, aliam conditionem quæsituri Virgini, quasi non felicissimè nupta esset, quæ Deo in manum convenerat. Consternata ad sacrilegi divortij mentionem integerrima virgo, ad asylum pudicitiæ, sponsi sui sinum confugit. Intimam amplexa aram, ipsúmque divinitatis sub panis specie latentis sacrarium brachijs stringens, pulcherrimum votum nuncupavit, mori certa potiùs quàm violari, aut post Deum mortali nubere. Dabat affectus verba supra ejus ætatem diserta, addebant pon-

AGNETIS LUDOVICI F. ENCOMIUM.

LIV. dus lacrymæ, & impetrabilis in bonâ causâ gemitus. Audijt numen, & quinque fatalibus maculis insignito corpore, velut amoris vulneribus stigmatibúsve, vota Virginis obsignavit, mors verò subsecuta implevit. Quod terris de ejus exuvijs relictum est, sociæ Virgines pro thesauro asservant.

MARQUARDI FRANCISCANI MEMORIA.

Ex M.S. Monast. S. Franc. Monachij.

Ejusdem instituti Patres etiam in Marquardi tumulo defossum pignus sacrum Monachij venerantur. Ille sanctitatis nomen maximis prodigijs adeptus, Ludovici quoque annos & principem Boiariæ urbem illustravit. Ratisbona Friderico gloriatur, qui ex Augustinianâ familiâ, altero post Marquardum anno, abijt ad Angelos, qui viventi erant familiares, & munusculis illitteratam ipsius innocentiam excitare solebant. Feruntur summâ hieme rosam ipsi detulisse, ut probarent horti Angelici ver esse æternum. Aliàs ligna cædenti mensam instruxere proprio suo cibo. Etiam adversus ægrum fuere officiosi, medicorum functi numere. Ijdem vinum de dolio promenti adstiterunt, & epistomium retorquere oblito caverunt, ne oblivio damno esset, vini fluxum sistentes.

FRIDERICUS AUGUSTINIANUS.

An. 1327. Monasticon Augustin. & Ban. Sanct. tom. 1.

AN. CHRIST. M. CCC. XL.

BELLUM GALLO-ANGLICANUM.

Sed nos à delicijs domesticis ad bellum Anglo-Gallicum revertimur, quod utriusque gentis sanguinem anno quadragesimo, multò quàm antehac copiosiùs hausit. Fuit tamen inter fortunæ alternantis vices luctuosior Francorum conditio, ita ut mari terrâque acceptæ clades minutulis victorijs non pensarentur. Eò certè ventum est, ut Gallia pacem suspiraret, ejúsque indipiscendæ occasionem Philippus Rex avidè captaret. Duæ fœminæ, socrus altera Cæsaris, altera conjunx, ejus conciliandæ laudem tulere. Prior Joanna Valesia fuit Phi-

LV. lippi soror, quæ Wilhelmo marito (cui Augustàm nostram, & Reginam Angliæ, itémque Juliacensis conjugem genuerat) vita functo, in Fontanellensem Parthenonem secesserat studio pietatis. Huic à fratre haud ægrè persuasum, ut Reginam Angliæ suam filiam ad pacis amorem incitaret. Omnia tentando pervicit denique, ut sub finem Septembris ad Eplechiniensem Ædem, haud procul Tornaco, Regum Legati convenirent. Francicorum princeps Joannes Bohemiæ Rex fuit: pro Eduardo, Brabantiæ Dux, Episcopus Lincolniensis, Gelder & Juliacensis Reguli, cum Joanne Hannonio advenere. Datâ sacrificanti operâ, agi de conditionibus cœptum: prima dies, & ferè etiam proxima altercationibus absumpta: tertiâ denique induciæ in decem menses constitutæ.

INDUCIÆ.

Joan. Buzel. lib. 7. Annal. Gallo-Fland. Argeminas triennales inducias scribit.

Nihil tamen actum Philippo videbatur, nisi Ludovicum quoque ab Eduardi amicitiâ abductum partibus suis adjunxisset. Id negotium Margaritæ Ludovici conjugi, Joannæ Valesiæ, quemadmodum memoravimus, filiæ per literas impositum. Augustæ nomen antehac negatum, magna ei verborum ambitione concessum: additæ aliæ illecebræ tantò doctiùs compositæ, quantò plus habuere necessitatis, quàm lubentiæ. Repetita ex vetustis annalibus commoda, quæ Gallico Germanicóque nomini ex mutuo consensu obtigissent. Inter alia, gratiæ Pontificiæ spes, magnum utique amicitiæ pignus, ostentabatur,

PHILIPPUS GALLIÆ REX LUDOVICI AMICITIAM EXAMBIT.

quæ

quæ ut omnium Ludovici votorum summum fuit, ita rebus cæteris plus habitura momenti videbatur. Neque fefellit conjectura. Cæsar conditionem cupidissimè amplexus, legatos sanciendo fœderi ad Philippum misit. Quominus desiderio fieret satis, intercessêre odiosi litigatores, vetera ulcera & Pontificias diras refricantes, quæ Cæsarem non modò à piorum amicitiâ, sed consortio etiam arcerent. LVI. Explosêre Ludovici Legati intempestivam religionem, quæ nunc denique cordatis viris, citra levitatis notam obrepere non possit. Neque enim, ex quo tempore de pace agi cœptum sit, nova vincula injecta esse Cæsari: Vetera verò si valida credidissent, Ludovicum ad fœdus nequaquam fuisse invitandum. Fuisset enim turpissimæ simulationis, id unum agere, ut ab Anglo divulsum circumscriptúmque, malis artibus inter sacrum saxúmque constituerent, ultimæ fraudis nomen perpetuò laturi. Hæc oratio blateronibus silentium imposuit: non effecit tamen, quin Philippi Regis promissa in fumum abírent, sive Pontifex hac unâ in re ei se inexorabilem præbuit, negando, se in piorum album Cæsarem relaturum, sive ex compacto Ludovici causam sic ingressus est Gallus, ut vinci mallet à Pontifice, quàm vincere. Pontificis quidem vox excepta est, negantis, in gratiam Regis, ex eodem ore se calidum frigidúmque efflaturum, aut ex illius commodo eundem hominem piorum impiorúmque albo transcripturum. Sed facile fuit sagacioribus mimum deprehendere, quòd personam suam neuter satis scitè ageret; Rex quidem meliùs loqueretur, quàm sentiret, Pontificis verò voluntas esset optima, sed timida oratio, ut non immeritò illi candidiorem animum, huic liberius os boni omnes precarentur. LVII.

Ludovicus etsi suis petere Regem artibus, & vicem referre simulando posset, tamen fidei datæ constantiâ satisfecit, Eduardúmque Regem Angliæ de novo cum Gallo fœdere certiorem reddidit, quod pacisci tam sibi fuerit integrum, quàm concessum Regi, inconsulto se; inducias inire cum hoste: dedisse nihilominus operam, ne novâ contrahendâ amicitiâ, veterem amicum offenderet; imò nisi sua ipse commoda moretur, brevi cogniturum, uni illi prolixissimè eo fœdere esse consultum. Primum certè ejus caput fuisse, ut conciliandorum inter se Regum viam inveniret, & æquo jure disceptantibus præberet aures. Honestissimam conditionem omnibus optandam votis, ultro ei offerri, ut, quem causæ suæ patronum semper expertus sit, eo nunc arbitro utatur. Non mutâsse se affectum, sed quò major amplificandi nominis fortunarúmque ejus opportunitas se aperuerit, eò studiosiùs advigilaturum, ne, quem belli suâ sponte suscepti gestique satietas ceperit, pacis alienâ operâ consilióque constitutæ, jure possit pœnitere. Brevi, si velit, experturum, multò rectiùs causam non iniquam Cæsareæ moderationi, quàm Marti, malo juris interpreti, esse commissam. Hæc litterarum summa, hoc Eduardi Augustinianæi Eremitæ, qui eas detulerat, oratio, quæ ingrata fuit Regis auribus, eò maximè, quòd Vicarij nomen Imperator ipsi ademisset. Negavit porrò, se jus Gallici Regni repetendi, quod Cæsar jam antè probasset, denuo in judicium deducturum. Induciarum pactionem fuisse necessariam, honestatem novi fœderis nondum apparere: Illis suspensa duntaxat arma, non sublatas inimicitias. Fœdera cum amicis percuti, in quorum numero Philippus censeri non potuerit ab Imperatore, qui rector bonis, malis vindex divinitus datus, solâ maximi nominis recordatione sui officij admoneatur. Ita Eduardus respondebat, nondum maturis paci rebus, & mitiora ferro & sanguine remedia aspernantibus, adeo ut neque Legati Pontificij Neapolitanus & Claramontius Cardinales, præter induciarum in biennium prorogationem, quicquam pertinaci persuaserint. LIIX.

Ludovici foedus cum Gallo.

Anglum offendit.

Crevit offensa nihilo æquiore expostulatione. Eduardus filiam Monachium eâ gratiâ miserat, ut Friderico Austrio Othonis filio nuberet. Petebatur à Ludovico, ut nuptur æ dotem conficeret ex pecuniâ jam pridem in apparatum militarem pro Anglo magnam partem effusâ. Detrectavit id oneris Ludovi-

cus, cùm reliqua pecunia doti par non esset; quam ob rem Filia innupta ad patrem redijt; spem verò connubij sæpius tentatam immatura Friderici mors extinxit. Leopoldus frater eum brevi secutus est, Cæsaris gener futurus, si provixisset.

Ex Vet. M.S. TURBÆ DONAWERDANÆ.

Finem rebus hoc anno gestis, turbæ Danuwerdanorum imponent, non dissimiles intestinis certaminibus, quæ olim, incursante in Patricios plebe, rem Romanam nihilo mitiùs, quàm justa bella habuêre. Vulgus opificum, in suas descriptum tribus, non uti nunc fit, in omnia civitatis jura cooptabatur, sed ademptâ omni spe publicorum munerum, inhonoram egestatem, locandâ ditioribus operâ, & nunquam quietâ manu, tolerabat. Erant in hoc ordine quidam ingenio non infelici, conditionis vilitatem erubescentes, ijdémque populari instructi facundiâ, in circulis regnabant, audiebantúrque avidè, quoties illam Reipub. formam allatrabant. Extorres nimirum se foro, hominúmque

LIX. ultimos, alienas opes suis sudoribus extruere, & stipe veriùs, quàm mercede conductos, dies noctésque insomnes vendere avaritiæ potentiorum. Nihilominus famelicis, & omnia secum ferentibus imperari tributa, & necessaria vitæ subsidia præcidi à quæstoribus: nunquam aliàs, nisi laborante ærario, partem se censeri Reipub. Tunc citari vilia capita ad efferenda in publicum spolia suæ paupertatis. Toleraturos se tamen hanc quoque indignitatem, si onus in plures partitum æqualiter ferretur à singulis. Nunc longè duriores esse suas, quàm civium partes: quod monstri simile sit, parci istis aurei velleris ovibus, se verò pecus lanæ inops penitus deglubi, & pœnas dare suæ patientiæ. Neminem interea audere hiscere, aut justitiæ nomen appellare publicè, cùm injuriam omnes sentiant, quasi qui jure civitatis tam restricto accisóque fruantur, neque liberos se natos meminissent. His vocibus instincti, usque ad contemptum magistratuum exarsêre: solitum æs jussi pendere, negârunt, nisi comparatione factâ, collatisque suis & civium symbolis, obulum se in curiam illaturos: scire se velle, an unius modi exactio viritim fiat à singulis capitibus, an denique totum hoc onus à divitibus in pauperes inclinetur. Ad eum modum ferocientibus nonnulli ex honestissimis civitatis ordinibus sese admiscuêre, non tam amore plebis, quàm spe præmiorum, si se duces insanientibus præbuissent: utique enim eversis ijs, quos oderat populus, suum in urbe imperium fore, & quantum neque veris virtutibus erant impetraturi, assentando, simulandáque popularitate obtenturos. Sub hæc Bertholdus Neufferius, de causâ hâc, loco Cæ-

LX. saris cogniturus, urbem ingreditur, &, sive non iniquissima plebis postulata credidit, sive aliquid concedendo lenimentum furori quærebat, respondit, se acto censu, numeratisque capitibus, æris collationem singulorum fortunis attemperaturum. Sed jam sordebant prima vota opificibus, & Legati facilitatem metum sui interpretantes, auxerant impudentiam eò dementiæ, ut, nisi ejectis in exilium dominantibus civibus, negarent se actione destituros. Bertholdus superbam vocem abominatus, eos rejecit ad Cæsarem. Centum tributim lecti Ingolstadium, ubi Cæsar tum jus dicebat, jêre, deducentibus famosum agmen civium transfugis, & popularis causæ patronis. Hos furiosè loquentes Cæsar exempli prodendi studio, orbari oculis, tribulisque castigatos meminisse sortis, & ad sellas suas tabernulásque redire jussit; æqua postulantibus neque leges neque judices defuturos. Ita mens sanior plebi, quies publico, civibus & magistratibus securitas redijt.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS II.
LIBER IV.

Margaritæ Maultaſchiæ cum Ludovico Boio-Brandeburgico connubium. Irritæ Ludovici Cæſaris ad Summos Pontifices Legationes. Carolus IV. Imp. eligitur. Guntherus Schvvartzenburgicus à Caroli adverſarijs Cæſar ſalutatur. Ludovici IV. exceſſus. Grandis peſtilitas & terræmotus. Bella varia. Ludovici Brandeburgici & Wilhelmi fratris mors.

An. Christ. M. CCC. XLI.

I. Margaritæ Maultaschiæ divortium.

ANnus quadrageſimus primus Margaritæ Maultaſchiæ, & Joannis, quem Bohemi Regis filium diximus, divortium tulit, novam invidiæ in Ludovicum ſegetem. Henricus Carinthius ſatur longarum contentionum, quas cum Luxemburgicâ gente geſſerat, ob præreptum ſibi Bohemiæ Regnum, Margaritam F. æmuli ſui filio deſpondit; etſi duabus ſororibus genitos thoro jungi leges vetarent, neque Pontificum authoritas veniam juris, ſoluto impedimento, feciſſet. Anno vigeſimo ſeptimo quinquennem etiamnum ſponſum in Carinthiam ad ſocerum deportatum, Aulæ Regiæ Annalibus perſcriptum: unde conficitur, quinto pubertatis anno matrimonium diſſilijſſe: etſi id ſeptenne alij, vel diuturnius etiam faciunt. Cauſam diſſidio maritus præbuit, ſeu naturæ vitio, ſive faſcino frigidus, & matrimonij impotens, neque mentis ſatis compos, ſed dentibus ſæviens in conjugem, ejus contubernium averſantem. Jam ei ſpem prolis aliquot annorum expectatio ſuſtulerat, cùm amicorum fidiſſimis ſterilis conjugij arcana cauſa innotuit. Intererat patriæ, Margaritam matrem fieri, quæ ſola dare Tiroli dominum poſſet, & datura utique crederetur, ſi innuptas nuptias feliciore conditione mutâſſet, abductâ à viro, qui fœcunditati ejus illudebat, tenebátque captivam religione vinculi nuptialis. Neque verò ejus diſſolutioni obſtabat, quòd Joannes pro frigido habitus ſuam fœcunditatem

Cuſpinian. Reuſner, in Geneal. Luxenburg.

 poſteà

postea probârit numerosâ prole ex Margaritâ Opaviæ Principe susceptâ, & eâ demortuâ ad Margaritæ Austriacæ, ac demum ad Walsceensis Dominæ matrimonium citra impotentiæ querelam fuit admissus. Sufficiebat ad primarum nuptiarum diremptionem, quòd cum Maultaschiâ connubio uti non posset. Extulerat nuper demortuam uxorem Margaritam Daniæ Regis filiam Ludovicus Brandeburgicus Cæsaris filius. In eum conjecti oculi, quòd & fortunâ illâ dignus esset, eâque potentiâ, quæ repudiati mariti causam suscipientibus, formidini, patriæque pro tutelâ futura videretur. Hæc quantumvis occultis agitabantur consilijs, tegi tamen non potuêre. Joannes Margaritæ conjux, provinciâ Tridentino Episcopo cum vicariâ potestate commissâ, in Bohemiam primùm cum Carolo fratre, tum ad Poloniæ Vngariæque Reges profectus, domesticam potentiam externis fœderibus firmabat. Hæc agentem, adversa de uxoris machinationibus fama domum retraxit. Carolus ipsum è vestigio secutus, in Oenana valle, Albertum nescio quem, Margaritæ (nisi confictum crimen est) nothum, cúmque Alberto Præfectum Palatij, repudij architectos esse intelligit. Et Alberto quidem ex insidijs capto, inter tormenta veritas expressa: Palatij Præfectus fugâ quæstionem evitavit: arx ipsi hæreditaria solo æquata est. Amici denique cum Carolo dedidêre, vitam duntaxat pacti incolumem. Margarita in arce Tiroliâ captiva, eâ quoque calamitate sui miserationem auxit; quò faciliùs persuasit amicis, ut marito è venatione autumnali redeunti portas occluderent, vel, quod Cortusius scripsit, vincula injicerent. Corius asserit, in rustico prædio latenti; necessaria ad vitæ usum, Margaritæ jussu fuisse præbita, donec dedecoris impatientiâ ad Aquileiensem Patriarcham ille profugit. Tum demum Margaritæ desideria Cæsari explicata, & pronis auribus accepta sunt. Solus Brandeburgicus Cæsaris filius, qui ad tam luculentam conditionem vocabatur, tergiversabatur metu infamiæ, ne alieni conjugij invasor audiret, si quomodocunque priori marito obnoxiam, incertis auspicijs duxisset. Terrebat etiam, quòd tum ipse, tum Margarita suum genus referrent ad eundem proavum Ludovicum Cæsaris patrem, & Elisabetham hujus sororem Meinhardi Tirolensis uxorem, qui ambo eodem patre Othone Bavariæ Duce erant geniti, quódque consequenter propter arctam sanguinis necessitudinem, matrimonij consortio prohiberentur. Manus nihilominus dedit denique parentis auctoritati. Prius matrimonium solutum fuit non à Cæsare, quod rerum ignari obiecêre, sed potestate Ecclesiæ. Leutholdus Schaumburgius in locum Joannis exulis Episcopi Frisingensis suffectus, causâ cognitâ, sententiam pro Margaritæ libertate & primi matrimonij vitio, dixit. Rebdorfius asserit, Episcopum Curiensem octavo demum post nuptias anno, pro divortij honestate pronuntiâsse, quantum temporis non est credibile exspectâsse sponsos, nisi alia sententia, qualis est Frisingensis, præcessisset. Et nihil obstat, Curiensem jussu Pontificis, quod suo loco videbimus, Frisingensis sententiam post tantum temporis confirmâsse. Gerardus Roo rerum Austriacarum scriptor asserit, Joannem, priorem conjugem, sobolis desperatione, atque professâ impotentiâ Pontificem de solvendo connubij nexu appellâsse: sed errat in nomine Pontificis, & in annorum numero, nam neque trigesimo nono anno, quem Roo subijcit, matrimonium dissolutum fuit; & Clemens Pontifex, cui supplicatum fuisse credit, tertio demum post confectas nuptias mense, ad Ecclesiæ Romanæ clavum ascendit. Quòd si Ludovicus id matrimonium suâ authoritate solvisset, hoc ipsum non dissimulasset Innocentius VI. Pontifex in suis litteris, quæ referuntur à Paulo Episcopo Frisingensi, & Petro Abbate S. Lamberti, in quodam anni M. CCC. LIX. autographo; quod signis Episcopatûs & Abbatiæ adhuc inviolatis, in Serenissimi Principis nostri Archivo asservatur. In istis Innocentij litteris, disertè habetur, Margaritam, à Joanne, fuisse judicio Ecclesiæ separatam, priusquam cum Ludovico Brandeburgico, matrimonio jungeretur. Ad amovendam cognationis, in tertio gradu, remoram, Ludovicus Cæsar rursus ab inscitis Theologis

[Margin notes: II. — DIVORTII SUASORES PLEXI. — LUDOVICUS BRANDEBURGICUS LUDOVICI F. MAULTASCHIÆ NUPTIIS DESTINATUR. — III. — *Avent.* — IV. — *Herwv. ad An. 1340. n. 27.*]

logis deceptus, in forum alienum invasit, si quicquam tribuendum est formulæ dispensationis, quam Bzovius recenset, Rebdorfio authore, qui tamen formulæ *ad an. 1340.* non meminit, & si meminisset, tam erraret in eâ recensendâ, quàm erravit, cùm affirmavit nuptias istas, *non facto per Ecclesiam divortio*, fuisse contractas. Constat verò, istam, aliásque formulas non à Rebdorfio, sed ab eo, qui Rebdorfium edidit, nullo idoneo authore, fuisse descriptas. Certè Innocentij Ludovico haudquaquam propitij eâ de re silentium, magnum est pro eiusdem V. innocentiâ documentum, ut omnino pronum sit credere, in hoc etiam consanguinitatis solvendo vinculo, Ecclesiæ auctoritatem intercessisse, eò præsertim, quòd ad offensum Pontificem nullus vel inutilis rebus publicè necessarijs & urgentibus foret accessus, eóque fieret, ut crederent inferiores Episcopi, id sibi tum licere, quod summæ sedi licuisset. Episcopi tres, qui nuptiarum celebritatem ornârunt suâ præsentiâ, verosimiliter ostendunt, impedimentum hoc pro sublato fuisse habitum, alioqui non fuissent interfuturi nuptijs. Cæterùm *Cuspin.* ritus nuptiales anno XLII. mense Februario in Tiroli habiti sunt. Pompam AN. CHRISTI auxêre Cæsar, & sponsi frater Stephanus, Tekij Duces duo, Episcopi Frisin- M. C C C. gensis, Ratisbonensis, & Augustanus, Schwarzenbergij duo, Wirtenbergius XLII. unus; ex Goritijs, Werdenbergijs, Kirchbergijs, Cattimelibocis singuli, mi- *Cortus.* norum gentium neque numerus initus est, neque nomina annotata. Inde Tridentum itum, & præter Comitatûs Tirolensis insignia, etiam jus Carinthij Principatûs, Cæsare inaugurante, novis conjugibus collatum. Eo tempore, contrà ac Cavitellus sentit, præfecti nonnullis Italiæ urbibus dati, qui Cæsaris nomen & Imperij jura tuerentur speciosi saltem nominis usurpatione, ad Pontificis exemplum, qui similia in ditionibus Romani Imperij tentârat.

Mortuum isto itinere Leutholdum Frisingensem Episcopum, Cuspinianus tradidit. Eum paulò pòst secutus est Albertus Passaviensis, successorem nactus Godefridum Weissenekium, cujus frater Ortholfus, mitram Salisburgensem, Henrico decedente, proximo statim anno accepit. Leutholdo neminem tum quidem suffectum reperio. Credibile est, cordatiores viros contentiosam dignitatem, Joanne legitimo Pontifice adhuc in humanis agente, fuisse aspernatos.

Aprili mense, Benedictus vivendi finem fecit, ut verè maximus, ita etiam BENEDICTI optimus Pontifex, nisi metus Gallicæ potentiæ vim ejus ingenio fecisset. Suc- PONTIFICIS cessit Petrus Rogerij ex Benedictino abbate, tertiùm mutatis infulis, ad purpu- OBITUS. ram evectus. Pontifex creatus nomen Clementis assumpsit, qualem tamen VI. experiri Ludovico Cæsari nunquam licuit. Primum aversionis specimen adhuc *Succedit Clemens VI.* Rhotomagensis Episcopus dedit, cùm Franciæ & Bohemiæ Reges funestâ oratione in Cæsarem incitavit, utque jam olim audentes acriùs inflammaret, suam Philippicam è templi suggestu, unde sanctitatis leges ad populum feruntur, pro concione recitavit, ne à verborum quidem contumelijs abstinens, & in Bavari interpretando nomine in barbarum mutato, inurbanè dicax. Sub idem tempus ille ipse Carolo Bohemi Regis filio, velut divinitus motâ mente, Imperium Romanum promisit: Carolus vicissim vati suo Pontificatum spopondit. Cui dicto cùm eventus respondisset, mirum non est, Clementem quoque pro sui oraculi fide, non antè laborare desijsse, quàm Carolum in Ludovici solio poneret, strenuè adnitente Rege Franciæ, nullâ fœderis cum Cæsare icti curâ vel memoriâ. Nam quòd ejusdem Regis filius, Bohemi gener primis inaugurationis diebus, Ludovici causam in publico Patrum consessu, egit, id nec fuit serium, nec spectavit aliò, quàm ut ista simulatio Germanico candori imponeret.

Diceres coactas in novam procellam nubes, & fulmina in manum data *Bzovius.* Pontifici, quæ torqueret in Cæsaris caput, neque enim desunt authores, qui Pontificatûs initia diris ijsque multiplicibus Ludovici devotionibus insigniunt, tantâ crebritate, ut per Europam universam, quot festivis diebus, populo in concionem

VII. cionem vocato, execrationes in eum ex omnibus pulpitis jacerentur, & ad æris campani sonitum lugubrésque faces, Pontifice ita jubente, impius & mortalium societate indignus proclamaretur. Quæ si vera sunt, est sanè cur ingemiscamus. Crevit nihilominus incomparabilis in Ludovico æquanimitatis etiam tum inconvulsæ perseverantia, quæ post tot repulsas, novæ supplicationis apparatum, cum incredibili modestiâ, instruxit.

IRRITA LUDOVICI AD CLEMENTEM PONTIF. LEGATIO.

Ejus operâ respirabat Germania, sublatâque bellorum licentiâ, fruebatur suavi pacis otio, cùm ad Pontificem missi oratores, qui Ludovico atque Imperio serenitatem precarentur. Sed Clementi ne vox quidem ulla benignior excidit. Legati Cæsaris cùm diu Pontificis limina supplices trivissent, fatigati fastidijs, votique irriti, nullâ re impetratâ, in Germaniam redierunt. Ubi Avenione abierant, mox Ludovico dies dicta est, minæ graves intentatæ à Pontifice, nisi omne rerum suarum arbitrium Clementi permitteret. Cùm in tempore imperatum vadimonium pro Ludovico nemo obiret, contumaciæ nota absenti inusta est. Cæsar primum hunc despicatum non Pontifici, sed Regi Franciæ acceptum tulit, certus, eum unicè fortunæ suæ esse infestum. Quare putavit Regem esse admonendum per litteras: si quid videlicet tristius sibi accidisset, ita accepturum, ut non dubitet, id à Rege procuratum, qui iras Pontifici dictet, & cultrum velut inserat in manus, hostis tantò gravior, quantò amicior cupiat videri. Non nihil hæc expostulatio repressit Regis molitiones, & Pontificis dextram in medio ictu suspendit, ut primum ejus annum intra minas stetisse non malè memoret Argentinensis.

AN. M.CCC XLIII. VIII. *Argent. Rebdorf.* NOVA AD EUNDEM LEGATIO.

Proximo, hoc est XLIII. Anno pax maximis conatibus tentata est. Humbertus Delphinatium Princeps eam in se curam recepit. Erat tam Ludovico, quàm Franco sanguine junctus, & versandis Gallorum ingenijs, homo Gallus, cæteris aptior. Additi Augustanus & Bambergensis Præpositi, quique Cæsari ab Epistolis tum erat, Ulricus Hagenohrius, diversus ab illo, qui eodem munere functus, Groildonis cognomentum tulit. Legati in causam sine ambagibus ingressi, quinam illi nodi inexplicabiles essent, percunctabantur, in quibus solvendis tot annorum opera perderetur: Neque enim stare per Cæsarem, quominus tela abrumpatur, si finiendæ litis spes alia non suppetat. Sed Franciæ Rex pervicaciâ Cæsaris controversiam immortalem fieri causabatur. Si is Pontifici confisus conditiones omnes in illius arbitrio posuisset, brevi experturum fuisse, quid inter patrem & judicem interesset: quantóque meliores morem gerendo, quàm altercando, res suas fuisset facturus. Fides etiam tunc habita Regi, postulatúmque à Pontifice, dictaret ipse rei componendæ formam, nihil aspernaturum Ludovicum, quod ab homine fas sit impetrari. Prolatæ sunt paulò pòst tabulæ. Summa fuit, ut Cæsar impietatem Numinisque contemptum palàm confessus, Imperium ejuraret, spe omni recuperandæ dignitatis abdicatâ, nisi aliter Pontifici visum esset. De seipso, liberis, fortunísque omnibus statuendi potestatem Pontifici transcriberet, seque ad eius nutum componeret. Nihilominus, quod humanam fidem superet, pactis Cæsar subscripsit, & Pontifici sacramentum addixit, obstupescenti ad incredibilem Principis patientiam; quæ ipsi eas voces expressit, ut palàm diceret, tales Leges Ludovicum non fuisse subiturum, nisi de fortunâ prorsus desperâsset. Vrgebant Legati Clementem adhuc cunctantem, ut memor quid suarum esset partium, negotio finem imponeret, quando tam incommodam personam Ludovico imposuisset, & ipse tam facilem suscepisset. Verùm impetrari nihil potuit. Denique cùm sine responso extrudi se Legati non paterentur, solæ exauctorationis leges in tabulas relatæ. Earum exemplum cùm Imperij Principibus Civitatibúsque communicatum, magnos ubique animorum motus excitavit. Una omnium vox fuit, insidias Imperio strui, quibus nisi maturè obviam eatur, actum de Germanico nomine universo, & de vetustâ gentis gloriâ videri. Itaque in Septembrem mensem Comitia indicta sunt. Ea Francofurti agi placuit. Septemviri seorsim

GRAVIA CLEMENTIS RESPONSA. IX. LUDOVICI INFIMA MODESTIA. X. M. CCC. XLIV.

Colo-

Coloniæ Agrippinæ congressi, Senatusconsultum de libertate patriæ adversus Clementis molitiones omni studio tuendâ fecêre. Witketo Trevirensis Electoris Cancellario negotium datum, ut de Pontificis decreto Francofurti ad Ordines referret. Fecit ille, in maximâ Principum Legatorúmque, qui ex Imperij Urbibus convenerant, frequentiâ. Præterea Cæsarem monuit, contra Rempub. facturum, si per speciem pietatis, compedes toti Imperio, sibique servitutem injici pateretur. Illud quoque adiecit, Imperij Principes obnuntiaturos Avenionensibus tabulis, & jam paratam esse intercessionem, cui si se Pontifex præberet difficiliorem, tum Ordines cum Principibus in commune deliberaturos, quid causæ gravitas, quid amor patriæ, & debita Imperio fides amplius exposcant. Orationem Witkeri secunda Principum comprobatio excepit conspirantium pro Imperij capite, & universæ patriæ incolumitate, quæ salva, prostrato Cæsare, esse non possit. Neminem proinde, qui Rempub. servatam velit, ejus signa deserturum.

SEPTEMVIRALE SENATUSCONSULTUM PRO GERMANICI IMPERII LIBERTATE.

XI.

REX BOHEMIÆ PRINCIPES A LUDOVICO AVERTIT.

Inter jucundissima, quæ unquam Ludovico contigêre, censeri debet illius diei consensus, qui si fuisset diuturnior, facili negotio, plurima pro rei, quæ agebatur, dignitate, geri potuissent. Verùm proximo Renseano conventu (Baccharensem nominat Rebdorfius) alij vultus, aliæ voces in diversa tendentium promicuere. Bohemi Regis artes animorum conventum solverunt. Filium nondum erat oblitus conjugio & Principatu nuper expulsum. Ipsius quiritationibus misericordiam conciliabat, quæ suborta illi erat, oculorum cæcitas, & senium ferè ultimum. Principes obtestabatur, velut in manifestâ vi illatâ à Cæsare, quam Cæsar in alio quovis vindicare debuisset. Ausum illum esse, ut se legibus solutum ostenderet, jura naturæ confundere, solutisque connubiorum vinculis, adulteria publicare. Filium Ludovici pessimi exempli Ducem, præmium sceleris, Principatum abstulisse. Quòd si eo modo Cæsar numerosæ soboli prospectum velit, nunquam defore illecebras exercendæ per similem injuriam potestatis. Quid cuiquam tutum futurum sit, si is Principum thalamos involet, evertátque violenter? Plura dixit in eandem sententiam, & pessimè traductâ Cæsaris innocentiâ, vanos metus & odiorum semina jecit in animos Principum. Ita coitiones fieri, nova cudi fœdera & velut in grandi periculo, singuli de suis fortunis soliciti undique conquirere præsidia, nullâ habitâ ratione Cæsaris. Neque enim, quod alijs fœderibus solenne fuit, ejus nomini, ut sacrosancto, extra ordinem cavebatur, sed ea paciscentium erat inverecundia, ut velut unum de numero hostium amicorúmque, prout res feret, eum se habituros profiterentur. Sed & hoc accessit ad consiliorum infamiam, quòd Rupertus Palatinus Rheni, ruptis consanguinitatis vinculis, immemor beneficiorum, quibus erat Cæsari arctissimè devinctus, conjurationis author fuit. Pressit tamen non iram modò Ludovicus, sed etiam dolorem, neque prohibuit, quò minùs de divortij æquitate Principes denuo cognoscerent, causæque arbitrium Trevirensi Electori Bohemi patruo deferrent. Momentis omnibus rite expensis, nemo fuit, qui redintegrandum connubium censeret. Eâ sententiâ insigniter refrixit invidia, & vix suspicionibus locus relictus. Cùm verò nihilo seciùs adhuc aliqui liberrimi oris homines Cæsaris integritatem intemperanter hinc inde arroderent, ut ejusmodi rumusculos opprimeret, ipse sibi jus dixit, & pro Tiroli Lusatiam Bohemo obtulit, argenti marcarum insuper viginti millia, tribus Marchiæ Brandeburgensis urbibus primarijs pignori oppositis, quoad pecunia inde redigeretur. Admirationi fuit summis infimisque inaudita Cæsaris comitas. Ipse adeo Joannes Rex, factus ex accusatore laudator, volens lubénsque lite destitit, haud dubiè etiam simultates positurus, si per Carolum filium licuisset.

XII.

Vita Caroli IV.

MAULTASCHIÆ DIVORTIUM A PRINCIPIBUS COMPROBATUR.

Hic importunam suis consilijs pacem aversatus, pacta non ut iniqua, sed patri scilicet quàm sibi utiliora rescidit, causatus senem cæcum, eundémque prodigum, nihil pensi habuisse, quantillo argento, sed mox dilapidando, causam filiorum prodidisset. Verba fuerunt, quibus non tam texit, quàm fucavit

vit ambitum, cùm nemo non videret, ideo ipsum aspernari Lusatiæ Principatum, ut rapere posset Imperium. Quam ad rem noverat se nactum esse Pontificem magnum adiutorem. Nam hic, desperatâ Ludovici voluntariâ abdicatione, post auditos Principum Legatos, tantò ardentiùs in ejus exauctorationem incumbebat.

XIII. *Argentinas.*

ALTAICHIENSES COENOBITÆ DANUBIUM COERCENT. *Metrop. Salisb. c. 2. f. 55.*

Per idem tempus, Altaichij superioris incolæ opus arduum magnis animis impendijsque aggressi, Danubium Monasterio imminentem, objectis molibus, ductâque ingenti fossâ, in aversum alveum coëgerunt. Decem annos cum fluminis pertinaciâ luctantibus, mille libris Ratisbonensis monetæ, conatus stetit. Ludovicus sumptuosam industriam regiâ munificentiâ pensavit, prædijs pluribus supra alluvionis commoda & vectigalium immunitatem, liberaliter indultis, cùm ipsemet ad tolerandum onus Imperij extraordinarijs subsidijs indigeret, ut in sequentem annum tributum pecuarium utrique Boiariæ irrogandum fuerit. Asses septuageni quini in singulos equos imperati sunt; Bos quadragenos, octonos; ovis & porcus denos senos pependêre.

AN. M.CCC XLV. ULTIMA LUDOVICI AD CLEMENTEM PONT. LEGATIO.

Nova subinde, eadémque ultima Legatio ad Pontificem instructa, longæ patientiæ reliquias Clementis seueritati impendit. Summi eam viri obiêre: Ludovicus minor Oetinganus Comes, quique nuper similem operam perdiderat, Humbertus Delphinus. Verùm reperêre Clementem nihilo quàm antè clementiorem, quippe qui nullum Ludovici precibus locum reliquit. Ita abijt in irritum Legatio, ut nihil prorsus ampliùs spei superesset Cæsari jam apud clementiæ sedem deposito, nisi ut tandem ultimò conclamaretur.

AN. M.CCC XLVI. CLEMENS CENSURAS IN LUDOVICUM RENOVAT.

Id factum anno XLVI. Idib. April. anniversariâ cœnæ Dominicæ memoriâ sacrosanctis. Tum enim habitâ ad præsentes concione, diræ omnes Joannis XXII. rursus à Clemente in Cæsaris caput renovatæ, impacta fœda hæreseos nomina, inustáque nota schismatis, & velut in convictum digna tantis sceleribus supplicia constituta: imperatum item Electoribus, ut aliud Reipub. caput imponerent: id nî facerent, & Ecclesiæ patronum, tam necessario tempore, deligerent, fore ut suo jure spoliarentur.

XIV. HENRICI WIRNEBERGII MOGUNTINI ARCHIEP. CUM GERLACO ET RUPERTO PALATINO CONTROVERSIA.

Subinde Henricus Wirnebergius Moguntinus Antistes sede suâ dejectus est, eò quòd Pontificijs consilijs crederetur adversaturus: dejecto suffectus fuit Gerlacus Nassovius. Wirnebergius cum Ruperto Palatino nuper de Weinheimianæ urbis possessione contenderat. Cæsar arbitrio litis ad se revocato, Palatino judicium subterfugiente, sententiam pro Moguntino tulit præcipitem magis, quàm certam: paulò pòst enim causâ recognitâ, Palatinum restituit. Id Moguntinus iniquè accepit, eâque causâ conatus est redire in Pontificis gratiam, sed frustra. Quam ob rem Clementis leges, quibus ipsius receptus obsepiebatur, effecêre, ut Cæsari reconciliaretur. Interea varijs artibus Carolo Bohemo corona cudebatur.

CAROLUS BOHEMUS AMBIT IMPERIUM. *Bzov. ex Regist. Pontif.*

XV.

Primas hac in re partes agebat Pontifex; secundas ipse Carolus, nihil conditionum detrectans, ut voto suo potiretur. Pontificem sibi devinxit ingentibus promissis, si Imperij compotem fecisset. Inter cætera juratus addixit, se non modò Ludovici, sed etiam avi sui Henrici VII. acta adversus Apuliæ Regem, & Guelpham factionem rescissurum: arbitrium de causis inter Imperium & Galliæ regnum controversis, Pontifici permissurum: Ludovico Cæsari hostem futurum: Italiæ populos à fide Imperatori juratâ absoluturum, eósque suis Pontificúmque legibus relicturum. Filij jusjurandum Joannes pater eâdem verborum formulâ firmavit, senex bis cœcus, neque oculis tantùm, sed etiam mente captus, qui, ut filium in paternum Henrici olim Cæsaris solium eveheret, patris decreta damnare sustinuit. Ita nihil fœdum ambitioni, nisi non augere magnitudinem: Certè damnando parentem se reum fecit impietatis, Imperij jura accidendo, perfidiæ.

COMITIA ADVERSUS CÆSAREM. *Argent. Cuspin.*

Hæc prælusdia fuêre Comitiorum. In Comitijs, nequid sanctum esset & inviolatum, avaritia & ambitio suffragia collegêre. Gerlaci Nassovij vox Moguntinâ infulâ jam erat comparata. Waldramo Juljaco Coloniensi, octo marcarum

carum argenti millia objecta: Rudolfus Saxo duobus millibus fidem vendidit. Balduino Trevirensi amor cognati sanguinis æquo & bono potior fuit. Palatini Comites vel tentati his corruptelis non sunt, vel Collegarum facinus abominati, ab eorum societate discesserunt, illi verò, quos diximus, mense Julio Rensij congressi, parùm consentaneam superioribus senatusconsultis operam locârunt, regio nomine, quod Ludovico toties asseruerant in Carolum traducto. Factum, adversus publicam infamiam, Pontifex sua autoritate protexit. Verùm fortibus viris, & verè Germanis alius prorsus erat sensus. Fremebant in authores pessimi (ut rebantur) exempli: querebantur Patrem patriæ triginta duobus annis adoratum, optimè gestâ Repub. alia omnia meritum, spoliatum diademate, exutum majestate. Primi in hunc modum Aquenses locuti sunt. Cùm Coloniensis Elector regem novitium in Caroli Magni solio collocandum illis obtruderet, negârunt se urbe recepturum, nec dissimulabant, se ultra verba processuros, si per vim tentaretur irruptio. Animos addebat civibus, Imperatricis vicinitas, quæ Batavorum viribus disiectura erat Carolum, si in proposito adeundi Aquisgrani perstitisset.

CAROLUS IMP. ELIGITUR.

XVI. *Argent.*

Ludovicus illo ipso fatali mense, quo de ipsius dignitate Comitia acta sunt, cum Ludovico & Stephano filijs Tirolim ingressus, Ludovicum Ungariæ Regem, & Mastinum Scaligerum contrahere in colloquium cogitabat. Id consilium discussit Episcopus Tridentinus, memor se Regi Bohemiæ debere, quòd ad mitram esset evectus. Is enim, præsidio Mediolanensi in urbem accepto, & insessis montium faucibus, iter commeantibus interclusit. Subinde amicorum litteris Septemviralis factionis studia Ludovico perscripta sunt, non tamen credita: sic ad suos mores alienam fidem expendebat Princeps candidissimus, qui libentiùs famam insimulabat mendacij, quàm summos viros turpis inconstantiæ. De Trevirensi & Saxone ne suspicionem quidem admittebat in aures, ratus, eos quidvis potiùs acturos, quàm, quotum suffragijs summos honores adijsset, eorundem malevolentiâ everteretur. Si de eorum constanti amicitiâ dubitaret, dignum se fore, qui eosdem inimicos experiretur. Alia omnia polliceri triginta duorum annorum usu confirmatam fidem & benevolentiam. Verùm ille candoris istius fructum, quem debebat, non tulit; certò enim comperit paulò pòst, quod veritus erat suspicari. Ergo Tiroli relictâ, statuit fortunæ suæ periculum facere, & quantum animorum sibi fortuna reliquisset, experiri. Singuli primùm seorsim tentati, & ut quisque augendi æmuli viribus opportunior, cultus majoribus officijs. Marchio Misnensis in adversarios pronior, aureis vinculis pollicitisque retentus. Tandem ad civitatum explorandas voluntates Comitia Spiram indicta. Ea supra spem ab omnibus Rheni, Suevlæ, Franconiæque urbibus frequentata. Legati Cæsarem rebus suis diffidere vetuerunt. Nullam etenim Civitatum veteris domini pœnitentia ceperat: Caroli nomen invisum, proxenetæ ejus & asseclæ, ut venales animæ, in summum odium adducti: Pontificiæ execrationes susque déque habitæ. Basileenses etiam, quos Episcopi sui authoritas, & Monachiæ factionis in urbe potentia, non nihil ad Carolum Bohemum flexerat, publico victi consensu non modò redivere ad officium, sed in Ludovico colendo fuerunt etiam cæteris urbibus admirationi. Diceres, aspectu Cæsaris discussam esse tempestatem, solémque suum Germaniæ redditum; cùm interim Carolum à tergo vindicta premeret. Nam nono post raptum Regnum die, inconsultæ ambitionis pœnas, & venalis gloriæ vectigal visum est ab eo cœlum exigere. Leodiensium Episcopo ad comprimendam civium insolentiam auxilia adduxerat: eum stipabat egregia nobilitas, orientem solem & spes fortunæ secuta. Joannem Caroli patrem cingebat ostro fulgens prætorianorum cohors. Credebantur Leodienses ad Majestatis & tanti splendoris aspectum, animos remissuri. Sed contrà evénit. Crevit pugnandi aviditas, quòd gloriosiùs cum duobus Regibus, quàm cum uno Episcopo essent pugnaturi, sive caderent ipsi, sive cæderent tantos hostes. Certè copijs, non animi mag-

TRIDENTINUS EPISCOPUS LUDOVICO OBSISTIT.

LUDOVICUS REBUS SUIS PROSPICIT.

XVII.

CIVITATES IMPERII FIDEI IN LUDOVICUM RETINENTES.

Hoc sent. Argent.

mi magnitudine inferiores, tanto in Reges impetu ſunt invecti, ut pavore à primis ordinibus ad extremos perlato, Leodienſes pugnam à victoriâ, Carolus ignominiam à fugâ ſit auſpicatus. Ea clades & Caroli dedecus, omen fuit majoris in proximum menſem.

XIIX. Eduardus Anglus veteribus irarum cauſis inſtinctus, rurſus in Galliam tranſmiſerat, & rebus maximis brevi tempore geſtis, ad Creſſiacum vicum, in Ambianis, cum Gallo congreſſus, memorabilem victoriam retulerat. Pugnam utriuſque gentis ſcriptores accuratè retulerunt. Appendicis, quæ nos ſpectat, ſumma eſt. Joannes Bohemiæ Rex occiſus, Carolus filius rurſus fugatus: Joannem patrem Franciſcus Petrarcha ſcriptorum ejus ætatis nitidiſſimus, inclinantem ad Anglos victoriam cœco impetu morari auſum memorat. Imperârat ductoribus, qui ipſi inſtar oculorum erant, ut quâ parte periculi laboriſque plurimum eſſet, eò ſibi viam facerent. Ductores erant H. Clingenbergius, & Henricus Monachius ex proceribus Baſileenſibus. Joannes hoſtes aſſecutus, adacto ſtimulis equo, eò ſe præcipitem dedit, quò ſpectare ruentem alij cœcúmque oculis proſequi vix audebant. Ibi novo Andabatæ, & inaudito exemplo pugnanti, nihilque moranti enſes obuios, honeſta mors obtigit. Hanc ei laudem non eripimus, vitam inſuper victoriámque adiecturi, niſi iniquum ipſius in Ludovicum odium, & fata adverſa noſtris votis obſtitiſſent, id ſi demas, & verſutum ac verſatile ad omnem auram ingenium, non inviti cum Petrarchâ fatebimur, Joannem virtute & naturâ mirabilem, ſtupendum ipsâ ſuâ cœcitate evaſiſſe. Eduardus ſuo perfuſum ſanguine agnoſcens, non ut hoſti ingemuit; Et heu, inquit, magne Rex, indigno thoro compoſitus, neque decenter cubas.

Joan. Bohemiæ Rex in Cressiaca pugna occumbit. *Argentin.*

XIX. Juſta deinde Luxenburgi majorum tumulis illato, more regio, equis duodecim ſupina Bohemiæ inſignia deferentibus, perſolvi juſſit. Carolus filius terna ex acie vulnera extulit. Fugam ejus Romanæ aquilæ inauſpicatò raptæ, ut conſpectiorem, ita & magis indecorem reddidere. Stipendium qualiſcunque operæ repoſcenti, nihil præter verba datum: neque aliud jam debebatur: etenim Joannes pater argentum acceperat, quo non ſolverat ſtipendia militi, ſed Colonienſem Epiſcopum ineſcârat, ut Carolo coronam Imperij imponeret. Sic denique emptitia Caroli inaugurati pompa, D. Catharinæ ferijs Bonnæ peracta eſt, Aquenſibus & Colonienſibus non ferentibus, ut illâ temeritate ſuæ urbes inficerentur. Colonienſi inauguratori Gerlacus Naſſovius Moguntini æmulus, Trevirenſis, Monaſterienſis, Metenſis, Leodienſis, & Virdunenſis Epiſcopi adſtiterunt, poſtulatâque jurium ſuorum confirmatione, Carolo qualemqualem majeſtatem conciliârunt.

Carolus Bonnæ coronatur.

Ioan. Hocſem.

Batavia, Hannonia Bavaricæ domui accedunt.

Sub idem tempus, reducem ex Batavia conjugem Francofurti Ludovicus recepit. Wilhelmo fratre à Friſijs anno priore occiſo, ipſa cum novenni Filio in Hannoniam penetraverat, fratri ſine prole defuncto ſucceſſura. Agnoverunt hæredem Hannonij, fidémque danti, fore ut patriam ære alieno liberaret, ſacramentum dixerunt. Filio ob imparem rebus gerendis ætatem repudiato, Wilhelmus natu major in Provinciam accitus eſt. Eum, annuente patre, Cattimelibocus Regulus incomitatum habitu familiaris vernulæ è Boicâ eduxit. Sic divini Numinis benignitas Imperij jacturam compenſabat acceſſione nobiliſſimi Principatûs: cujus quidem nomen in majorum titulis legimus, poſſeſſionem aliorſum fortuna tranſtulit.

XX. Auguſtam reducem ad Cæſarem Anglicani Legati ſecuti ſunt, novo fœdere ſuam potentiam firmaturi. Ejus ſanciendi causâ Rupertus Palatinus, Wolframus Nellenburgius Teutonici Ordinis Antiſtes, & Ludovicus Oetinganus in Angliam miſſi. Viciniores amicitias ipſe per ſe Cæſar firmavit, ad Albertum Auſtrium eâ gratiâ, ſequentis anni initio, profectus Viennam. Conſtabat Albertum à Carolo ſolicitatum, cum eo caput contuliſſe, quò impenſiùs Cæſari demerendus fuit, ne fidem mutaret ſtudio nouitatis. Proximam curam ſibi Tirolis exegit. Carolus Bohemus extremo Aprili furtim eò irrepſerat, mercatorem

Ludovici cum Anglo aliisque foedera. An. M CCC XLVII.

Carolus Tirolim turbat.

rem indutus. Tribus non ampliùs comitibus ſtipatum Tridenti Lombardorum auxilia excepêre. Ea Jacobus Carrarius Patavio, Maſtinus Scaliger Veronâ, Luchinus Vicecomes Mediolano ſubmiſerant, deſultoriæ fidei homines, & ad omnem ſpem venales. Aberat domo Ludovicus Brandeburgicus, ſanctiore militiâ inter Boruſſos adhuc impios diſtractus. Id ſcilicet Carolo occaſionibus inſidianti fiduciam præbuit rei bene gerendæ. Primi Feltrij & Bellunenſes, adnitente Patriarchâ Aquileienſi, deditionem fecere, quæque alia Foro Julij contermina. Engelmarus Vilandrius in Brandeburgici fide ſe eouſque continuerat. Meranum Bolzanúmque vim experta victoris, flammis luêre conſtantiam. Arcem Tiroliam egregiè munitam, annuóque inſtructam commeatu, Maultaſchia uſque ad mariti ſocerique adventum tutata eſt. Tum versâ rerum facie, Carolus è Tiroli fugiens, brevem victoriæ curſum abrupit. Conſumpta pariter apud Italos ejus veneratio. Fugienti Ludovicus non inſtitit, ſed plectendum filio Brandeburgico objecit. Exinde huic quotidiana cum Caroli reliquijs velitatio, novæque per montium aſpera indagines, venationi haud abſimiles, in quibus Curienſis Epiſcopus interceptus, pro armis inauſpicatò ſumptis, captivitatem tulit & vincula. Quibus rebus per Germaniam nuntiatis, Caroli amicorum etiam flagrantiſſimi animi collapſi ſunt, quod Argentinas de Trevirenſi nominatim commemorat. Tametſi enim Caroli inaugurationem Pontificis authoritas & quomodocunque exambita ſuffragia favorabilem redderent, tamen cùm fortuna ipſius conatibus adverſaretur, & manifeſtis offenſi numinis argumentis palàm fieret, non probari Superis immaturam ejus cupiditatem, augurabantur permulti, vivo Imperatore, nihil ipſi fuiſſe conceſſum, præter modeſta deſideria ſuccedendi poſt fata Ludovici.

FUGATUR. XXI.

EPISCOPUS CURIENSIS CAPITUR.

Ad quem modum cùm bona pars orbis ratiocinaretur, fuit tamen Romæ infimæ ſortis homuncio, qui non Ludovicum modò, ſed Carolum etiam ad dicendam apud ſe cauſam evocaret in urbem, idque minaciter, ſi judicem ſprevisſent. Nicolaus Gabrinus fuit, incertum, ex popinâ, an (quod alij tradidere) ex piſtrino in ludum litterarium egreſſus, ubi nactus fuerat aliquam antiquitatis cognitionem, ſtudia plebis captando, criminando potentiores, veterem Romam cum novâ componendo, & dulce libertatis nomen popularibus jactando, hoc ipſo anno ad ſummum Urbis imperium erepſit. Ita populum Romanum, & omnem ferme Italiam dementârat, ut publicæ ſaluti eum natum eſſe crederent. Hic ergo cùm unus omnia poſſet, tabulis publicis, quibus ſe Candidatum Spiritûs ſancti militem, ſeverum & clementem liberatorem Urbis, Zelatorem Italiæ, amatorem Orbis, & Tribunum Auguſtum appellabat, furioſum plebiſcitum propoſuit; Romam caput orbis, & fundamentum fidei Chriſtianæ, Italiæ urbes omnes omnino liberas, earúmque incolas cives Romanos eſſe, terrarum Imperium populi Romani proprium, neque niſi ejus voluntate & ſuffragatione, ad quemquam mortalium poſſe deferri. Ludovico proinde Cæſari, & Regi Bohemiæ, & toti Septemvirûm Collegio, diem dixit, quo ſua jura demonſtrarent, quæ ſuo injuſſu in Romanam Rempublicam ſibi ſumpſiſſent. Verùm cùm Roma ejus inſolentiam tandem faſtidiret, ferocienti faſces eodem, quo dederat, anno detraxit, ejecitque in exilium. Eum Carolus Rex interceptum, & in carcere bene maceratum, onuſtúmque ferro, ad Pontificis pedes, in quem eâdem, quâ in alios impudentiâ cenſuram ſtrinxerat, deduxit.

GABRINI ROMANI STULTA AUDACIA.

Argentin. Iacobum Laurenty vocat: Platina Nicolaum Rentii.

XXII.

Sed nos reliqua hujus anni exequamur. Carolus operâ inter Tirolenſes montes perditâ, inſtauratis domi copiis, Julio menſe, in inferiorem Bavariam irrupit, nihil relicturus intactum, in quod ſævire flamma ferrúmque poſſet. Ne ex hoſtili voto propagaretur injuria, Ludovici curâ factum eſt. Obſtitit Carolo armata manu, cui cùm vis nuſquam ſuccederet, arx Halſteinia in Nariſcis, per ſummam perfidiam illi portas aperuit. Scelus fuit junioris Cammeravij, qui affirmabat ſe Ludovico neque ullum beneficium, neque fidem debere. Factum improbum non in auctorem, quem fuga ſervavit, ſed in ejus fratrem, ſive,

CAROLUS IN BAVARIAM IRRUMPIT.

Nordgovia. Rebdorf. Argent.

quod Rebdorfius scripsit, in familiarem vindicatum est, quem suspicio affinem culpæ videri fecit, oppressitque innocentem: tam periculosum est, malefactis esse propinquum.

XXIII. REPRIMUNTUR IN LUDOVICUM PERDUELLES.

In Sueviâ Regulos octodecim perduellionis manifestos, numerus defendit, & præsidia scelestis consilijs comparata. Oberndorfij, Ludovici obsequium exuerant, in Caroli partes transgressi. Urbes castigare levitatem jussæ, Stephanum Ludovici filium Ducem arripiunt, prolatisque signis, in Zollerani Comitis agro castra metantur. Primus in Hechingam effundendus erat impetus: sed cùm cultoribus propè vacua, metúque foret deserta, paciscentium æquitas exitium avertit. Sulzium, odio Walteri Geroltsekij prædæ destinatum Wirtenbergij Comites servârunt, clientis tuendi studio in Cæsarem iniqui. Eâ contumaciâ, etiam alij integri, quorum fides adhuc steterat, corrupti: tracta quoque in societatem nobilitas fœderatarum urbium conatus elusit.

Hocsem. Nauclcr. Arenpeck. And. Presb. Cuspin. Lang.

Eodem tempore Joanna Feretana Alberti Austrij uxor, rebus in Alsatia compositis, Ludovicum ex itinere salutavit, eam non comiter modò, sed lautissimè etiam Cæsar accepit. Verùm (si scriptoribus fides) malam illa gratiam hospiti retulit. Ipsam illi arguunt propinati Ludovico veneni. Villanus, Rebdorfius, & Argentinensis suo silentio Joannam nonnihil defendunt. Verùm Hocsemius horum temporum æqualis, prodidit, curru aliàs vehi solitam, equo præcipitem fugam cepisse, & sinistro vulgi rumori dedisse causam: fortè posterioris ævi malevolentia Principi fœminæ ex vano id scelus affinxit. Certè Ludovicum feras haud procul Fürstenfeldâ sectantem 5. Id. Octobris obijsse certum est. Qui ex scriptoribus non meminerunt veneni, mortem juxtà ac venationem in casibus fortuitis numerant. Qui fato violento extinctum volunt, acres veneni morsus & intestina tormenta memorant, quæ dum equestri agitatione discutere nequicquam laborat, ursique vestigijs imminet, superante vi mali effusum in terram, & agrestis hominis sinu exceptum, animam exhalâsse. Ferunt cùm rerum omnium, præterquam æternitatis immemorem, ultima cœlo vota fecisse, & Dei Judicis clementiam, Patronæ Virginis misericordiam implorâsse, fidem filio, matri omnes spes suas commendâsse. Sic vivere desijt, benigniores (sic sperandum) Superos, quàm homines expertus: cùm illi justissimas iras bono suspirio condonent, mortalium odijs vix tandem morte satisfiat. Exanimem venatica turba proximo Monasterio intulit. Inde Monachium deportato, Ludovicus Brandeburgicus apud Augustinianos Cœnobitas tumulum optavit, sed illis pontificias censuras excusantibus, D. Virginis Ædes Maximi Principis exuvias accepit, nobile pignus magnitudinis suæ, in quam posterioribus annis excrevit, amplissima totius Bavariæ Basilicarum. Semper illa quidem inter eximia sua decora Ludovici sepulchrum ostentare solita, sed nunc etiam certatura cum antiquitatis magnificentia, ex quo tempore Maximiliani Electoris pietas Mausolæo absolutissimæ artis, ac splendoris verè egregij, ossa intulit, memoriámque summi inter suos Progenitores nobilitavit. Id quàm jure merito fecerit, nostra hæc ex certissimis ejus ævi monumentis concinnata narratio satis supérque demonstraverit. Certè non Historicorum modò natio, Augustum ipsi Imperatoris nomen confirmavit, sed quotquot eum secuti sunt Cæsares, ipsique adeo Pontifices, hos in eum titulos sine dubitatione congesserunt. Basileensis Concilij Patres, & Eugenius Pontifex, vocibus animisque consentientibus, Ludovicum Divæ memoriæ Romanorum Imperatorem appellant, ut nihil admodum deinceps laborandum sit, pro ejus famâ tot támque illustribus testibus subnixâ, adversus cujusvis generis obtrectationes asserendâ.

XXIV. LUDOVICUS IV. IMPERATOR MORITUR. *Arenpeck. Staindel. Arenb. Aventin.*

XXV. *Vide Herwart. p. 2. p. 907. & seq.*

Ludovici mortem Udalricus Hagenohrius anno integro, Wilhelmus Occamus paucis mensibus antevertêre, clari ambo patrocinio Cæsaris, quod tamen Occamus non eâ, quâ decuit in Pontifices reverentiâ exercuit. Udalricus munere suo in conscribendis Epistolis, obeundisque legationibus egregiè functus, nihilominus invidiam veritus, profano tumulo Augustæ, in patriâ,

condi

condi voluit, ubi inviolatus neque refossus quiesceret: verùm Henricus Schoenekius Episcopus intercessit, & justa mortuo pro meritis exsolvit. Occamus Monachij in D. Francisci æde honestissimè situs, magnum in scholis nomen retinuit, à Nominalium sectâ pro parente cultus. Ex equestri ordine Weilhaimiorum gens, rebus virisque illustris, Ludovico Imp. extincta est. Boicæ Principes in eorum bona successerunt. *Chron. M. S. Argent.*

Paucis à Cæsaris obitu diebus, Carolus Bohemus in Boiariam armatus irruit; tum ad stabiliendum sibi regnum Ratisbonam deflexit, ingratus civibus hospes, siqua Aventino fides. Certè Argentinensis veteres chartæ regio ipsum honore exceptum & commeatu adiutum tradidêre. Aurum liberaliter effusum Norimbergam eidem aperuit: eodem expugnavit Principum animos, Wirtenbergici fratres Eberhardus & Ulricus Carolo & Ludovico Brandeburgico primùm ex æquo addicti, septuaginta aureorum millibus à Carolo tentati: ad eam summam largum postea auctarium adjecit, quasi eorum amicitia subjecta esset auctioni. Argentinam ad Caroli obsequium Episcopus adduxit. Moguntia ne exemplum sequeretur, Gerlaci Nassovij, qui cum Henrico Wirnebergio de Archiepiscopatu contendebat, authoritate factum est. Verùm tandem urbs Gerlacum concordiæ inimicum aspernata, cum Wirnebergio & Weterauiâ, quà Imperium respicit, in filiorum Ludovici Cæsaris verba juravit. Basileenses attraxit ad Carolum venia Pontificia, quâ lex sacri interdicti, restitutâ sacrorum celebritate, solvebatur. Circumferebatur formula à Clemente Pontifice præscripta, & Bambergensi Episcopo demandata, quâ Ludovici partiarij Ecclesiæ reconciliabantur. Ejus erat hæc summa, ut, qui censuris solvi cuperent, jurarent, se deinceps fore fideles sedi Apostolicæ, & nulli deinceps Schismatico fauturos, credituros quoque, non esse in cujusquam Principum potestate Pontificem suâ dignitate movere, eive successorem creare, ídque se habituros pro hæresi damnatâ: deinde, nullum se pro Imperatore culturos, nisi quem sedes Apostolica probâsset: Ludovici viduæ eiúsque liberis nullam laturos opem, nisi Ecclesiæ reconciliatis. Denique Bambergensi injungebatur, ut, qui Carolo Regi per Pontificem approbato parerent, eos ipse à sententijs & pœnis absolveret eâ conditione, ut, si in pristinos errores relaberentur, rursus in priores pœnas inciderent.

ITERATA CAROLI IN BOICAM EXPEDITIO. XXVI. VARIÆ CIVITATES AC PRINCIPES SE CAROLO ADDICUNT. *Argent.* FORMA ABSOLVENDI LUDOVICI PARTIARIOS. XXVII.

Porrò Basileensibus plerisque eam formam ob conditionum asperitatem reijcientibus, Conradus Bornvelsius civitatis Consul palàm Episcopo Bambergensi edixit, Senatum Populúmque Basileensem nunquam credituros, Ludovicum Romanorum Imperatorem fuisse hæreticum: Eos verò pro Romanorum Rege & Imperatore habituros, quem Electores, vel eorum pars major dederit, tametsi Pontificis comprobationem non sit petiturus: Denique nunquam se quicquam adversus jura Imperij admissuros ullâ ratione. Orationem Consulis secuta est populi secunda admurmuratio. Ea conspiratio Pontificis Legatos ad temperandum rigorem & gratis reddenda sacra compulit. Wormatiæ clausis portis tumultuatum, populóque armato Caroli hospitium obsidente, Bambergensis territus, Caroli mandato, sacra omnia Clero populóque absque conditione reddidit. Cæteræ civitates, Argentina præsertim, eâ formâ reconciliandæ gratiæ, fuêre exasperatæ.

AN. CHRIST. M. CCC. XLVIII. XXVIII.

Anni quadragesimi octavi initio Carolus ijsdem artibus, quibus in Ludovicum grassatus fuerat, penè fuit eversus. Henricus Wirnebergius Elector Moguntinus, Ludovicus Brandeburgicus, Rupertus Palatinus, & Ericus Saxo, qui repetitâ lite, suum esse suffragandi jus contendebat, de creando Imperatore consilia contulêre, contemptu Caroli, infensique ejus honoribus, tanquam furtivis neque publicâ authoritate rite aditis. Circumspicientibus tali fastigio parem, Eduardus Angliæ Rex Gallicis triumphis nobilis, & Germanico nomini fœderibus, ipsóque adeo sanguine innexus occurrit. Creditus est facilè sui copiam facturus, si invitaretur, nisi fortè Gallica arma retinerent. Nuntijs utrinque

EDUARDUS ANGLIÆ REX INVITATUR AD CAPPESSENDUM IMPERIUM.

que commeantibus, res haberi tacita non potuit. Carolus loca hominésque suspectans, fugienti similis à Rheno in Sueviam ascendit, tam exiguâ in vulgus gratiâ, ut Wormatiâ digredientem Lanio morari ausus sit, regiam fidem sugillans, debitorémque suum non nisi numerato carnium pretio, dimissurus.

Caroli varii casus.

Rotenburgi aliud dedecus accepit. Equestribus ludis, Carolus cultu corporis Rechbergensem Regulum mentitus, in arenam ab Heróe Stainio effusus, victori suo præmia victoriæ ex lege persolvit. Ulmæ viginti quatuor Sueviæ oppida in fidem accepit. Non multò pòst à captivitate vix abfuit, haud dubiè capiendus, nisi mutato itinere Ludovici Brandeburgici insidias vitâsset. Hi casus potuere quidem emendari consilio, vel animi magnitudine superari; sed quæ per idem tempus in perniciem humani generis erupère calamitates, exemplis tam tristibus, Caroli ævum implevere, ut nulli Annales majoribus ærumnis scateant. Franciscus certè Petrarcha, qui hominum innumera funera concessámque morti tyrannidem spectavit, timuitque, *omnium sæculorum flagella*, post arcam illam famosissimam reliquias mortalium pelago circumferentem, *præsentibus composita*, *delitias fuisse & ludum* pronuntiat, nihil supra verum efferens, cùm *vacuas domos*, *derelictas urbes*, *squalida rura*, *arva cadaveribus angusta*, *horrendam vastámque toto orbe solitudinem*, propria hujus & sequentium annorum mala facit, sed causis tam occultis nata, ut neque astra accusare, neque de Elementis queri mortales possent; & sciolorum etiam *ora assuefacta licèt mendaciis*, *& aperta impudentiæ ad ultimum stupor clausisset*.

Lues orbi exitialis.

Petrarch. Ep. 120.

XXIX.

Sed ut privatas in communi luctu nænias omittamus, terribilior multò publica orbis terrarum vox fuit, cùm 8. Cal. Febr. fragor insolitus, urbium montiúmque trepidatio continua per multos dies, ædium ruinæ, tellus passim dehiscens diductáque in horrendas voragines, sinum tumulósque morituris aperiret. Quadraginta arces & oppida in non maximo tractu, Argentinas illo terræ motu procubuisse testis est. Triginta novem ejusmodi ruinas Carniolii & Carinthii videre. Villacum populosissima, ad Dravum amnem, civitas, moenibus templisque in abruptum euntibus, momento temporis in ignobilem vicum subsedit. Ebullière subinde fontes sulphuris tetram mephitim & mortem per aëra propagaturi. Montes complures pilarum instar jactati mutavêre solum, confusóque rerum ordine, subeuntibus in locum rupium aquis, feræ piscibus cesserunt. Germania credidit se nihil visuram tristius, nisi pòst terras, etiam cœlum rueret, & in hominum capita effunderetur. Secuta dehinc tam vorax pestilentia, ut satis constet, mundum triente fuisse imminutum. Sævissimi turbinis omnem Asiam involventis atrocitatem Joannes Cantacuzenus Orientis Imperator descripsit. Europæa funera non provinciarum tantùm, sed urbium etiam Annales numerârunt. Nulli ætati, nulli sexui, nullique ordini parsum est, non profanæ modò, sed religiosæ etiam Cœnobiorum familiæ alicubi exhaustæ sunt. Appulsæ littoribus naves quem exponerent vivum remigem vectorémque non habuerunt. In medicis spei nihil, tam irrepertis mali causis quàm remediis. Diversæ morientium facies; aliis intestino igne exustis, aliis velut glaciali gelu obtorpescentibus. Clemens Pontifex non publico tantùm; sed suorum etiam congressu abstinuit, & luculento affixus foco, vitam ignibus defendit. Ubique lamenta & lacrymæ, vel se, vel suos miserantium, donec contagionis metus sana omnia afflatu contactúque vitiantis, extinxit humanitatis officia, & servilibus obsequiis relanguescentibus, matrum etiam viscera erga charissima pignora obriguerunt. Sed quæ Dei etiam irascentis est misericordia, tam sævam mortem tenerior ætas plerumque excipiebat cum risu: cantillantes extinguebantur pueri puellæque; palàm ut esset, diviniore manu, morientibus aperiri oculos ad cœlestia spectacula, & dirigi linguam vera oracula loquentium. Ita in Boicâ duodennis virgo inclaruit, animam eo vultu visa agere, qui nubentem non morituram deceret: tam liquidis perfusam se voluptatibus ante mortem ostendit, ut parentes suarum lacrymarum puderet. In uno cœli obtutu defixam & inconniven-

Horrendus terræ motus.

XXX.

Mira morientium puerorum ac puellarum forma.

Chron. M.S.

Præclarum puellæ exemplum.

XXXI.

ventem cùm pater appellaret: Valete mortalia, inquit, tanti mihi non eſtis, ut alterutrum vobis oculum impendam: in cœlo rectiùs occupantur: & ò utinam tota fiam oculus, ne quid fugiat omnia admirantem. Superi, quot oriuntur ſiderà, quot faces ſubeunt æternæ lucis domum? Rogata quas ſtellas, quæ ſidera diceret? felices animas reſpondit, quæ in cœlum triumphantes inveherentur. Et ecce (inquit) me quoque vocant; condixi vocantibus, hâc ipſa nocte numerum auctura: At verò matrem affata, tu nos, ait, poſt triduum ſequeris. adſtabant matri amici ſepteni: his quoque fatalis horæ momenta prædixit. Patrem denique pro ſeipſo & filio Cœnobitâ ſollicitum, periculi ſecurum vivere & ducere ſuorum funera juſſit: fratrem in certum diem evocavit. Nihil cum mortalibus poſtea, cum Cœlitibus multa jucundiſſimè locuta, vitam abſolvit, veriùs inijt. Ejus vaticinationes, mater amicique, morte, ſuo quiſque ordine, obitâ obſignârunt; Pater ſuis omnibus ſuperſtes publicavit. Noſtrates chartæ frequentia hujuſmodi prodigia deſcripſerunt, multiſque repetita locis, magnâ ſine dubio divinitatis benevolentiâ, ut abſorpti moeſtitiâ mortales, inter tam pulchra innocentiæ funera reſpirarent, & ad formidabilem luctam mortiſque contemptum, pueris magiſtris animarentur. Atque hinc egregiæ illæ animorum converſiones, quas in ſuo Cantacuzenus Imperio, in Germanico, noſtri exterique ſcriptores obſervârunt. Natum ex tali neceſſitate inuſitatum virtutis ſtudium, ſeria flagitiorum odia, quibus ſi ſola mors flagitioſos potuit imbuere, dicere oportet, peſtem non tam crudele malum, quàm neceſſarium malorum remedium fuiſſe.

XXXII.

BELLI CALAMITATES.

Bella nihilo minus cædéſque, & conſueta ambitionis certamina iſto malagmate non conſanuerunt: ſed hominibus cum peſte velut conſpirantibus, commune negotium cum morte ſuſceptum, quaſi ſola lues non ſufficeret ad inferendam Germaniæ ultimam vaſtitatem. Februario menſe Engelmarus Vilandrius Tiroliorum Dynaſtarum potentiſſimus à Ludovico Brandenburgico ad ſupplicium raptus eſt. Illi nihil veterum officiorum memoria profuit ad gratiam, ſed recentibus obruta maleficijs, quæ ſemper altiùs in pectus deſcendunt, ceſſit vindictæ. Ferebatur agitaſſe conſilia Ludovici Carolo Bohemo prodendi, & urbes aliquot ad defectionem, regendi, quâ ipſe in plebes utebatur, crudelitate & avaritiâ compuliſſe: eò minùs viro parſum eſt, quòd crimen foret tantò exaggeratius, quò major in ipſum fuiſſet Ludovici benevolentia, quippe, qui ejus fidei præcipuas arces ipſáque Tirolis frena commiſiſſet. Cùm objecta in judicio non dilueret, cervices gladio præbere juſſus eſt. Clientelas ejus manu militari in Ludovici poteſtatem reduxit Conradus Tekius, idem ille, qui poſtea Monachij anno quadrageſimo ſecundo in proprijs ædibus turri anatariæ connexis, Suitgeri Gundelfingij capitalis inimici ferro occubuit.

VILANDRII SUPPLICIUM.

Argent.

Aventhurn. Hund. L. Stemmat.

Carolus interim, eluſis Bojorum inſidijs, Bohemiam ingreſſus, volaticum agmen, in Ruperti Palatini agrum immiſit. Inconſulta fuit iſta ferocia, quæ invidiam augeret, factionem non opprimeret. Tantò æquiores Ruperto fuêre cauſæ iraſcendi, quòd, cùm vi laceſſeretur, etiam non impugnaret Cæſarem, ſed hoſtem repelleret. Quare, ubi Eduardi Angli Imperium abnuentis reſponſa, in Germaniam relata ſunt, novum Carolo æmulum Fridericum Miſniæ Marchionem Friderici Imperatoris abnepotem produxit, fecitque ſpem, ſi Imperij faſces non aſpernaretur, ducendæ Imperatoris Ludovici viduæ, quo connubio nullum poterat proponi nobilius. Verùm cùm Marchio, aliàs vexatus arthritide, rebus bene expenſis, ſe oneri crederet eſſe imparem, Imperij & conjugij ſpem decem marcarum millibus Carolo vendidit. Longiùs erat progreſſurus Rupertus, niſi benignioribus ad eum expugnandum machinis Carolus fuiſſet uſus. Quòd cùm proximo demum anno factum ſit, mirari ſubit, cur anxiè Principem Cæſareo nomine dignum quærentibus, nullus ex numeroſâ Ludovici ſobole & florenti Palatinorum domo ſucceſſor placuerit: quod utique Ruperto juxtà ac Ludovico Brandeburgico propagandæ in ſuis penatibus Cæſareæ digni-

CAROLUS GRASSATUR IN PALATINATUM.

XXXIII.

FRIDERICUS MISNIUS OBLATUM IMPERIUM RESPUIT.

Cuſpin.

tatis

tatis amor & gloriæ cupiditas, cùm suâ ipsi manu fortunam quasi tenere viderentur, meritò persuasisset. Insignia Imperij penes Ludovicum erant, multum allatura momenti ad conciliandos Electorum animos, cùm jam inde à multis sæculis nihil ijs auspicatius haberet Germania, neque legitimum Imperium aut certa inauguratio haberetur, quæ his signis non confirmarentur. Jam urbes Provinciæque mite Ludovici patris ingenium expertæ, sibi dari Cæsarem maluissent ex eo sanguine, qui ijsdem imbutus artibus, placidissimi moris exemplum credebatur esse secuturus. Enimverò Caroli indolem turbulenta initia prodebant: parùm modestiæ & lenitatis promittebat, quòd vivo Ludovico ausus fuisset diadema eripere: quódque crudelitati ferè cognata sit ambitio, & qui per vim ad imperia evasêre, nihil magis quàm ius timeant, quo ne primum quidem suæ dignitatis diem possunt defendere.

XXXIV. BOICI SANGUINIS PRINCIPES IMPERIUM NON AMBIUNT.

At enim Boici Principes, sive paternorum laborum tempestatúmque horror nondum animis excesserat, sive popularium judiciorum reverentia, ne à seipsis lecti & domesticis fermè nixi suffragijs Imperium adijsse carperentur; illustre tamen antiqui candoris dedêre argumentum, dum nihil pro se egêre, quo credi possent majorem privati splendoris, quàm publicæ fortunæ rationem habuisse. Ludovicum nihilominus, nihil pro se ambientem, Norimbergæ pleraque opificum Collegia Carolo infensa Regem optârunt. Orta à fabris ferrarijs conspiratio, cæteros tribules ita concitavit, ut urbis primores in capitis & fortunarum discrimen venerint, eò duntaxat, quòd ferocientis plebis consilium de extollendo Ludovico non probarent. Plerisque fuga ex urbe saluti fuit, cùm habitu alieno personati sordidatique vix insanientium oculos fefellerunt. Conradi tum Dynastæ Haidekij liberalitas inclaruit, qui in arce suâ promiscuè omnes receptos, hospitali beneficentiâ recreavit. Et daturus ipse erat pœnas civibus furentibus, nisi paratas insidias vis divina discussisset. Henichius Conradi obsonator â seditiosis interceptus, ut vitam redimeret, Domini sui caput pactus est, monstravítque artes, quibus in Rothalensi prædio opprimeretur. Datâ in id parricidium fide, â plebeis dimissus est. Aderat nefastus dies facinori destinatus. Adstabat ille hero convivanti, cùm subitò Haidekius velut motâ divinitus mente; Age Henichi, inquit, si quis nos casus plebeio furori objiciat, spondésne vitam domini fidémque, tibi auro fore chariorem? Eo perculsus verbo perfidus, expallescere, totis artubus tremere, pocillum, quod hero erat porrecturus, dare in casum, séque ipsum silentio prodere, & ostentatâ spe veniæ totum meditati sceleris ordinem explicare. Ea res Haidekio saluti, insidiatoribus verò exitio fuit. Cùm enim ad condictum proditionis signum concurrissent, vivi plerique in Haidekij potestatem venêre: ducenti in furcam acti, Eybergensem montem penduli nobilitarunt: jure plexos nemo ultus est: ipse Ludovicus nomine suo in malâ causâ abutentibus patrocinium negavit, etiam in exercendis cum Carolo inimicitijs decori non immemor. Et illas quidem haud gravatè hac tempestate fuisset positurus, nisi recentibus injurijs veteres plagæ recruduissent.

LUDOVICUS BRANDEBURGICUS REX SALUTATUR. *Sigism. Maisterlin. Chron. Norimb.* TUMULTUS NORIMBERGÆ. HAIDEKII PERICULUM.

XXXV. TUMULTUANTIUM CLADES.

Primus tum ipsum, tum Carolum de gratiâ redintegrandâ appellavit Albertus Austriacus. Vtrumque, Passavium contraxit, ad colloquium. Adfuit Ludovicus ad 6. cal. Augusti cum duobus equitum millibus. Ex Antistitibus nostratibus Salisburgensis & Passaviensis germani fratres, exterorum complures, cum Regis Ungariæ Legatis & insigni Principum coronâ, in eandem causam sua studia operámque contulêre. Mollia initia & benignæ æmulorum aures magnam concordiæ spem fecerant, cùm subito percrebuit, rem Boico-Belgicam in summum discrimen esse adductam. Batavi & Zelandi, quos Wilhelmo Ludovici fratri attributos diximus, ad Anglos & Juliacenses defecerant. Id Carolo auctore factum constabat. Cùm enim per Boicæ domûs depressionem crescere, ejúsque ruinis magnitudinem suam fulcire decrevisset, quo id minore metu faceret & majore compendio, ejusce familiæ membra paulatim convellenda sibi sumpserat,

AGITUR DE CAROLI IV. CUM LUDOVICO BRANDEBURGICO RECONCILIATIONE.

XXXVI. TURBÆ IN BATAVIÂ Â CAROLO EXCITATÆ.

rat, nitebáturque interim incautis Principibus, sub sanciendæ amicitiæ larvâ subrepere, ut vanis fœderibus irretitos atque inermes, tandem faciliùs spoliaret: quæ erat insignis vafrities, quam nemo bonus suis consilijs sit admissurus. Ludovicus ubi id agi sensit, punicas artes detestatus, negavit eo amico sibi opus esse, qui pacem ore, sævitiam animo, spolia manibus ferret: Cum aliter loquentibus quàm sentiant, tuta non esse fœdera: Germanorum Principum verba haberi pro juratis, eorúmque dextras eâdem religione, quâ fidei aras solere contingi: actum esse de candore, si etiam Principes, ipsi adeò Cæsares, fallant: verba sibi dari deinceps non esse passurum, sed suis rebus privatim consulturum. Carolus ob versutiam in summum contemptum adductus, fœdis affectus convitijs. Et eò quidem usque contumeliarum licentia descendit, ut Romanas Aquilas ejus hospitij vestibulo affixas violârit. Hugo Comes Hohenbergius illas cœno oblevit, quasi Caroli fraudibus jam essent deturpatæ.

Sed qualis fuit illa fallacia, quam eodem tempore, quo Carolus Wilhelmum in Belgis eversum iuerat, in fratrem ejus Ludovicum intendit! Waldemaro Brandeburgico ante annos viginti sex mortuo, Ludovici Cæsaris authoritate, Ludovicus filius jure beneficiario successerat: Dolebat æmulis, nullum ex Waldemari stirpe esse reliquum, qui ipsius hæreditatem, Ludovico excluso, adiret. Omnia scrutantibus fabula dedit consilium. Illum ipsum Waldemarum refodi placuit ex tumulo, sed infami artificio. Tametsi Waldemari cineres è sepulchro non emersissent, prodijt tamen de repente è pistrino redivivus Waldemarus. Pudenda scena, cujus actores Reges & Principes fuerunt. Ecce enim Rudolfus Saxo & Otto Archiepiscopus Magdeburgicus molitorem non pessimi vultûs, eo ingenio, quo mentiri Principem posset, & quod caput est, oris specie Waldemaro proximum nacti, re cum Carolo Bohemo compositâ, producunt in publicum, & Sycophantijs apprimè instructum, civibus venditant. Molitori Jacobus Rebock nomen erat. Fulcitur ergo commentum plausibili mendacio. Negabat suppositititius Princeps, se unquam desijsse vivere, sed sanctioris vitæ desiderio quæsijsse latebras, quas apud amantes sui non reperisset, nisi fama mortuum vulgâsset. Bene vixisse se, quamdiu vixerit sibi, neque alio præter Numinis imperio extrahendum fuisse è beato otio, cum quo nullæ orbis deliciæ componi possint. Saturum se olim curarum, easdem etiamnum nauseare: certum sibi non Principem agere sed patrem, sibi experto quanta sit iucunditas in vacuitate curarum & imperij, omnia regna desipere: Sua non multum quidem, sed civium fortassis interesse, an communis & legitimi parentis nutum amabiliorem censeant, quàm duri incubatoris, qui in alienum dominium intrusus sit, gerátque animos à gente non suâ alienos. Quòd si hanc servitutem velint dedignari, in promptu fore libertatem & omnia jura filiorum. Hæc cùm molitor non incommodissimè dissereret, plebs rerum novarum studio ad blandum erecta mendacium, fieri sibi fucum passa est, & ignobilem Waldemari umbram amplexa, à Ludovico pleraque defecit. Carolus infami mimo non favebat tantùm, sed amicorum etiam fidei commendabat Pistrinensem Principem. Immò à Megapolensibus Comitibus, Alberto & Joanne, quos Ducum insignibus auxerat, suo veluti iure flagitavit, ut vicem acceptæ dignitatis rependerent Waldemaro, quem si armati tuerentur, perinde fore, atque si ipsum Carolum defenderent. Neque eo contentus, instructas Bohemiorum copias fungo illi adduxit, & jam antè nutantem provincialium fidem, admoto armorum terrore prorsus labefactavit.

XXXVII. Waldemari redivivi scena.

Bzou. & Dubravius.

XXXVIII.

Marchiæ à Ludovico defectio, Carolo instigante.

Ludovicus tam subitâ rerum inclinatione perturbatus, minus tamen nobilissimi Principatûs jacturâ, quàm ludibrij specie movebatur. Dolebat, ipsâque morte erat gravius, se componi cum terræ filio, cui præter nomen raptum è tumulo, non modò nihil principis, sed ne ingenium quidem civis esset. Curas augebat, quòd par extinguendo dedecori copia in promptu non esset, quódque, si remedia moraretur, omnia esset perditurus. Acuit tamen necessitas audaci-

Ludovicus obsistit.

daciam, ut cum pauculis intra mœnia Francofurti ad Viadrum se reciperet, & confirmatis suâ præsentiâ civibus, urbem adversus molitoris partiarios tueretur. Advolat confestim cum exercitu Carolus, sed non idem per vim, quod per
XXXIX. fraudes effecturus. Nam ejus obsidio pariterque oppugnatio irrisui fuêre. Author est Dubravius, castra etiam castris collata, factámque à Ludovico pugnæ potestatem, causæ magis quàm virium fiduciâ, cùm contrà Carolus pugnam refugeret quamlibet numero longè superior, sed jure nullo; & quidem tam id fuisse notum ipsius amicis, ut, cùm pugnæ signum proponere vellet & aciem struere, palàm renuntiârint, petita ex pistrino auspicia & molitoris nomen sibi parùm placere: Enimverò nullius vel è manipularibus, viliorem esse sanguinem, quàm ejus larvæ, pro quâ pugnaturi sint: Et licèt forent de victoriâ securi, invidiæ tamen fore, vel unum ex hostibus, immò civibus suis, fortem virum, in gratiam molitoris occidisse. Ita tum quidem prælio temperatum. Carolo digresso Rupertus Junior Adolfi Palatini filius, cum Comite Gunthero Schwarzenburgio opportunas Ludovico suppetias adduxit. Is juventâ ferox, & tum primam militiam ingressus, Schwarzenburgium, quo nemo bellator melior haberetur, visâ hostium multitudine receptum meditantem redarguit, dixitque, nunquam se admissurum, ut priùs tergum præberet hosti, quàm frontem pectúsque ostendisset. Et juvit quidem fortuna virtutem, votisque annuit, sed eadem cùm victoriam haberet in manu, præferuidâ gloriæ cupiditate sic in pericula impulit, ut victum
XL. acie Rudolfus Saxo ceperit, magnósque spiritus carcere concluserit. Cum ipso septuaginta novem è nobilitate captos scribit Justus Lipsius & pro Adolpho Rudolphum nominat, non bene.

Rupertus Junior Palatinus capitur.

Exemp. Polit.

M. CCC. XLIX. Schwarzenburgium è prælio servatum anno sequente, qui quadragesimus nonus fuit, inimica Carolo factio Cæsarem salutavit Francofurti. Eum Carolus palàm aggredi non ausus, ingenio evertit, flagrantissimis amicorum ab ipso alienatis. Primus omnium Rudolfus Palatinus manus dedit. Carolus, ut eum sibi devinciret, Annam ipsius filiam in consortium Regni thorique petijt accepitque. Validum fuit telum, tam illustris affinitas, quâ fieret socer Imperatoris: sic commodis quisque suis, haud gravatè nomen & mentem mutat. Certè ea conditio Rudolfo digna visa est, cui qualescunque Caroli injurias condonaret.

Guntherus Schwarzenburgius Cæsar salutatur.

Carolus ducit Principem Palatinam.

Ludovicus Brandeburgicus in Tirolim redierat. Id temporis Luchinus Vicecomes, gravis olim vicinus, è vivis abiens, illius curam metúmque insigniter minuit. Ergo Tridentinos quos Joannes Urbis Episcopus à fide abstraxerat, aliósque Caroli partiarios complures, Ludovicus sibi sacramentum dicere coëgit, non connivente modò Carolo, sed in omnem ejus conciliandi occasionem intento. His videlicet artibus, Regnum sibi quietum parabat. Certè, quod mirum est, constat, Caroli operâ (ut Ludovicum deliniret) à Pontifice fuisse impetratum, ut Curiensi Episcopo approbandi divortij, quod Margarita Ludovici conjunx cum Joanne fratre fecerat, provincia demandaretur. Quod etsi serum officium fuit, ex Ludovici tamen animo inveteratæ offensæ acrimoniam abstersit,
XLI. ut unà cum Carolo, ad Pontificem, finiendarum eo arbitro litium causâ iturus fuerit, nisi Pontifex ab Archiepiscopo Mediolanensi concitatus, supersedere eo itinere Principes, scriptis ad Carolum litteris jussisset. Munitâ per similium officiorum ostentationem concordiæ viâ, Schwarzenburgium lecto affixum, medici pharmacorúmque malignitas tumulo mandavêre. Fridancus illorum primarius, vitam ægro pollicitus, mortem propinavit, incertum propriâ an servili fraude. Ille certè poculum, in quo medicamentum diluerat, à Schwarzenburgio libare jussus, cunctantiùs prægustavit, quàm si metus aut conscientia veneficij abfuisset. Nihilominus æger Guntherus reliquias exhausit. Et medicus quidem pallore confestim suffusus, scelus vel errorem suum prodidit, & intra triduum extinctus, qualemcunque culpam luit. Guntherus viridi etiamnum ævo, & durato laborum patientiâ corpore, adversus mali vim,

Argent. Rebd.

Guntherus moritur.

men-

mensem integrum luctatus, non vitæ modò, sed etiam Regni spem mordicus retinuit; donec Ludovicus inutilem moribundo ambitionem excussit, persuasitque, ut Regium nomen, Carolo, viginti duobus marcarum argenti millibus venderet. Extincto Francofurti, sexto, postquam se pro Cæsare gesserat, mense, more regio parentatum est. Carolus funus duxit, publici luctûs spectator. Non dubium, quin lætior mortuum viderit, quàm viventem. Intererat tamen Reipub. talis etiam viri morte discordiam extingui, ostendíque, contentiosis, imperia divinitus dari, cassa esse hominum suffragia & inutiles inaugurantium pompas, nisi favore Dei comprobentur. Carolus ergo jam sine rivali Rex, cum novâ nuptâ Aquisgranum profectus, natalitijs D. Jacobi ferijs iterum coronatus, Caroli Magni solium conscendit. Illic orta Brandeburgicum inter & Juliacensem disceptatio, uter sceptuchus, gestato sceptro, Cæsari assisteret. Carolus ex Principum sententiâ inveteratum jus renovavit, jussitque Brandeburgicum sceptrum præferre Cæsaribus dignitatem auspicantibus; Juliacensem verò eo fungi munere, quoties Imperij beneficiarij recognoscerentur. XLII.

Per id tempus Ludovicus Romanus, Ludovici Brandeburgici frater, in Brandeburgi Marchiâ, res ad memoriam illustres gessit, primúmque tirocinij militaris annum imperatorijs factis nobilitavit. Nihilominus præstigijs fascinata plebs, turpissimam Molitoris Waldemari causam non deseruit.

Ludovicus Romanus Botus rem præclarè gerit in Brandenburgia.

Tab. M. S. Rebd.

Abierunt anni, donec impostori larva, & asseclæ detraherentur. Septembri mense inter senos Ludovici filios terrarum juriúmque paternorum facta Landspergæ partitio est. Uterque Ludovicus & Otho, Bojariam superiorem sortiti sunt. Accessit Graispacensis Dynastia, quæ, gentis regulis extinctis, ad Boios redierat. Item Donawerda, Hœchstadium, Lauginga, Gundelfinga aliáque jure pigneratitio majoribus eorum concessa, nominatim Campiduni, Vlmæ, Luitkirchij & Wangæ urbium tutela: præterea vini Hailbrunnensis decuma, Gienga, Holstainium, Haidenhaimum & quidquid Rhætorum, Suevorum, Franconúmque finibus clausum, Bojos spectabat. Brandeburgensis Marchia etsi Ludovico majori, extra ordinem attributa fuerat, nihilominus in sortem accepta, auctarium rebus jam recensitis accessit. Jam Stephano, Wilhelmo, & Alberto, Boiaria secunda, quæ & inferior, tum Hollandi, Hannones, Seelandi & Frisones cessêre. Palatinis Rheni qualecunque jus in Boiariam obtendentibus sexaginta aureorum millia desponsa sunt. Sola urbium, quas memoravimus, Donawerda, veteres dedignata dominos, liberæ civitatis nomen ambijt. Eberhardus Wirtenbergius, Sueviæ, â Carolo in Bohemiam abituro, præfectus, & hanc & Noerdlingam Oetinganis Comitibus ademptam, Imperio asseruit, homo inquies & rerum novarum studio celebris. Jurisne exoleti fiduciâ, an Principum contemptu id ausus sit, non proditur. Posteri certè de injuriâ non egerunt. XLIII.

Inter funera, quæ pestis hoc anno densavit, etiam Elisabethæ Siculæ ductum est, quæ Stephano Boiariæ Duci nupta, multáque prole felix, ipsa quoque Boicæ gentis columen audit. Stephanus alteris nuptijs Margaritam Burgravij Norinbergensis filiam duxit. Joannes etiam Gottingus Frisingensis Episcopus, medicorum sui temporis phœnix Auinione decessit. Mitra Alberto Hochenbergio Comiti, eidémque Decretorum Doctori imposita est: quo tempore in Judæorum necem non unius gentis ira exarsit. Veneno infecisse fontes vel crediti, vel convicti, noxam plerique ignibus luêre. Ad duodecim millia in Boicâ pœnas dedisse, Aventinus memorat. Malè mereri de genere humano visi, qui mitiùs se in gentem exosam gererent: Ruperto Palatino invidiæ fuit, Hebræis Wormatiâ & Spirâ elapsis, asylum aperuisse. Pontifex eosdem Avinione tutatus est. Idem damnavit fanaticam voluntariâ lanienâ in sua terga sævientium religionem: nam hanc in partem eâ tempestate largiter peccatum est, invalescente superstitione, quæ ad secanda flagro scuticisque corpora, homines non unis erroribus deceptos impelleret. Sanguinariam pietatem nescio quis nebulo

Obitus Elisabetæ Siculæ Stephani Ducis uxoris.

Judæi vexantur.

XLIV.

Flagellantium insania.

inchoavit, jactatâ in vulgus Epistolâ, quam divinâ manu, æquali cum Mosis tabulis miraculo, exaratam & Angelis internuntijs delatam ad mortales, confidentissimè mentitus est. Querelas continebat Numinis, humanorum scelerum atrocitate offensi. Consecratos scilicet Majestati divinæ dies inquinari sacrilegijs, & illorum licentiam nihil à Bacchanaliorum impietate differre. Maledicorum convitijs oppleri Numinis aures; fœnore commercia, vagâ Venere, conjugia fœdari, nil quidquam cuiquam sanctum esse. Hæc Deo vindicaturo intercessisse Matrem Divósque, factam spem veniæ, sed ijs duntaxat, qui tricenos quaternos dies patriâ extorres scelera suo sanguine eluissent. Ei commento fides habita est, quóque manifestiores erant cœlestis iræ causæ, eò promptiùs ad monstrata piacula decursum. Ingentia agmina sese verberantium Germaniam inundârunt. Seminudi moestum carmen ululantes oppida obibant, & si locus ferret, in orbem circumfusi, calcandos se vicissimque cædendos sequentibus substernebant: Deinde in pedes erecti, reliquam carnificinæ pompam sua manu absolvebant. Modulis interim, quos vocalissimi tres de medio circulo præibant, invisam antehac flagellorum pugnam accendebant. Cruciatus Salvatoris recolebant lamentabili voce, quæ inter flagrorum crepitus allapsa auribus,
XLV. horrorem miserationémque cieret. Ora lacrymis oppleta, terga sanguine tabóque lurida, ducti ab imo pectore gemitus, allisa solo corpora, brachia aliàs decussata, aliàs protensa cœlo, quidquid in ultimis ærumnis, dolor invenit, ad ostentationem compositum, quò horridiora fuêre, eò gratiora Superis credita à vulgo simplici. Etiam quiescentibus mœstum silentium, pictæ multâ cruce vestes, vultus pallidi iejunio, somni parsimonia, nocturna verberatio, voluntarium exilium, molesta & continens inter cœli injurias ambulatio conciliabant venerationem. Spiræ plures centenis; Argentinæ, mille associati; cùm nullius nomen reciperent, cui quaterni denarioli in diarium non suppeterent, quique non antè rite expiatus cum inimicis in gratiam redìsset, suámque absentiam uxori probasset. Tenera etiam ætas in æmulationem exarsit. Duæ puerorum centuriæ, quorum nemo duodenni major esset, Spiræ, virorum facta æquavit. Basileenses hoc amplius ausi, centenarium agmen, ex civium honestissimis collectum, sub signis, Avinionem usque duxêre, ipsam Pontificis Curiam suo sanguine infecturi. Sed tantum abest, ut Clemens flagrionibus bene precatus sit, ut carcere & cippo coërcendos censuerit, ægrè à proposito, Cardinalium oratione, abductus. Progredi certè in insania non est passus, & dirarum

Gualter. Annenóan. Rebdorf.

denuntiatione publicum sanguinis profluvium stitit. Offensus ille quidem mendacijs putidissimæ fabulæ, quæ hominum simplicitati illuserat, sed multò maximè motus religionis periculo, in cujus perniciem personata nequitia grassabatur. Jam
XLVI. verberonibus illis sacra Christiana eviluerant, nullam præter flagra ad cœlum clavem requirentibus, ut neque Martyrum prælia laceri tergi vulneribus æquarent, & à se denique repertum baptismum sanguinis professi, cætera cœlestis iræ placamenta superbè contemnerent, effusi interim (quod testantur Spirenses Annales) in flagitiosos concubitus aliáque nefanda. Quare flagella animis magis quàm corporibus noxia, vesanis erepta, & quoad furor deferuesceret, publica verberatio proscripta: nihil detractum ijs, qui errore posito, resumptáque Christianorum remediorum veneratione atque usu, privatim in se sobriè animadverterent. Ergo submotâ superstitione, purior colendi demerendíque numinis ratio mortalibus à Pontifice ostensa, contractis anni Jubilæi spatijs, ut, qui secularis antehac fuerat, quinquagenarius esset inposterum, præberétque ex immenso Christi thesauro, amplissimam admissorum criminum, accedente veræ pœnitudinis aliorúmque sacrorum usu, condonationem.

Annus Jubilæus factus quinquagenarius.

An. M.CCC L.

Itaque sequens annus post millesimum trecentesimus quinquagesimus, ex Pontificis liberalitate, & apertis cœlestis clementiæ foribus, insignis fuit, tantúmque hominum Romam attraxit, totus ut in unam Urbem commigrâsse orbis videretur. Sacra profanáque tecta commeantibus non suffecerunt. Multis

tis divini vultûs imaginem, qualis in sudario Veronicæ hæsit, venerantibus, in turbâ animas elisas Rebdorfius oculatus testis annotavit. Ex ejus etiam scriptis illud discimus, Augustalia cimelia toti Germaniæ honoratissima, inter quæ Lancea quâ Christi latus perforatum, clavi, ac gladius Caroli magni, paludamentum, aliáque, Monachio, ubi ea Ludovicus Cæsar cóndiderat, Norimbergam, per Ludovicum Brandeburgicum translata, mense Aprili, ubi deinde in manus Caroli venêre, non fuisse illata (uti convenerat) Francofurtensi aut Norimbergensi sacrario, sed avecta Pragam, contra datam fidem. Sancita tamen est inter utrumque Principem, hoc pignore amicitia, & Pseudo-Waldemaro proscripto, ejus asseclis dicta dies.

Sed ridebatur videlicet ejus causæ vindex Carolus, cujus pauló antè patronus fuerat. Quare Ludovicus suo sibi Marte utendum ratus, cum Ruperto majore Palatino Rheni patruele suo, & mille ducentis cataphractis in Marchiam ingressus, cum Waldemaro Daniæ Rege, cujus sororem in matrimonio antea habuerat, & Ludovico Romano fratre se conjunxit. Danus trecentos galeatos, levis armaturæ quingentos, jam olim adduxerat, cúmque numerum novo è patrijs terris supplemento nuper duplicaverat, cùm tantundem etiam Misnensis Marchio Ludovici sorore genitus submisit: Sic neque Duces militi, neque militibus Duces defuere. Animi pro causæ bonitate, magni, & utrisque fortuna propitia. Multæ urbes ad officium reductæ. Interim in Tiroli parricidiale bellum exortum, cùm Wilhelmus Castri Barchi dynasta, filiorum metu Veronæ exul, integrum adversus suum sanguinem exercitum armasset: Stabat utrinque sub signis, in manifestum scelus auctoratus miles, ducúmque suorum imperio atque exemplo etiam impius, filijs in parentis jugulum, patre in filiorum viscera ferrum acuentibus, cùm Ludovicus jamjam concursuris interveniens, furiales acies disiecit. Filios, quorum erat ira moderatior vel causa melior, in suam clientelam recepit. Idem Novembri mense cum Mastino Scaligero, cujus opibus bello Brandeburgico insigniter adjutus fuerat, affinitatem contraxit, filium ejus Canem Grandem sororis suæ conjugio dignatus. XLVII. BELLUM PATRIS IN FILIOS.

Sed non ijsdem facinoribus, Wilhelmus Hollandus ejus frater inclaruit: nam quantum Ludovico gloriæ, bello alibi feliciter gesto, alibi extincto, partum est, tantum Wilhelmo ex inconsultâ dimicatione ignominiæ accessit. Dissidium intra Tirolenses montes Ludovici cura & autoritas nuper discusserat. Nihilo secius Wilhelmus arma sumpsit in matrem. Rem juvabit à capite arcessere. XLVIII WILHELMI HOLLANDI IN MATREM BELLUM.

Margarita Ludovici Cæsaris conjunx, fratri apud Batavos, quósque ijs accensuimus, priore, quàm Ludovicus Cæsar ejus maritus decederet, anno, in hæreditarias ditiones suffecta, receptos in fidem populos Wilhelmo filio commendâtat. Hic matris absentis nomine, magnâ omnium Ordinum approbatione Batavis jus dixerat, jus imperij penes ipsum, insignia & dominæ nomen matri relictum. Laudabile id erat temperamentum. Tantò paratiora filio obsequia, quantò ipse matris erat reverentior. Verùm denique pietatis in matrem oblivio, civium officia minuit. Incertum autores faciunt, tædio vicariæ sub fœminâ potestatis, an intempestivâ matris cupiditate, degeneri conjugio inhiantis, Wilhelmus offensus, summam imperij ad se trahere conatus sit. Consilij quidem undecunque accepti audaciam, jure primùm defendere instituit, æquius utique dictitans, provincias à Cæsaris filio, quàm à viduâ, jura petere. Contrà mater jus sanguinis & legitimæ successionis pro se adducere: nihil cuiquam in Provincijs esse jurisdictionis, nisi quantum ipsa voluisset. Si qua filio actio competat, easdem esse ingrati & indignantis, quòd matrem haberet consortem, quam tamen judicem hâc in causâ deberet experiri. Hæc prima incendij scintilla, quo non una provincia deflagravit. Nobilitas omnis in geminas scissa factiones, etiam plebem in partes divisit. Alteri factionum, ab asello pisce, vernacula appellatio placuit, unde & dicti Cabelliauci. In his *Magnum Chron. Belg. Rebdorf. Argent.* XLIX.

Egmon-

Egmondani & Arkelij eminebant. Brederodij & Leccani Dynastæ boni ominis causâ, ab unco ferreo, quo in istis littoribus captivus traheretur asellus, nomen sibi & asseclis indidêre Houxiorum. Geldri Frisonésque eandem insaniam mutuatâ nomenclatione propagarunt, ipsi quoque vel Aselli vel Hamiotæ. Ineptissimæ voces, omni classico potentiùs animos factionésque diuturnas ad cædem & sanguinem impulêre. Margarita se matrem oblita, gerere in filium civiles iras, efferari, minari per Epistolam, daturam se operam, ne filius integer periret: Votum suum esse, ut in quatuor partes sectum quamprimùm aspiciat. Rescripsit Wilhelmus, se illi vitam debere. Litem sibi cum eâ non bellum esse: si maximè ad arma cogatur, ferrum in matrem non stricturum. Victoriam ita exposcere, non ut de matre, sed cum matre triumphet. Orationis bonitas etiam causam ipsius fecit meliorem: Superis quidem non est visum matri victoriam indulgere, quæ victoriâ tam crudeliter esset usura. Anno

L. AN.M.CCC LI. sequenti, die translatis S. Martini ossibus sacro, pugnâ navali in Mosâ concursum est. Margarita (quam malè Argentinas vocat Beatricem) toto Hannonum robore & Anglorum Francorúmque auxilijs freta, factionem Houxiam in Cabelliaucos armavit: Hi enim Wilhelmo addicti è reliquis provincijs convenerant, magno numero. Certatum diutiùs, quàm causa mereretur, vel tales Duces. Perculsa mater Anglorum strage, capto Brederodio, Hannonum fortissimis occumbentibus, vela ad fugam explicuit. Validiora muliebribus virilibúsque armis unius fœminæ suspiria fuisse, postea compertum est.

Gertrudis Oestensis, sexûs sui eâ ætate miraculum, raróque sanctitatis privilegio, rerum etiam absentium conscia & spectatrix, sub ipsum pugnæ articulum, in Delphensi æde, Deo supplex, repentè ad comites conversa, precum suppetias laboranti Wilhelmo Principi poposcit, ardere Mosam hostilibus odijs & infici sanguine dictitans. Ipsa vultu, pro fortunâ partium, vario, victoriâ ad Wilhelmum, ejus haud dubiè votis, inclinatâ, prima triumphale gratiarum actionis carmen cecinit, sociásque exemplo invitavit. Id sumptum argumento, quòd quam ipsa causam suo suffragio sublevârat, plus habuerit juris quàm impietatis.

LI. Ludovicus Romanus, qui posthabitis rebus Brandeburgicis, ad matris auxilium convolaverat, venit in maternæ fortunæ consortium. Jam antè, si Crantzio credimus, infeliciter pugnaverat, vel certè fugerat, ab Alberto Megapolitano, ad Stargardium, fortissimis suorum occisis vel captis, devictus & fugatus, cùm Waldemaro Daniæ Regi Stargardiæ obsesso auxilia adduxisset. Et tunc quidem Danus Ludovici infortunio haud quaquam fractus, suppletis aliunde copijs Berlino obsidium admovit. Albertus urbi metuens, hostem in se avertit à prælio non abhorrentem, & velut de victoriâ securum, si fuisset ventum ad manus. Sed erant in utroque exercitu, quibus inhumanum visum est, ultima experiri, quando res per arbitros citra sanguinem posset componi. Volunt aliqui litis damnorúmque æstimationem ad Sueciæ Regem Magnum, fuisse delatam. Argentinas Carolum Regem facit pacis interpretem, ex cujus sententiâ Rudolfo Saxoni & Othoni Magdeburgico Antistiti, septemdecim marcarum millia promissa sint, ut Rupertus minor Comes Palatinus, quem ad belli hujus initium captum diximus, libertati redderetur. Cum Alberto Megapolitano non amicitia tantùm, sed affinitas contracta: etenim Ludovicus Romanus Ingeburgem ejus filiam nuptum accepit. Pseudo-Waldemarum, peractâ fabulâ, ad pistrinum alij, alij in carceres Dessavienses, in exilium alij relegant: nonnemo etiam scribit rogo impositum, ut, qui fumos vendiderat, ipse in favillas abiret. Quodcunque demum fuerit supplicium, documento fuit homo malus, noxium fuisse, magnis Principibus ludos facere, penes quos scenæ voluptas & belli præmium, labor verò & supplicium penes histrionem resideret.

Hæc in Argentinensi corrupta leguntur.

FICTI WALDEMARI EXITUS.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS II.

LIBER V.

Bullæ aureæ ſanctio: Bellum in Eckerum. Wilhelmi Hollandi delirium. Mors Ludovici Brandeburgici. Bellum de tutelâ Meinhardi filij Ludovici. Meinhardi mores & obitus. Maultaſchiæ matris in Boios odia. Bella Tirolenſia. Brandeburgica cum Carolo IV. & Tirolica. Cum ducibus Auſtriæ pactiones. Bellum incendiarium. Ieckenorum in Germaniam irruptio. Wenceslai Cæſaris electio. Bellum Ioannis Boici adverſus Leodienſes.

ANno quinquageſimo ſecundo Margarita Auguſta cum Wilhelmo filio in gratiam redijt, Hollandis, Seelandis, Friſijs in hujus poteſtate relictis. Hannones muliebre imperium quadriennio paſſi, ab Auguſtæ morte ad priſtinam conditionem redierunt, Wilhelmo ſubjecti. Cæteri Bojorum Principes, & hoc & ſequenti anno, accitis amicorum fidiſſimis, Provincias accuratiùs diſtinxerunt. Ludovicus Brandeburgicus ſuperiorem Boiariam cum Tiroli ſortitus eſt. Cætera Ludovico Romano & Othoni fratribus attribuit. Inferior Boica Stephanum, Wilhelmum, & Albertum dominos accepit. I. An. Christ. M. CCC. LII. Wilhelmus Hollandus matri reconciliatur.

Per id tempus Alberto Duci Auſtriæ grave cum Tigurinis bellum gerenti, Ludovicus Brandeburgicus egregiam operam præſtitit. Tugij oppidi causâ bellum erat exortum. Ludovicus cauſæ arbiter, Alberto Tugium addixit: ſimul Glarona, Lucerna, & Thuna in Auſtriacorum fidem ditionémque fuêre reductæ; tum Joannes Habſpurgicus in libertatem aſſertus. Ludovicus, Tigurinis pacta poſtea convellentibus, Cæſarem & Auſtrium malè inter ſe cohærentes novo fœdere colligavit, auctórque fuit, ut junctis viribus, adverſus Tigurinos bellum *Lipſ. in Exemp. polit. Mag. Chron. Belg. Rebdorf. Tabulæ publicæ.* Bellum adversus Tigurinos.

bellum resumerent. Consilium non imprudens Suevorum fastus corrupit. Cùm enim in acie principem sibi locum vindicâssent, perdiderunt rei bene gerendæ occasionem.

Bulla Aurea a Carolo IV. editur. An. M.CCC LIII. *Andr. Brunner. in Stephano.*

Sed tum quidem alieno malo peccatum est. Sequitur factum, quod totam Ludovici posteritatem afflixit, gravissimis æquandum cladibus, quæ unquam nomini Boico acciderunt. Rudolfo Caroli IV. socero, anno quinquagesimo tertio, rebus humanis exempto, Septemviratus Ludovici filijs vi pactorum Ticinensium debebatur. Eorum æquitatem de alternandis suffragij vicibus, Imperij Proceres agnoverant probârántque. Carolus Cæsar nihilominus non oblivione recentissimi juris, sed Boici nominis odio, Rupertum fratrem Septemvirali dignitate auxit, Boijs exclusis, factúmque sequenti anno, 6. cal. Jun. in publicas tabulas retulit, & biennio pòst Norimbergæ Senatusconsultum edidit, ne præter Palatinatûs Rheni possessores in Collegium Electorum quisquam Archidapifer cooptaretur. Et verò sui nominis majestate, & aureæ Bullæ lege tantum effecit, ut manifesta vis pro jure habita fuerit. Ludovicus Romanus Cæsaris filius Caroli tabulis non tantùm non intercessit, sed etiam fratrum, à quibus diffidebat, odio, suum illi calculum adiecit, nullâ posteritatis curâ. Ludocum Brandeburgicum & Stephanum, quorum maximè intererat, à Conventu Norimbergico, in quo Carolus Cæsar eam Boicæ injuriam intulit, ejusdem metu abfuisse, rectè notavit Rebdorfius. Porrò Cæsar, Edicto Bullâque Boios Principes vexasse non contentus, in eosdem sequenti anno quinquagesimo sexto armatus incurrit, alienæ perfidiæ, cujus ipse author fuerat, patronus effectus.

II. An. M.CCC LIV. LV. LVI. LVII.

Petrus Eckerus Procerum spectatissimus, idémque, qui Principum juventam fuerat moderatus, fœdus cum Carolo sanxerat, idque tantò suspectius Boijs Principibus, quantò erant Cæsaris conatus exploratiores, etiam cùm se nondum hostem apertè profiteretur. Itaque Stephanus & Albertus fratres, quibus ea tempestas imminebat, coacto repente exercitu, Naternbergæ (arx est Danubio imminens) Eckerum obsident, de proditore patriæ Principúmque perduelle sumpturi supplicium. Totius Provinciæ viribus unus homo petebatur. Metus Eckeri parentes etiamnum superstites, & filij vicem sollicitos supplicum habitu ad castra proficisci coëgit. Sed nihil movit armatos imbellis pietas. Tantò erat Eckeri scelus atrocius, quò pluribus affectus beneficijs, propiorem gratiæ locum apud Principes acceperat, velut in patris locum assumptus: visum igitur crimen inexpiabile, Principes filiorum affectu devinctos, prodidisse. Sic parentum patrocinium frustra fuit, spes tamen altera non fefellit. Carolus Cæsar ad auxilium Eckero obsesso ferendum vocatus, confestim adfuit ad arcem Danustauffiam, quam ante biennium Fridericus Episcopus Ratisbonensis octodecim aureorum millibus vendiderat. Inde se Carolus obsesso pariter, obsidentibúsque ostendit. Non timebatur tamen tumultuarius Caroli miles, & ad agendas duntaxat prædas animosus. Principum consilium evertit muneribus corrupta nobilitas, quæ argento, quod in nefarias complurium manus Carolus ingesserat, expugnata, nullo dum facto virium periculo, prodire in aciem detrectavit. Itaque necessariò ad pacis consilia descensum. Eckero vitæ gratia facta: arx in Principum potestatem redijt, quoad Eckerus ad objecta respondisset. Meditanti defensionem mors, ex toleratâ in obsidione inediâ, silentium imposuit, quémque infamiæ eripere non potuit, judicio eripuit. Laurentius Hochwartus, qui res Episcoporum Ratisbonensium composuit, pro comperto tradit, Eckerum in præfecturâ Danustauffianæ arcis Rudigero, cognomento, Diviti, successisse, atque inde in Belgium Alberti Principis jussu profectum, interceptúmque à Juliacensi Duce; amore libertatis, Stauffianam arcem Cæsari, contra juratam Principibus Boiariæ fidem, aperuisse, atque illud esse crimen, quod ipsi creavit capitis periculum. Ex Ludovici Romani litteris hoc amplius intelligitur, & illam & Werdensem arcem oppositas pignori, à Principibus Boicis præfectos accepisse.

Eckerus obsidetur.

III. Carolus Cæsar obsesso succurrit.

Rem componit.

Anno

Anno sequenti Wilhelmus Dux, cui imperium in Hollandos obtigisse diximus, D. Georgij ferijs mente captus cœpit delirare. Propinatam alij ex pharmaco insaniam, alij ab ejus crudelitate profectam tradidêre. Nam ad belli cum matre gesti infamiam, etiam Gerardi Wetteringhij Dynastæ cædes accessit, quem indictâ causâ, suâ manu jugulavit. Præterea Nieveltium castrum evertit. Trajectensi agro, nullâ provocatus injuriâ, vastitatem intulit: Huesdinum Wenceslao Brabanto ereptum, ipse in foro suo testis, vindex & judex asseruit. Nihil pro sano agentem familiares publico prohibuere, clausúmque Henoetensi in Hannoniâ secessu, habuere liberaliter, Principis nomen etiam in amente venerati. Decimo nono pòst anno furere & vivere desijt, Valencenis honorificè tumulatus. Porrò quod ex Mathilde Lancastriâ nihil liberorum tulisset, de successore dubitatum est. Cabeliaucorum factio rerum summam ad Mathildem detulit. Evicêre Houxij, ut Albertus ultimus insani frater advocaretur: Neque ille fortunæ defuit, sed cum insigni magnæ nobilitatis comitatu profectus in Hollandiam, omnium Ordinum consensu, tutoris nomen accepit, præfuítque rebûs agendis. Is ante suum in Hollandiam discessum, arcem Straubinganam, quam domestici scriptores regiam vocant, construxit.

IV. WILHELMUS HOLLANDUS DEMENTATUS. AnM.CCC. LVIII. *Mag. Chron. Belg.*

MORITUR. SUCCESSOREM ACCIPIT ALBERTUM FRATREM.

Per idem tempus, Ludovicus Bojariam novo affinitatis nexu Austriæ conjunxit, uxore indè quæsitâ filio Meinhardo. Ea fuit Rudolfi Austrij cognomento Magnanimi filia, Margarita nomine. Nuptiale fœdus Passavij ictum, indulgente Pontifice Innocentio, ut quarto inter se gradu dissidentes iungerentur. Idem sequenti anno Alberto Frisingensi Episcopo peregrè mortuo, & Rotenburgi ad Nicrum in Mauritianâ æde, quæ suas illi origines opésque debet, tumulato, Paulum Gurcensem Episcopum suffecit, eidémque potestatem dedit Ludovici Cæsaris filios, sive propriâ, sive paternâ culpâ Ecclesiæ gratiâ excidissent, in omnia piorum jura restituendi. Monachij id factum non minore apparatu, quàm gratulatione bonorum. Ne quid verò superesset, quod Ludovici cum Maulthaschia connubio, aut Menhardo exinde prognato, quisquam posset objectare, quasi præter ordinem ex consanguineis parentibus esset genitus, Ludovicus hâc quoque religione, Pontificiâ autoritate fuit exolutus. Ludovici Cæsaris manibus idem Episcopus Frisingensis noluit veniam impertiri, caussatus, sibi id à summo Pontifice non esse concessum. Ipsius urnam ex æde D. Virginis fuisset extracturus, nisi excubantium diligentia obstitisset.

AnM.CCC. LIX.

V. BOICI DUCES A CENSURIS ABSOLVUNTUR. *Rebdorf.*

Hoc ipso anno, Carolus Imperator Moguntiæ venerat in colloquium Moguntinensis, Coloniensis & Trevirensis Antistitum. Simul aderant aliqui ex Boiariæ & Saxoniæ Ducibus. Eò missus ab Innocentio Clementis successore Calvacensis Episcopus Pontificis mandata exposuit, quibus jubebatur à Cæsare petere, ut ipso volente, in Imperio, ad sublevandum Apostolicæ sedis ærarium, subsidia à Germaniæ Clero colligere liceret. Quam ad rem faciliùs impetrandam, Innocentius Legato potestatem fecerat, veniæ faciendæ omnibus sacri ordinis hominibus, qui sacerdotia, dignitatésve, aut officia contra legum Ecclesiasticarum sanctiones essent adepti, utque ea citra perceptorum fructuum restitutionem possent absque noxâ retinere. Is cùm in Senatum admissus perorâsset, Cæsar respondit, missum quidem eum esse in Germaniam ad pecuniam exigendam, idque ex ipsius oratione satis esse intellectum, sed nihil de Cleri moribus ad frugem meliorem reducendis adhuc auditum. Tum Cæsar Cunonem Falckensteinium Canonicum Moguntinum splendidè vestitum conspicatus; Heus, inquit, capitium tuum mihi accommoda. Offenderat Carolum Cunonis cucullus paulò immodestior, quòd auro sericóque virgatus niteret. Eum cùm Imperator capiti imposuisset, suúmque dedisset Cunoni: Nunquid, ait, hoc festivus tegmine, militem meliùs quàm clericum refero? Reddito deinde capitio, gravissimis verbis jussit Moguntinum Archiepiscopum in Cleri mores animadvertere, luxum vestium cæteráque vitiorum irritamenta castigare; immorigeros, sacerdotiorum proventibus in fiscum Cæsareum redactis, plectere, qui ad usus honestos

Naucler. Vol. 2. Gener. 46. Serar. Mogunt. rerum, lib. 5. in Gerlaco.

INNOCENTIUS PONTIF. SUBSIDIA PECUNIARIA PETIT A CLERO GERMANIÆ. *Vispergen. Paralip. pennulam vocat M. S. L. Mogunt.*

CAROLUS URGET CLERI EMENDATIONEM.

nestos ex summi Pontificis voluntate, verterentur. Cæsaris monitio apud Cunonem tantum valuit, ut in Virum præstantissimum evadens, dignus fuerit visus, qui Trevirensi Archiepiscopatui admotus, Coloniensem simul Ecclesiam administratoris nomine regeret, & tandem ad Moguntinensem Sedem postularetur. Nuncius tamen offensus isto Cæsaris supercilio, ut qui suam falcem mitteret in sacram messem; extemplò, ne salutato quidem Carolo Coloniam navigavit.

VI. *Gasp. Sciopp. in Scalig. Hypobol. Villan. 9. Saraina.* CANIS SCALIGERI CÆDES. AN M.CCC. LX. *Rebdorf.*

Sub anni finem, Canis Scaliger Elisabethæ Boicæ maritus, fratris ferro occubuit, cùm priore mense ad Ludovicum Brandeburgicum iturus, testamentum condidisset, quod adhuc legitur. Ex eo manifestum fit, legitimam sobolem nullam, spurios complures habuisse. Cùm 19. cal. Janu. inconcessi amoris diverticula quæreret, Canis Signorius frater, post paululam altercationem eum oppressit tum vetere odio, tum offensâ recenti, ob nothum filium Principatui destinatum, & Prætorianorum fidei commendatum. Fugit percussor, revocatúsque à Veronensibus, Dominatum adijt, exercuitque ijsdem, quibus paraverat, artibus, etiam in Boicam viduam injuriosus; quæ causa Ludovico fuit, sequentis anni Comitijs, nomen absentis Norinbergæ deferendi, impetrandíque ab Ordinibus auxilia, si quam ipse vim in Signorium moliretur. Elisabetha, ut esset extra periculum, Ludovico fratri reddita est. Hæc, quæ dixi, Comitia ad compescendam Wirtenbergensium Comitum licentiam cojuerunt. Querebantur viginti quatuor Sueviæ Civitates ad Imperium pertinentes, se immodicis Eberhardi, in cujus præfecturam jubente Cæsare concesserant, exactionibus opprimi, paratæ suam ipsæ injuriam ulcisci, si ducem vindicationis à Cæsare accepissent. Ijs datus est Robertus Boius Rheni Palatinus, qui hostilem provinciam cum Cæsare partitus, Eberhardo ferociam flammâ ferróque excussit. Tribus eodem tempore urbibus admota obsidio, non vires modò hostis, sed etiam consilia distraxit. Cùm denique Eberhardus ad extremum discrimen esset adductus, eum magni pacificatores, in quibus Rudolfus Austriæ Dux Imperatoris gener, in gratiam Cæsaris reposuerunt. Ejus filius Udalricus, Elisabetham Canis Scaligeri Viduam, Boiorum Principum sororem, uxorem duxit.

BELLUM ADVERSUS DUCEM WIRTENBERGICUM.

VII. AN M.CCC. LXII. MORS LUDOVICI BRANDEBURGICI.

Id anno sexagesimo secundo factum est, cùm Ludovicus Brandeburgicus Octobri mense anni superioris diem clausisset. Præproperam mortem fuisse, quæque ad Christiani ritûs suprema piacula breve spatium reliquum fecerit, Rebdorfius annotavit. Aventinus Zorngoltingæ nullâ veneni mentione mortuum scribit: Villanus Ratenbergæ veneno Maultaschiæ adulterijs innexæ, & mariti vindictam metuentis sublatum; Arenbeckius domesticus scriptor à Villano non abludit, tametsi adulteria premat silentio: quicquid rei demum sit, anni sequentes ostendent, Maultaschiæ affinitatem Domui Boicæ invidiæ laborísque plurimum, commodi vix quicquam attulisse.

VIII. *Nanclер. Vol. 2. Gen. 46.* NUPTIÆ JOANNIS LOTHARINGIÆ DUCIS. WENCESLAUS CAROLI F. NASCITUR.

In hunc annum incidêre nuptiæ Joannis Lotharingiæ Ducis cum Sophiâ Eberhardi Comitis Wirtenbergici filiâ. Confluxerant ad pompam, Stutgardiæ, Albertus Austriæ Dux aliique Principes, Comites, viríque sanguine illustres. Comes comparatis hastiludijs aliísque spectaculis, Carolum Imperatorem ad eam celebritatem invitârat. Is tametsi sui adventûs spem fecerat, ubi tamen cognovit tantam hominum multitudinem adfuturam, nescio quid insidiarum suspicatus, hæsit Norimbergæ, ubi Imperatrix Anna, Silesiæ Dux, enixa est Wenceslaum, qui lustralibus undis tingendus, suo eas lotio respersit, nihilo honestior, quàm cùm bimus regio Bohemiæ diademate redimitus, aram ipsam alui sordibus conspurcavit, malo omine futuræ ignaviæ, quâ neglexit Bohemiam, & res Imperij haud mediocriter afflixit, præsentium incuriosus, præteritorum immemor & socors futuri, homo non ab Imperio modò, sed ab omni quoque honestate alienus. De sacro fonte susceperunt infantem, tres Archiepiscopi, Moguntinus, Coloniensis, Pragensis, Episcopi sex & quinque Abbates. Carolus incredibili affectus gaudio, ipsum octiduum omni splendoris & publicæ læ-

Rebdorf.

titiæ genere voluit haberi festiuum, appensúmque in bilance filium, cùm sedecim auri marcas æquaret, Ædi Aquensi submisso auro devovit.

Cæterùm post Ludovici Cæsaris excessum, Domus Boica senis Principibus, opibus & novâ provinciarum honorúmque accessione inclita, annis succedentibus, tum Caroli IV. implacabili odio, tum communi gentis humanæ fato, non contemnendam suæ magnitudinis diminutionem est passa. Ludovicus tot filiorum pater multis Principatibus Boicum imperium auxerat, Brandeburgico unà cum Septemvirali dignitate: Tirolensi, annexísque ditionibus: Hannonio: Hollandico: Seelandico: Frisio. E filijs Wilhelmum in Belgio improlem extulimus. Ludovicus Romanus Kunegundi Poloniæ Regis filiæ desponsus, anno millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, sine Liberis decessit. Otto è duabus uxoribus, Margaritâ Alberti II. Austriaci, & Catharinâ Caroli IV. Imperatoris filiabus, nullâ acceptâ prole, fato functus est anno millesimo septuagesimo nono. Ludovicus Brandeburgicus cum Margaritâ Christophori Regis Danorum filiâ steriles exegit nuptias, Margarita Maultaschia ipsum Meinhardi fecit patrem, quem suo loco, ante celebratum cum Margarita Austriaca matrimonium, immaturo fato sublatum ostendemus. Alberti progenies tergeminis filijs Alberto majore & minore, Joanne Leodiensi Episcopo & senis filiabus utcunque florens exaruit. Domûs propagandæ spes in Stephano, quem quinquagesimum primum Boiariæ Ducem numerant, recubuit. Jacturam Brandeburgici Marchionatûs, Tirolis, & Belgicarum provinciarum in tempore recensebimus. IX.

Ludovicus Brandeburgicus rebus mortalibus exemptus anno superiori, Meinhardum unicum è Margaritâ Maultaschiâ filium rebus gerendis per ætatem nondum idoneum, in vivis reliquerat. Otho Ludovici frater successit in Marchiam Brandebugicam, Tirolensis Comitatus titulos, símúlque jura ferendi in Cæsarijs Comitijs suffragij, ac munia Præfecti ærarij rerúmque ad Cæsaris fiscum spectantium. De Meinhardi tutelâ graves exortæ sunt contentiones, quæ propè à funesto bello abfuerunt. Id si pro partium ingenio fuisset protractum, non tutoribus modò, sed pupillo vel maximè fuisset exitiosum. Hoc enim in hujusmodi causis funestum, quòd illa ipsa, quæ jus humanum & amor posteritatis ætati immaturæ præsidia constituit, in ejus cedant perniciem: dum tutorum fraudibus luditur in orbitatis damna ex pupilli spolijs, & sæpe evertitur, quod omni ope esset erigendum. AN M.CCC. LXII. *Rensner. in Basil. Geneal. pa. 224. Avent.* BELLUM TUTELARE. X.

Lis primùm fuit, an, qui se datos jactabant paterno Ludovici testamento: an, quos jus sanguinis legitimæ tutelæ admovebat, pupillarium custodum officio essent functuri. De supremæ voluntatis tabulis, nihil certi reperio: id duntaxat notavit Rebdorfius, Meinhardum, viris equestris ordinis, quorum consilio Ludovicus Brandeburgicus vivens utebatur, ab eodem fuisse commissum, & patre defuncto, in ipsorum potestate fuisse: an commissus fuerit solennibus tabulis, aut justâ nuncupatione, reliquit in ambiguo. Quamobrem credibile est, de dativâ tutelâ fuisse dubitatum, nec habuisse eos, qui eam invaserant, liquida usurpatæ potestatis documenta. Cùm igitur de consanguineorum jure nulla esset causa ambigendi, Duces Boiariæ suarum putarunt esse partium, non ferre, ut Meinhardi ætas adhuc tenera, & quamvis in partem flexilis, unà cum Principatu, extraneorum libidini relinqueretur, apud quos proclive foret, non modò abuti (quod tutoribus perfamiliare est) ad propria commoda tutelari Provinciarum administratione, sed etiam minùs probè consulere Meinhardi educationi, in qua spes Principatuum Principúmque potissima vertitur. Ex eâ enim virtutum pariter & vitiorum semina, primáque fax vitæ insequentis, quæ bonam indolem vel accendat ad honesta, vel ducat ad corruptelam. Et hæc quidem tantò magis exigebat ætas Meinhardi, quò magis erat metuendum, ne conniventibus tutoribus, de ejus utilitate minus solicitis, relaberetur in manus XI.

matris, fœminæ non optimis moribus, â quâ non tam esset habiturus probam institutionem, quàm prava exempla malè vivendi.

Andr. Ratisbon. Avent. In isto rerum & partium conflictu, cùm nemo jus diceret, & Carolus Cæsar meritò esset suspectus, vel ex inveterato in Domum Bavaricam odio, sequiorem in causam inclinaret, nec tamen diffidentes ad æquitatem ratione viderentur posse revocari, jus ab armis fuit petendum. Igitur Ulricus Abensbergius, Ademarus Labarius & Hilpoldus à Lapide, viri inter suos, illustres, ut arreptam rei pupillaris administrationem tuerentur, ausi sunt arma parare, socios adsciscere, præsidia invadere, velle denique Martis aleam experiri. Eorum conatibus nonnihil conciliabat coloris & authoritatis Fridericus Stephani Boij Ducis, cujus caussa maximè agebatur, filius, qui initâ cum Ulrico aliisque partiarijs, fortunæ bellique societate, arma adversus parentem corripuerat, suadente haud dubiè juvenili levitate, quæ adolescentis ingenium eò usque dementaverat, ut pietatem ac reverentiam exutus, sese Ducem adversæ factionis profiteretur. Ad conspirationem accessère aliquot civitates Superioris Bavariæ, Meinhardi patrimo-
XII. nium. Pondus etiam addebat factioni, præsentia Meinhardi, quem Ulricus & collegæ in sua habebant manu, quémque Boica Superior velut paternæ benignitatis imaginem, ex innato in patrem amore respiciebat.

Rebdorf. Exadversum Stephanus Dux Boicæ senior, cum cognomine filio, legitimam tutelam asserturus, ad arma socianda traxit Duces inferioris Bavariæ, Rupertum Comitem Rheni Palatinum, unà cum Alberto Duce Austriæ, cujus soror Meinhardo desponsa erat, qui proinde sponso quàm optimè cupiebat. In eandem causam venère omnes civitates Inferioris, & nonnullæ Superioris Bavariæ. Rebus ad bellum utrinque comparatis, tantum abfuit, ut Meinhardi asseclæ vim metuerent, ut ultro è Tiroli, ubi longè futuri fuissent tutiores, cum suo pupillo in Boicam egressi, obsidium inferrent arci Kottingwerdensi, ad Ilmum amnem haud longè à Geisenfeldâ, idque vel in Stephani contemptum, vel ut eum ad pugnam prolicerent, de rei summâ facturi periculum, & impositu- *Andr. Presb.* ri finem bello, quod citra Meinhardi damnum, in ejus ditionibus sedem figere non poterat. Res in eo erat, ut videretur sancienda lis civili sanguine. Verùm Ulricum sociósque homines aulæ servitijs magis quàm armis assuetos, in ipso supremi discriminis articulo defecit animus. Cùm enim Stephanus, justo
XIII. Marte obsidionem depulsurus, immineret cum infesto exercitu, mutato illi consilio primum Meinhardi securitati consulere, fugam deinde ipsi cœpêre meditari.

Ergo Fridericus Stephani Ducis F. Meinhardo in tutum abiturienti, viam patefacit, factis cum Patre inducijs; cæteri, omissâ Kottingwerdæ obsidione, sese tempestivè Stephano imminenti subducunt, milites domi magis quàm militiæ gloriosi. Finem contentioni imposuit casus, quo nullus poterat contingere optatior. Meinhardus Norimbergam ad Burggravium fugam intendebat, tutior sub amici Laribus, quàm sub signis futurus. Jam mutato cultu, deceptísque insoliti habitûs imagine, limitis custodibus, Danubium traiecerat, cùm Bertholdus Aichstettensis Antistes è Burggraviorum familiâ, ne cognatum sanguinem malæ causæ implicaret, Meinhardo author fuit, se ut in Tirolim reciperet, longè faciliùs intra montium fauces & objecta claustra, quàm in apertâ regione bellum, vímque omnem gentis Tirolensis subsidio, defensurus. Credidit suadenti adolescentulus, séque deducendum permisit Episcopo, fugæ ducem professo. Jam Vohburgum evaserant, cùm Meinhardus ab agrestibus de profectionis ratione rogatus, trepidè respondens, studiosiúsque inspectus, visus est, ex fronte liberali, moribus scitè compositis & toto corporis habitu, longè esse alius, quàm vestis præ se ferret. Ergo trepidanti manus injiciunt, trahúntque Ingolstadium, sui rationem redditurum. Dies tum agebatur Junij decimus
XIV. sextus, solenni Augustissimi corporis Christi triumphali pompâ insignis. Ulricus, compertâ pupilli fortunâ, cùm jam nihil esset, quod sibi de vindicandâ tutelâ

Meinhardus a fuga retrahitur.

tutelâ polliceretur, diſceſſit ab armis, & volens nolens aſſenſus eſt arbitrorum ſententiæ, quæ Meinhardum juſſit eſſe ſub Stephani Ducis poteſtate, donec adminiſtrandæ per ſe patriæ hæreditati per ætatem par evaderet. Eius educationi addictum Monachium princeps ſedes Superioris Boicæ, quæ eò viſa aptior, quòd honorificentiùs, cúmque minore faſtidio, in ſuo patrimonio, quàm in aliena ditione, in qua videri potuiſſet eſſet ſpecies aliqua captivitatis, libero Principi ubique locorum ſemper inimicæ, annos minores crederetur eſſe traducturus. Quæ ratio hominibus ſapientibus æqua viſa eſt; paulatim credita eſt Meinhardo iniqua, adoleſcentulo ſuæ ſpontis, & amanti libertatis. Quantumlibet benignè in patrui aulâ & in oculis haberetur, circumſpectabat tamen, ut ſolent caveis incluſæ aviculæ, modos & tempora evadendi. Invitabat dulcedo nativi aëris, matris deſiderium, & priſtina familiarium conſuetudo. Non arridebant præfectorum imperia, diſplicebant dimenſa temporum ſpatia ad Principe dignas exercitationes: moleſta erat jugis animi cultura, quâ ad virtutes formabatur. Quâ arte vigilias moderatorum fefellerit, non eſt proditum, fefellit tamen, ſéque ipſum perdidit ſtudio vitæ licentioris. Vix enim pauxillum temporis ſub patrui curâ poſuerat, cùm inobſervatus recurrit ad matrem. Hic primùm jure moréque ſuo velle vivere, aſper eſſe in monitores, exutâ denique in ipſam matrem reverentiâ, ejus juſſa detrectare, immo & aſpernari. Hoc ſanè in filio erat indecorum. Sed proterviam ſtimulârant peſtilentes ſuſurrones, qui incauto ſurrepſerant, perſuadendo, matrem veneficio Ludovicum ipſius patrem ſuſtuliſſe. Altiùs hærebat adoleſcentis animò iſthæc opinio, quàm ut animi vulnus poſſet diuturnâ ſimulatione tegere. Retegendi orta eſt occaſio, cùm à matre erratorum moneretur. Auſus eſt protervus filius cum ea jurgari; cúmque premeretur validiùs, in hæc verba erumpere: Debeo mater tibi plurimum, & debeo meipſum, & longè plura deberem, niſi plura quàm dediſti, mihi tu eripuiſſes. Dediſti vitam, fateor; ſed patrem vitâ mihi longè chariorem abſtuliſti. Eo ſublâto, quid ſupereſt, quod tibi debeam? Gratius foret, ſi vel me nunquam edidiſſes, vel patre occiſo, non ſervaſſes in vivis. Non eſt mihi bona mater, quæ meum parentem extinxit. Nihil eſt cur credas, me latére tuum crimen, quod vulgavit tua infamia, & latet propè neminem: tum demum me profitebor deeſſe meæ in te pietati, ubi conſtiterit, te tuæ in maritum non defuiſſe: Aut deſine me culparum arguere, aut oſtende te iſtius culpæ eſſe exortem. Hæc dicta, mulier mirè irritabilis altè demiſit in pectus, & (ſi ſcriptoribus credimus) agitata furore, tamdiu coxit, donec nacta occaſionem ulciſcendi, excoxit exemplum inſanæ crudelitatis.

EDUCATUR MONACHII.

EVADIT IN TIROLIM.

XV.

Horrens refero, quod alij licenter prodiderunt. Miſerum juvenem in juveniles oblectationes effuſum, ducendis choreis, ex immodicâ corporis agitatione ſitim collegiſſe, potúmque popoſciſſe memorant, immemorem iræ maternæ, & poculum quidem veneno medicatum in promptu fuiſſe, cùm à ſitibundo poſceretur. Addunt, avidè ab ipſo hauſtum, unáque peſtem, quæ ſimul ſitim vitámque extinxit. Agebat tum Meinhardus annum ætatis quartum decimum, nondum contractis nuptijs cum Auſtriacâ ſponſâ, Rudolfi Magnanimi filiâ.

Villan. Arenpek.

XVI.

EXTINGUITUR.

Grave admodum vulnus ejus funere inflictum fuit Domui Boicæ, extinctâ in ejus morte univerſâ Ludovici Brandeburgici progenie. Ea res materiem dedit bellorum & cruentarum contentionum. Mox à Meinhardi morte, ejus mater, Boicum ſanguinem averſata, tabulis anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, octavo calendas Februarij conſcriptis Bolſani, Rudolfum, Albertum, & Leopoldum Auſtriæ Duces, velut proximo ſanguinis jure conjunctos, legitimos dicit hæredes omnium ſuarum ditionum, nominatim Comitatuum Tirolis, Goriciæ, ac terrarum, quas Atheſina & Oenana vallis complectitur, & ſi quid præterea haberet in Boiariâ dominatûs: ſimul ijſdem Ducibus, abſolutâ donatione cedit omne jus ac poſſeſſiones, retento duntaxat, quoad ipſa ſupereſſet, omnium proventuum uſu atque poteſtate, abdicato omni quarumcunque legum

M. CCC. LXIII.

MAULTASCHIÆ TABULÆ BOIIS ADVERSÆ.

Cancell. Monacen.

Legum & fœminearum exemptionum, prærogativarum, Pontificiæque & Cæsareæ dispensationis remedio, eâ tamen lege, ut Austriæ Duces, quantis possent viribus eam protegerent, & contra omnem injuriam tuerentur. XVII. Hæc quò redderet firmiora, denuo alteris tabulis Septembri mense, feriâ quintâ ante festum Natæ Deiparæ Virginis, rata fixâque habuit.

Istis illecebris sibi Rudolfi Ducis nuptias eblandiebatur, quibus vix biennio potita, maritum amisit anno millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, quem ipsa, post annum, ad plures est secuta. Unde est cur Arenpekio fidem negemus, asserenti, Stephanum Seniorem ad capessendam Tirolis possessionem à Maultaschiâ vocatum, occasioni defuisse per socordiam, cùm Haidelbergæ genio indulgeret; eâque frustratione irritabilem alioqui fœminam ad sequiora consilia descendisse. Neque enim credibile est, eam mox à filij obitu, de avertendâ ad Austriacos opulentâ hæreditate, & aucupando matrimonio sollicitam, ad Stephanum, quem non ignorabat communi famâ gemini parricidij sibi esse infensum, tam lautæ conditioni asserendum vel tacitâ cogitatione inclinâsse.

Nec verò Stephanus ejus fuit ingenij, ut res tantas tam levi momento negligens, mallet se in belli inextricabiles molestias & dimicationes periculorum plenas induere, quàm tantillo oblectamento genium defraudare. Sanè diligentia, quam in adeundâ Boicæ superioris possessione adhibuit, ostendit, magno XVIII. *Avent.* studio Domûs suæ incolumitati advigilasse. Nam primo statim vere post Meinhardi obitum, ilico ejusce Provinciæ Ordinibus adfuit, eos volentes lubentes beneficijs demeruit, inque suam fidem & clientelam receptos, insignibus auctos prærogativis sibi devinxit. Quam ad rem firmavit suo assensu Legem Ottonianam, pollicitus, se exterorum nemini, sed indigenis duntaxat, primæ Boiariæ præfecturas, cæteráque honoratæ functionis officia permissurum, exclusis exteris, in quibus remissus amor patriæ, exilis cura publici, ardens privati cupido, artes variæ ad soli natalis familias deprimendas. Salutari quoque edicto, tribunalia ab equestris ordinis cordatis hominibus, voluit insideri, ratus, populum à nullis meliùs, quàm à suæ gentis judicibus gubernari, nec fideliùs administrari publica, quàm cùm Principum ministri, non suam magis, quàm civium utilitatem, sibi sumunt procurandam. Idem, pridie cal. Septembris, ratam sanctámque haberi jussit Ludovici parentis legem, quâ sacros homines à publicis muneribus & oneribus eximios esse voluit, quò integriùs divino cultui se suámque operam impenderent, & debitam apud plebem obtinerent venerationem. Fridericus ejus filius, Meinhardi nece à fortunâ desertus, refugit ad paternam clementiam, in cujus sinu tutiùs ac honorificentiùs, quàm in hostium obsequijs & turbis esset quieturus. Eum Stephanus haud gravatè recepit in gratiam, jussum tamen, deinceps pietatis & observantiæ in patrem patriámque cautiùs meminisse.

XIX. CAROLUS CÆSAR INVADIT BRANDEBURGIAM. Otto Ludovici Cæsaris filius post Ludovici Romani obitum, in Brandeburgicum Marchionatum successerat. Is Friderico in gratiam à Stephano parente recepto, administrandæ provinciæ curam reliquit, nihil sibi à Cæsare metuens, sed periculi securus, ob arctissimam affinitatem, quam ductâ in matrimonium Caroli filiâ contraxerat. Verùm nec genero securitas, nec socero fides quieta fuit. Hic etenim recrudescente in Boios fratres odio, & prolatandorum finium libidine, cum valido equitatu Marchiam ingressus, Fridericum oppressit, pacis munia exercentem, & ad bellum prorsus imparatum. In eâ violentiâ & rerum perturbatione, cùm in armis nihil esset præsidij, nec quicquam æquitatis ab injusto invasore posset impetrari, quod reliquum erat, cedendum fuit potentiæ, & dandum tempori, quod arma iniqui aggressoris nihilominus invito extorsissent, occupatis per vim Brandeburgiæ præsidijs. Ergo ad pactorum leges descensum, quales non æquitas, sed incubatoris cupido permisit. In eam rem confectæ tabulæ, quibus Carolus noluit suum nomen commodare,

modare, veritus ne sibi violenti nundinatoris famam apud posteros conciliaret, qui raptoris effugere non poterat, longè jam manifestiore injuriâ, quàm in redivivi Waldemari fabulâ meminerat se olim lusisse. Wenceslai Filij nomen substituit, non profuturum homini nihil unquam bonæ frugis aut existimationis habituro. Othoni ejusque hæredibus addicta fuere centum florenorum millia, iniquissimum, si ullum vnquam, tanti Principatûs & incomparabilis dignitatis pretium. Utque lateret turpe mercimonium, ne causa quidem, aut coëmpti dominatûs nomen in tabulis expressum, suo ut pudori Otho venditor, & suæ infamiæ Carolus emptor, consulerent. Præsentario ære quatuor duntaxat aureolorum millia (And. Presbyter centum millia memorat) Othoni numerata, Urbibus pignori ad cautionem oppositis, ex quarum vectigalibus sors integra & annuæ usuræ conficerentur. Urbes istæ fuere Lauffa, Hersbrucum, Reichenecca, Sulzbacum, Rosenberga, Hirschauia, & aliæ. Ne tamen Otho omni prorsus dignitate spoliatus videretur, illi, quoad in vivis esset, Electoris Brandeburgici & Archicamerarij titulus concessus, quo moneretur acceptæ injuriæ, & à se nomen id, absque re & erepti Principatûs emolumento retineri, indecorum scilicet dedecoris accepti monimentum. Hæc anno septuagesimo tertio gesta. Cæterùm ex eâ rerum mutatione patuit, quanto totius Boicæ Domûs detrimento, qui adhuc tum supererant fratres, junctis viribus mutuáque animorum consensione causam totius familiæ communem non sustentârint, facilè habituri subsidia externa ad arcendam usque eò manifestariam oppressionem, si ipsi amicitiâ sociali inter se conjuncti, ad eam prohibendam animi satis habuissent. Verùm suam singuli fortunam potiùs, quàm communem Domûs salutem in consilio habuere, quo nihil ad evertendas familias perniciosius, nihil efficacius ad irritandas æmulorum cupiditates. Id mali longè antè prospexerat Ludovicus Cæsar, cùm vetuit filios de herciscundâ familiâ ante exactum vicennium à suo excessu, quicquam agere, sed diutiùs etiam, si quâ possent, hæreditatis communionem retinere; ut eo vinculo colligati, paribus animis in salutem omnium simul incumberent, faceréntque singuli, quod ad totius Domûs firmitatem, æternámque omnium dignitatem pertineret. Verùm cùm hæc Marchiæ causa verteretur, filij paternæ provisionis immemores, jam dudum abruptâ societate, sese ipsos & rem communem destituerant, privatæ duntaxat intenti, & documento futuri posteris, quàm noxium sit sapientes majorum leges súsque déque habere, jactáque Principatuum fundamenta convellere, cùm, secundum virtutum Deique cultum, nullum tam forte atque tutum sit omnis imperij munimentum, quàm illud ijsdem servari principijs, quibus ex bono justóque emersit.

Otho Boius cum Carolo paciscitur. XX. XXI.

Sed neque in Tiroli & Goritia res gestæ prosperiùs. Maultaschiæ cum Rudolfo Austriaco connubium & donatio, utriusque Provinciæ ad Domum Austriacam avertendæ obtentus fuit. Hîc multò plus conatûs, quàm in retinenda Marchiâ attulêre quidem Boiariæ Principes, sed nihilo plus habuere successûs; sive quòd eos defecerit constantia, sive quòd ad sustinendam belli molem satis opis, operæque non conferrent. Bona causa non deerat, sed nec deerant hostes armis & clientelis valentes, quos Caroli Imperatoris perpetua in Boios ira reddebat securos, quocunque tandem sors adversa rem Boicam impelleret. Atque hæc potissimùm ratio fuit, cur Boici fratres, armis priùs quàm jure mallent experiri, sperantes, se Martem justiorem judicem, quàm Carolum habituros. Copias junxere Stephanus Senior, Albertus Bataviæ Princeps & connexarum Provinciarum: Aderant parenti Stephano Junior Stephanus & Fridericus cum copijs auxiliaribus Palatini Comitis Rhenani, Norimbergensis Burggravij, Nassavij, Orlamundi, & Schwarzenburgij. E diverso Rudolfus, Albertus, & Leopoldus conspirârunt. Bellum inchoatum à Müldorffio Salisburgensis ditionis civitate, sitâ in Boicæ umbilico. Causa ejus incessendæ fuit, quòd Archiepiscopus Austriacis addictus, Boicæ fines Oeno conterminos ex improviso aggressus agros va-

M. CCC. LXIV. *Bellum Tirolense.* XXII.

ſtitate, colonos direptionibus, permultos ex incolis captivitate, omníque hoſtilitatis diritate vexaſſet. Et jam prædis gravis, ſuarúmque ovium immitis paſtor onuſtus exuvijs, domum redierat, cùm Boij Müldorfium obſidione cinctum, omnique prohibitum commeatu, occupatâ hinc & inde Oeni ripâ, cœperunt premere. Advenêre interea Auſtrij (quos fœderati diſcrimen moverat-) ad Boicæ ſecundæ confinia, magnis inſtructi copijs, validóque ad depellendam obſidionem apparatu, locatis ad Riedam caſtris, egregium in paucis hodiéque eleganter cultum Boiariæ oppidum. Eo cognito, Stephanus nihil cunctandum ratus, ne ultra belli ſedes in Boica figeretur, omiſſâ Muldorffij oppugnatione, ſigna vertit in hoſtes, quos non dubitabat facturos ſui copiam, ſed collatis ſignis de rei ſummâ decreturos. Verùm ubi illi advolantis cum infeſto exercitu Stephani nuntium acceperunt, vaſis conclamatis, redivêre domum, ſive fugitantes ſupremam Martis aleam, ſive hoc læti operæ pretio, quòd fœderatam urbem obſidione liberaſſent. Atque iſtud ultimum Rudolfi militare fuit experimentum, quem mors immatura magnarum rerum expectationi ſubduxit, & gravi bello, cuius nec ipſe, nec Maultaſchia fato item prærepta, videre potuit exitum. Eorum ſterile connubium diuturnarum ſimultatum ac dimicationum ferax fuit. Nam poſt utriuſque exceſſum longè quàm antè acriùs armis dimicatum eſt, Boijs de Tiroli vindicandâ, Auſtrijs de retinendâ certantibus.

Muldorfii obsidio soluta.

XXIII. Sub hæc Stephanus, Albertus, & Otho Boici fratres utilem Eccleſiæ Romanæ præſtitêre operam. Urbanus V. Sum. Pont. Innocentio vitâ functo, in D. Petri ſedem ſuffectus, laborabat de Barnabove Mediolanenſium Vicecomite ad officium reducendo. Is ſúſque déque habitâ Summi Pontificis authoritate, omnia latè populationibus, cædibus, omníque belli calamitate vaſtabat, juris divini perinde atque humani contemptu. Quare Urbanus, cùm mitiora nihil proficerent, ad ſeveriora adiecit animum, collectis undique copijs, quibus hominis proterviam domaret. In ejuſce belli ſubſidium vocavit Duces Boios, datis ad eos 3. Id. Janu. anno M. CCC. LXIII litteris, petitóque, ut ducentos gravioris armaturæ milites ſuo ære conſcriptos, adverſus Barnabovem mitterent in Italiam, eóque penſarent damna ac injurias Romanæ Eccleſiæ à Ludovico IV. parente illatas. Accepere conditionem pij Principes, non tam ſpecie piaculi aut noxæ ſarciendæ, quàm ut ſe communi piorum omnium patri obſequentes, & Eccleſiæ vindicandæ ſtudioſos præſtarent. Ergo accedentibus ad cæteras Pontificis copias Boicis ſubſidijs, Barnabos, haud procul à Bononiâ, ab Ægidio Cardinale Hiſpano bellatore egregio, ope Ludovici Gonzagæ, Nicolai Eſtenſis, & Franciſci Carrarij prælio victus & ſaucius, amiſſo inter pugnandum filio, multiſque viris fortibus, fugiens, ad eas redactus eſt rerum anguſtias, ut cùm ſuam fortunam ad ſuprema pericula cerneret inclinantem, cum Androino tituli S. Marcelli Cardinale, qui tum Pontificis vice fungebatur, pacem Eccleſiæ non honorificam magis quàm commodam (ſi eam diu ſervaſſet) pactus, vicarij Romani Imperij titulum, quem, tametſi à Carolo Imperatore juſſus ponere, nondum poſuerat, prorſus abdicaret, polliceretúrque, ſe Romano Pontifici in manus daturum arces Burgi, Crepacorij, Caſtri Franchi, Pultrani, Servavallis, & univerſa, quæ nuper extruxerat in agro Bononienſi, munimenta. Simul promiſit, Bononiam ſe relicturum intactam, & ſi quid juris in eam obtenderet, id ſe Romanæ ſedis arbitrio permiſſurum: Præterea ſe è Guelforum factione laceſſiturum eſſe neminem, reſtituturum, ſi quid eorum cuipiam citra fas abſtuliſſet: deinde Gibellinis ac Guelfis in ſuis ditionibus, ex æquo, abſque cujuſquam injuriâ, jus dicturum. Addixit invicem Pontificis nomine Legatus certam auri ſummam, Vicecomiti, intra octennium repræſentandam: fore item ut Pontifex illum ſociósque unà cum urbibus & oppidis, quæ in ejus factione fuiſſent, piorum cœtui & ſacrorum uſui reſtitueret. Addita lex, ut, qui pactis non ſtaret, is ducentorum millium aureorum noxam ſtanti ſolveret. Super id auxilij, quod Boici Duces Pontifici præbuerunt, eidem jurati ſpopondêre, ſe amicorum

Boici Duces Urbano V. auxilia suppeditant.

Bzou. ad ann. 1363.

Barnabos prælio vincitur.

Pacem facit.

XXIV.

rum hostiúmve numero neminem habituros, nisi quos ille sibi addictos adversariósque esset dicturus.

Per id tempus Urbanus Pontifex bellum sacrum adversus Turcas & Saracenos in Oriente, & Ecclesiæ hostes in Gallijs & Italiâ grassantes indixit. Turcæ enim Genuensium usi navibus sexaginta armatorum millia transmiserant in Græciam, specie quidem auxilia ferendi Joanni Palæologo adversus Græciæ Principes fretos ope Bulgarorum, re tamen verâ, ut occuparent præcipua Græciæ propugnacula, Philippopolim, Adrianopolim, aliásque civitates, quibus frenatis Orientis Imperium denique sub jugum mitterent, quod demum cum ingenti rei Christianæ malo sunt assecuti. Amurathes enim Turcarum Princeps earum civitatum potitus, Palæologum ex Imperatore vectigalem factum, coactúmque dare filium obsidem, eò redegit servitutis, ut deinceps nec militare nec Imperatoris munia auderet exercere, nisi acceptâ à Turcis potestate. BELLUM TURCICUM. *Genebrar. Bosius. hist. Rhod. l. 3. Walsing. Æmil. Cluniac. chron.*

Pontifex, ut his malis occurreret, Christianos ad sacram militiam vocabat. Nomina dedêre Joannes Galliæ Rex, Waldemarus Rex Daniæ, & Petrus Cyprius, qui ipse à Saracenis premebatur, & ab Urbano postulabat auxilia. Hi ipso Parasceves die, Avinione crucis signum susceperunt. Joannes Rex exercitui præfectus, Tailarandum Legatum dixit ejusce expeditionis. Addidit Pontifex unum è Purpuratorum Collegio, qui alios Principes ad belli societatem induceret. Et is quidem Carolum IV. Cæsarem vehementer est cohortatus, ut Christianorum calamitatem miseratus, sua quoque auxilia conferret, sed tam nihil contulit, ut in Principum Germanorum consessu, eos, ne pia arma crucémque induerent, sit dehortatus gravissimâ oratione. Enimverò bella istiusmodi facilè suscipi, vix unquam confici feliciter. Id docuisse eventa superiorum temporum: Pugnatum quidem non improsperè in Palæstinâ sæpius, recuperatas fuisse multas urbes, sed militares tumultus, secutas clades, famem, morbos; victorias pulcherrimósque conatus abrupisse, eo duntaxat operæ pretio, ut consumptis Christianæ militiæ viribus, fusóque in cassum generosissimo sanguine, vix decimo cuiquam reditus in patriam patuerit. Isthic perijsse Fridericum Cæsarem, Ludovicum Francorum Regem in labore sanctissimo extinctum, exhaustas Europæ facultates, relictos ad lanienam viros fortissimos, quos ad tuenda captarum urbium præsidia fortuna destinasset. Nihilo deinceps sperari posse secundiora. Si vel hodie Hierosolyma recipiatur, nihil esse proclivius, quàm ut proximè elabatur è manibus nisi aliæ super alias copiæ sufficiantur, quæ bellum adversus infensissimos Christiani nominis hostes perpetuent, sintque semper in promptu Duces, qui parta continuò tueantur: sic disserebat parùm cordatus Imperator. Non persuasit tamen omnibus, ut à piâ expeditione abstinerent. Etenim Stephanum & Ottonem Boicæ Duces, quos suo loco demonstrabo hoc tempore in terram sanctam esse profectos, haud dubium est, tum arma cruce signata induisse, & Pontificis potiùs, quàm Imperatoris authoritati morem gessisse. XXV. *Dubrav. hist. Bohem. lib 22.* CAROLUS CÆSAR AUXILIA DISSUADET. XXVI.

Anno insequente fulsit Cometes triste semper sidus, cujus radij inter Occidentem & Septentrionem horridi minacésque in Galliam porrigebantur, quasi prænuncij belli ingruentis, quod per miras ambages, numinis ira in florentissimum istud regnum per Anglos invexit. Præcesserunt publica per Germaniam & Franciam latrocinia, à societatis Anglicanæ militibus, qui, Anglo tantisper quieto, & pace cum Carolo sapiente Galliæ Rege compositâ, cum incredibili licentiâ, tamdiu sævierunt, donec acceptâ pecuniâ amandati ad bella Italica & Aragonica, justiorem exercendæ militiæ materiam fuere consecuti. Sed neque Boica à bello immunis fuit. Nam, Rudolfo & Maultaschiâ sine prole defunctis, bellum recruduit in Austriacos, ad Tirolim Boico imperio asserendam. Stephanus Senior Boicæ Dux arma prior induit. Et ipsi quidem initia belli fuere secunda: jam enim, perruptis Tiroliorum claustris, passim victor & spei animique plenus invaserat pleraque præsidiorum, quacunque provincia montibus, Oeno, AN. M.CCC. LXV. XXVII. AN. M.CCC. LXVI. BELLUM TIROLENSE.

Athe-

Athesique protegitur, adusque lacum Benacum, pronis incolarum manus venienti tendentium studijs, Kopfensteniâ, Kitzbihelâ, Ratenbergicâ, aliisque potitus arcibus, sese Stiriæ finibus inferebat; cùm Austriaci collecto exercitu, ut istum victoriarum torrentem sisterent, armati adfuere. Jam dies, more prisco, dictus erat prælio, cùm Daniæ Rex ituris in mutuas cædes pacificator intercessit, authore Carolo Cæsare.

XXIIX. AnM.CCC.LXVII. Stephanus Dux Junior pacis in Italia suasor et sequester. *Corius hist. Mediol. p. 3. Bzan. ad an. 1367. n. 14.*

Hæc dum in eo sunt, Stephanus Junior rebus in Italiâ componendis utilem locavit operam, Princeps domi militiæque clarus, primis nuptijs Thadææ Barnabovis Mediolanensis Vicecomitis filiæ sociatus. Barnabos quietis impatiens à nuperæ pacis conditionibus ad pristinos motus, turbandásque Pontificis ditiones, pro suo genio, desciverat, cùm Urbanus anno millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, tot lacessitus injurijs, Viterbij cum Carolo IV. Imperatore, cum Ludovico Hungariæ Rege, Joannâ Reginâ Siciliæ, Nicolao, Hugone, & Alberto Atestinis, Guidone, Ludovico & Alberto Gonzagis, cum Francisco Carrario, cum Ducibus Venetiarum & Januæ, cum Florentinis, Senensibus, Pisanis, aliisque Italiæ regulis septenne fœdus contraxit. Quâ re Barnabos vehementer perculsus, cùm se tantis viribus longè imparem sentiret, primùm ad arma confugere, deinde circumspicere auxilia, & Stephani generi opem implorare. Hic ratus socerum neque satis juvari posse, & verò etiam Domum Boicam ex fœdere, quod Duces cum Urbano recens injverant, ab armis & hostilitate adversus Romanam sedem prohiberi, neque tamen Barnabovem tali re ac tempore esse omnino deserendum, armis prætulit rationes partium pacandarum, suasitque socero, eas ut amplecteretur. Consilium secutus est Barnabos, missis ad Pontificem nuntijs, qui eum ab inferendo bello averterent, id saltem ex eâ Legatione consecutus, ut Pontificis fœderatis suspicionem injiceret, quasi ille ad integrandam cum Barnabove concordiam inclinaret, atque hoc ipso Carolum Cæsarem aliósque ad bellum comparandum redderet segniores. Pontifex contrà, ut eis omnem scrupulum eximeret, per Præpositum Nemausensem, Carolum admonuit, nihil esse cur de Barnabovis reconciliatione quicquam suspicaretur, quam ipse non esset unquam admissurus, nisi conscijs ac volentibus fœderatis, & Vicecomite ad æquitatem redacto: tum Atestinis & Carrario author fuit, ut hoc ipsum Imperatori per Legatum Dondarium Fontanam nobilem Placentinum renuntiarent: deinde Legatos Cardinales misit in Æmiliam, Flaminiam, Etruriam, reliquámque citeriorem Galliam, qui Pontificij imperij urbes recuperarent, recuperatásque firmarent præsidijs; simul à fœderatis auxilia poscerent, qualia peropportunè suppeditavit Joanna Regina. Nam misso adversus Ambrosium Barnabovis nothum exercitu, ipsius copias profligavit ad Aquilam, captúmque, Neapoli in vinculis habuit; quâ clade Barnabovis consilia haud mediocriter fuere turbata.

XXIX. AnM.CCC.LXVIII.

Sed & tum nutare vehementiùs cœperunt, cùm anno sequente Carolus Cæsar ingressus Italiam cum valido armorum apparatu, grande pondus causæ pontificiæ addidit. Ejus copias augebat Carolus Austriæ Dux, qui cum potente Germanorum manu in Italiam descenderat, gravitérque vexabat Vicentinos. Trahebat quoque Cæsar haud exiguum Procerum Germanorum ac Bohemorum numerum, cúmque ijs Germanos, Illyrios, aliósque gentium finitimarum subsidiarios, quibus Veronensium fines vastabat. Demum junctis exercitûs Pontificij & fœderatorum Italicis viribus, Barnabovi evasit valde formidandus. Pontificis Legatus Gomesius Albernotius Hispanus, Nicolaus Atestinus, & Ugo Severinas Joannæ Siciliæ Reginæ Legatus, Malatesta, Carrarius, Gonzaga, alijque, viginti quinque armatorum millia habebant sub signis.

In Barnabovem tota moles incumbebat. Unica ipsi spes in Italicis cohortibus, nonnullis Germanis, Sequanis, & Anglis, ex fœdere cum Eduardo Angliæ Rege percusso, ob nuptias filij Leonelli Clarentiæ Ducis, cum Iolantide Galeacij filiâ. Cùm in eo rerum statu Vicecomitis fortuna fluctuaret apprimè crepe-

crepera, usus est Stephani Boij Ducis generi sui industriâ, dato ipsi negotio, sibi ut pacem à Pontifice & Cæsare impetraret. Res successit ex voto. Stephanus rebus ultro citróque agitatis, pacificationis eas denique conditiones est consecutus, ut Barnabos eriperetur discrimini, & Pontifici juxta ac Imperatori satisfieret. Pacis Leges hæ fuère. *Barnabos Burgo forti & Castello excedito: nihil omnino juris in Bononienses habeto: Socij exercitum dimittunto: Castra Hiberiæ, S. Martini, Borsani, Montis ricchi Rheginensium sunto, non Vicecomitum. Morianum, Decimum, Palaria, Monsfusculus, S. Gervasius Lucano Episcopo restituuntor. Barnabos supplex Pontificis gratiam orato: Eum Pontifex diris, ejus ditiones sacrorum cessatione absolvito.* Eam pacem à Pontifice confirmatam, Fœderatis assentientibus, Carolus Cæsar Mutinæ promulgavit. Stephani prudentiam rerúmque agendarum dexteritatem, partium utraque vehementer probavit. Hisce perfunctus Stephanus, honestissimâ Pontificis commendatione famâque perquam secundâ, quàm præmiorum magnificentiâ clarior, revocabatur in Germaniam ad parentem, qui & ipse laborabat in rebus cum Austriæ Ducibus componendis.

Annus iste miræ fœcunditatis fuisse memoratur non in Germania solùm, sed etiam in totâ Europâ, vino frumentóque ad eam pretij vilitatem redacto, ut avorum memoriâ nihil fuisse simile censeretur. Nuper jusserat Cæsar, Boios Principes, in medio victoriarum cursu, arma ponere, & causam committere justæ disceptationi, cujus judex Cæsar ipse esset futurus.

Conditionem accepêre Boij Principes suo malo, nec recusârunt Austrij, nihil aut parùm de incruentâ victoriâ, Carolo arbitro, ambigentes. Et magno ad victoriam emolumento erat exarmasse Boios. Ubi ad dicendam causam ventum est, his nihil patrocinatæ sunt rationes, à recenti jure beneficiariæ possessionis petitæ: validiora fuere adversariorum præsidia apud faventem Cæsarem. Post diuturnam altercationem, anno demum sexagesimo nono, litigantium consensione, pax fuit constituta, legibus Boiariæ supra modum adversis. Stephanus enim & Albertus fratres, omni se in Tiroliós jure, retentâ Kitzbihelâ, Kopfensteiniâ & Ratenburgo abdicârunt, eâ conditione, ut invicem Austriaci Duces ipsis centum & sedecim aureorum millia numerarent, magnam, id ætatis, pecuniæ vim, sed longè tanto Principatui imparem, ac leve seu diminutæ potentiæ pretium, sive irreparabilis detrimenti compensationem. Leges dixere jussu Cæsaris Rupertus Rheni Comes Palatinus, affinitate Cæsaris ad omnem ejus nutum volubilis, & Piligrinus Salisburgensis Antistes è gente Puechaimia, qui anno M. CCC. LXVI. Ortholpho Weiseneckio in mitræ jura & Austriacæ litis defensionem successerat, contra Duces Boios non unis nominibus irretitus. Accessit & hoc gravis incommodi, ut Joannes Stephani filius titulis ipsique Goritiæ Comitatui cogeretur nuntium remittere, non sine probabili suâ & uxoris injuriâ. Cùm enim Catharinam Goritiæ Comitem duxisset, ipsam ejúsque posteros, ista Dynastia respiciebat, quæ nihilominus Joanni, nomine suo atque liberorum, fuit abiuranda, nisi mallet adverso Cæsare, se totámque suam Domum bellis rursus involvere. Hac super re tabulas Scherdingæ datas calendis Octobris, recenset Gerardus de Roo ad hunc annum, sancitámque præteritarum injuriarum oblivionem.

XXX

A. M.CCC. LXIX.

Hæc erant tempora & fortunæ vices, quæ res versat humanas, nec sinit eodem semper vestigio consistere. Ad hæc tempora refert Aventinus Parœciæ D. Jodoci Landishutanæ institutionem, primo ejus Curione Henrico Pilano, ut divisis in plures Ecclesias civibus, animarum curæ & divinis officijs meliùs esset prospectum.

Non multò antè, Conradum Haimbergium Friderico Norimbergensi Burggravio à sede Episcopali Ratisbonensi depulso suffectum, Urbanus V. Pont. Max. probavit, ac confirmatum reparandis istius Ecclesiæ damnis operam dare voluit. Is modestiæ & amoris in Clerum laudem tulit, longè dissimilis Friderico, qui omnibus exosus, decoctis Episcopatûs opibus, Collegióque Cathe-

XXXI. drali supra modum extenuato, velut pondus odiosum ac inutile, à vecordiâ & rerum profusione infamem sui memoriam posteritati reliquit. Ab hoc Carolus IV. Imperator Româ redux, cùm Bohemiæ fines Ratisbonam usque vellet proferre, arcem Stauffiam Danubianam frenandis Ratisbonensibus percommodam accepit, spe factâ, fore ut Episcopatui in illius vicem, aliam in Bohemiâ reponeret. Verùm cùm ea res civitati foret suspecta, & periculosa Boicæ, Carolus Stauffiâ & Ratisbonâ exiguo tempore est potitus: impetravit nihilo minùs ab Urbano Pontifice; ut Ratisbonensis Ecclesia, unà cum Bambergensi & Misnensi, Pragensi Archiepiscopo, velut Apostolicæ sedis Legato, in posterum subesset, Salisburgensi, qui id juris sibi detrahi querebatur, nequicquam reclamante. Post Caroli excessum Theodoricus Episcopus Conradi successor Baro Abenspergensis, vir frugi & magnificus non Danustauffiam tantùm, sed Sultzbacum quoque in Norico, Eglofsheimium & Antingense castella, Ratisbonensi mitræ vindicavit, pretio, quod Boici Duces persolverant, restituto. Cùm verò Conradus, rebus ita exigentibus, & assentiente Canonicorum Collegio, Ottoni, Stephano, Friderico, & Joanni Ducibus Bavariæ Dynastiam Teyspacensem, pignori opposuisset, Theodoricus illam Stephano, Friderico & Joanni, vendidit, anno M. CCC. LXXXVI. Conrado attribuunt Annales laxata principis Ratisbonæ templi ædificia, occupatâ areâ, in quâ D. Joannis templum à sui primordio perstiterat. Ne quid verò Divi cultui decederet, aliam Ædem Conradus nihilo venustiorem excitavit eo loco, qui à propolarum tabernis tabularius vocabatur. Cùm in ijs structuris Episcopus sumptus faceret, pro rei magnitudine, non contemnendos, excidit concionatori è sacro Carmelitarum ordine verbum paulò liberiùs, quo visus est Conradi magnificentiam perstringere, eum pro concione ausus fidenter hortari, ut quando ipsum egregiæ istæ ædificiorum moles adeo oblectarent, tantumdem locaret laboris & industriæ in vivis Dei templis exornandis. Ea vox sic Episcopum pupugit, ut Carmelitas prius non destiterit insectari, quàm solum verterent, & relictâ D. Oswaldi æde, Straubingam Ratisbonâ migrarent. Isthic benevolis Boici Ducis Alberti, & civium animis studijsque recepti, Cænobium templúmque, quod hodie incolunt, sumptibus Alberti Stainhausij, Præpositi Augustani à fundamentis condiderunt. Cùm nuper exortæ Wiclefi hæreses Ecclesiam infestarent, belli facem Boicæ subdidit iniquissimo tempore, is, qui minimè debuisset, Conradus Freibergerus, vir inquietus, adulterinâ ad Bórachum Hebræum Epistolâ Joannem Boicæ Ducem ad arma adversus Augustanos sumenda concitavit: tanti fuit famosi istius libelli injuria, quæ mitissimum alioqui Principem provocavit ad vindictam, donec, pace per Marquardum ex Augustano Episcopo Patriarcham Aquileiensem compositâ, anno demum millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, iras posuit. Fuit id bellum incendijs & miserorum vexatione funestum. Eo accenso, Augustani, qui ante quatriennium ab Aristocratiâ ad Democratiam per popularem tumultum desciverant, mutatâ ratione gubernandi è civium numero septem delegerunt, penes quos foret consilium & potestas militiæ ordinandæ. Copijs verò præfecêre Fridericum Ducem Teccensem. Dux Joannes hostilia orsus est ab Achingâ Augustensi municipio, quod expilatum abactis armenti gregibus, denique flammis subjecit. Non tulêre id damnum Augustani, sed ipsis D. Catharinæ Alexandrinæ ferijs, paria retulerunt, Schwabeckâ imperij Boici oppido expugnato & exusto. Simul conflagrârunt viri viginti septem; quinque Augustani abducti in vinculis. Exinde itum ad damna fœdiora. Eduxere Augustani mille quingentos, & non multò post nonas Decembres Schongaviam ad Lycum vi occupatam, rebúsque spoliatam omnibus, dedêre flammis: simile fuit Fridbergæ excidium. Tanta fuit tum incendiorum libido & immanitas, ut viderentur unis flammis ad mutuam perniciem armatæ furentium manus, nullo suo commodo, sed solâ cupiditate ulciscendi, totum belli negotium ponere in strage mœnium, templorum, ædium, in clade civium promiscuâ, rapinâ sacrarum

Marginalia: *Hund. in Metrop. p. 207* — *Litt. Urbani V. datæ 5. cal. Junij. Pontificatus sui an. 3.* — XXXII. — *Avent. Hundius.* — TEMPLI MAIORIS RATISBONENSIS AMPLIATIO. — CARMELITÆ RATISBONA STRAUBINGAM MIGRANT. — *Andr. presb. Ratisbon.* — AN M.CCC. LXII. — BELLUM INCENDIARIUM. — XXXIII.

rum pariter & profanarum opum, cùm collucentes in tectis ignes, triumphans crudelitas, & mœsta eversarum civitatum & agri devastati solitudo, omnia pessum darent.

Istis suorum cladibus bustísque accensus Joannes, iras flammásque vertit in Kissingam, Gæggingam, Iningam, nobilia quidem, sed immunita Augustanorum oppida, quibus quia nullæ extra pomœria munitiones, in quas porrò arma verterentur, tantò graviùs sævitum in agros. Adulto Decembri, ignibus tradita Bobinga, Weringa, Pflersonum; Bergomia, Stephachum, Kriegshabera, Obethusium, Defferdinga, Hirblinga, Gablinga, Gershofa, tantâ immanitate, ut tota ad Lycum vicinia passim conflagraret. Tum Boij ad urbem Augustanam progressi, fœdum in modum suburbana hortósque ad portam Gœggingensem deformârunt, nihil moti crebris telorum procellis per cives è mœnibus in militem furentem emissis. XXXIV.

Credibile est usos esse æneis machinis, quarum viginti hoc anno Augustæ fusas Annales referunt, ad explodendos saxorum globos rudi adhuc jaculandi arte, & in destinandis ictibus longè minùs quàm hodie ingeniosâ eóque innocentiore. Illam Joannes Arolliensis ex professo, sexto abhinc anno, Augustæ docuit.

Usus machinarum ænearum coepius.

Hoc ipsó anno recruduit bellum nuper sopitum inter Wirtenbergiæ Regulum Eberhardum & sociatas fœdere Alemanniæ civitates, inveterato in Comitem odio, à quo illæ se præter jus fásque premi querebantur. Prodière in campum utrorumque copiæ, haud longè ab Althaimio, ubi commissum atrox pertináxque prælium, alijs de excutiendo jugo, alijs de stringendo certantibus. Victoria denique penes Eberhardum stetit, non sine multorum sanguine. Ex hostibus permulti vulnerati, haud pauciores capti è bonâ nobilitate & manipularibus trecenti unà cum Ulrico Comite Helfenstainio sociarum civitatum Polemarcho, quem Nauclerus & Mutius scribunt in Nibergensi castro fuisse interfectum. Prælio non interfuere Augustani, tametsi communi essent cum cæteris civitatibus implexi fœdere: quominus adferrent suppetias, vetuit insueta Danubij exundatio, qui alveum egressus, eos aditu prohibuit. Ne tamen nihil egisse viderentur, sociorum cladem ulti sunt, duorum pagorum conflagratione. Ii cùm pertinerent ad Henricum Freibergium & Schœneckium Dynastas Wirtenbergicarum partium, Comes injuriam suam esse ratus jam parabat vindictam, cùm Augustani talionem pecuniâ redemerunt.

Annal. August. Carol. Stengel. Henr. Mut. Chron. l. 25. Naucler. vol. 2. Generat. 46.

Eberhardus Wirtenbergicus de Sueviæ Urbibus victor.

Cùm igitur Augustani hinc à Boijs, isthinc à Wirtenbergensibus premerentur, parúmque in devictis socijs, sublato Duce, esset subsidij, per Fridericum Teckium adjunctis civium honestissimis, pacem à Cæsare, qui tum Pragæ agebat, petierunt. Verùm cùm is Eberhardo esset addictus, vacuos votíque irritos domum remisit. Hac repulsâ mœsti, ut hostium numerum minuerent, prudenti consilio Comitis Wirtenbergici iras placârunt, addictis triginta sex florenorum millibus, è quibus in eius ærarium decem intulerunt, rati, se, si Comitis metu solverentur, fore ad Boicum bellum expeditiores. Igitur stipati agmine ducentorum quinquaginta armatorum irruperunt in Boicam. Grassaturi erant ferro & colonorum incendijs, cùm à Comite Walthero, qui septuaginta duos hastatos equites ducebat, oppressi, amisère centum quadraginta in vestigio obtruncatos, quinquaginta vulneratos: cæteris, quos fuga victoribus exemit, tristem cladis nuntium ad suos licuit referre. Eodem, quo cæsi sunt die, alij trecenti pagos tres, ad Bridelkirchium incenderunt. XXXV.

Belli incendiarii continuatio.

Hoc loco juvat sub unum aspectum conferre totum hoc bellum incendiarium, quod longè ultra triennium sævijt. Etenim anno M. CCC. LXXVIII. Augustani aliarum urbium fœdere firmati, Oberndorfensem pagum, trésque insuper vicinos sub Christi nascentis ferias combusserunt. Altero pòst anno, nondum desierat ardere furens ista vesania. Cùm enim Boij fœdere cum Comite Eberhardo juncti, Augustanos validè lacesserent, hi vicissim Boicam, quàm poterant

terant maximis affecêre incommodis, armentum abegêre, pagos vertêre in cineres, omne Lyci confinium habuere infestum. Mulhusam, vicósque circùm vicinos, Haustettam, Rainam, Biberbachium, igne corruptum anno M. CCC. LXXXI. ipsæ Canonicorum Augustanorum ædes, odio Burchardi Episcopi, quem pro hoste cives habebant, à furente plebe direptæ & fœdè vastatæ, nullâ sacri ordinis reverentiâ, nullâ insontium habitâ ratione: tanta dementia fuit concitatæ multitudinis.

XXXVI. *Annal. August.* *Brunnerus numerat universim 7500.* Paulùm resederat ira incendiorúmque sævities, cùm anno millesimo trecentesimo octogesimo septimo reditum ad superiorem vesaniam. Bellum integrârunt Augustani auxilio sociarum civitatum. Querebantur se à Stephano Boicæ Duce lacessitos nescio quibus injurijs. Habuere sub signis armatorum tria millia, in quibus mille hastati equites. Illi ex improviso ingressi Boicam, torrentis instar ignei, redegere in cineres quicquid oppidorum, castellorum, pagorum mediâ inter Augustam & Ratisbonam regione fuit cis Danubium, ultra quem Ratisbonæ transmissi, adversam fluminis oram pari crudelitate vastaverunt. Perseverantes furere, altissima nix, quanta ab annis viginti non ceciderat, dissipavit. Ea furiosorum hominum immanitas anno sequente Stephanum concivit ad vindictam. Ipse enim, acceptis à Comite Wirtenbergiæ, quicum fœdus bellíque consortium pactus erat auxilijs, non Augustanorum modò, sed aliarum quoque civitatum agros igne, ferro, populatione redegit in miserandam vastitatem, eo duntaxat operæ pretio, ut, quod miserum atque triste genus est solatij, hostem pares passum injurias, & majoris mali metuentem, ad induciarum pactionem adduceret. Brevis exinde quies fuit; cùm Augustani anno sequente correptis rursus armis facibúsque ad ingenium fuere reversi. Prima illis sævities fuit in Rechlingam, Scherneccam, & omnia latè circùm loca, quæ passim cesserunt flammis. Id gestum sub S. Gertrudis ferias, quæ Martij decimo septimo sunt solennes. Ne verò Wirtenbergia suis damnis vacaret, Augustani, irruptione factâ, corrupêre colles isthîc vitiferos, & sublatâ spe vindemiæ, pagos quammultos concremârunt mense Augusto. Malè vertit inter hæc Boijs equitibus sexaginta sua audacia. Ipso D. Laurentij festo, Lyco trajecto, venêre in Augustæ conspectum, atque haud procul ab urbanâ patibulariorum statione, ex Augustanorum oculis abegêre pecora. Concurrêre cives magno numero ad prædam excutiendam, donec Boios ad Biberbachum assecuti, ex ijs triginta obtruncarunt, viginti abduxere captivos cum signo militari, abactúmq; armentum unà cum colonis recuperarunt. Sub idem temporis Oberndorfium, Dornspergam, Oellingam exussetunt cum pagis finitimis. Mense Decembri, illi ijdem ternas domos Nobilium, quatuor supra viginti pagos, arcem Moeringanam & Stertzlingam in Boicâ flammis everterunt.

Hæc dum aguntur, merces, quas Augustani mercatores Venetijs comparâranr, Fiessam adductæ venêre in manus Burchardi Episcopi. Is addixerat, per se non staturum quominùs tutò Augustam veherentur: verùm Stephanus Dux eâde re factus certior, conscio Antistite, res promercales vertit in prædam, persuasitque Burchardo, ut pacem Augustanis renuntiaret: quâ illi re irritati, Episcopium, Præpositi & Decani ædes fuere demoliti.

XXXVII. Pax cum Augustanis sancita. Tandem inter istas cladium reciprocationes, cùm in agro Augustæ propiore nihil posset noceri, sed nocendi materia potiùs quàm causa animúsque deesset, Stephanus unáque Ulricus Wirtenbergius, Lyco transmisso, omnia latè ad viam regiam deformarunt, & quasi insanam litem tumulaturi ad Mechingense sepulchretum, ultimos in Augustenses conatus ediderunt, domitis illis, qui eò confugerant, non sine tamen aliquâ suorum jacturâ. Tum ad Kaufburam progressi, cum dedecore fuere rejecti. Pecus hinc inde raptum abegisse, totus expeditionis fructus fuit, quæ nullâ ferè re magis inclaruit, quàm cum Warmundus Bienzenauius viginti juvenum manipulo stipatus, ad ipsa Augustanæ urbis mœnia, sex fœni plaustris incensis, obscuro triumpho festivos ignes excitavit. Denique par-

partibus insaniendo fessis, anno M. CCC. LXXXIX. conventum de omnibus, quæ à triginta ferè annis extiterant Boios inter & Augustanos, dissidijs. Augustanis imposita decem aureorum millia, quæ Stephano penderent; qui vicissim Augustanos à novorum vectigalium onere haberet immunes, admitteretque ad liberam commerciorum in Boica facultatem. Burchardo Episcopo ad sarciendam sacrorum ædificiorum stragem, ijdem Augustani septem aureorum millia promisêre. Andreas Brunnerus causam hanc, volente Wenceslao Cæsare, Ratisbonæ disceptatam notavit, dato litis arbitro Joanne Leichtenbergio.

Ex insano hoc bello nata est ædes D. Virginis Thalkirchensis, hac occasione. Christianus Frauenbergius bellator acerrimus, superante hostium multitudine, cum Wilhelmo fratre compulsus ad fugam, ad ipsam usque ripam Isaræ profugerat. Imminebat hostis à tergo & ultima desperatio, nisi vado reperto amnem transmitteret. Cùm per incertum alveum & rapidos profluentis vortices nulla pateret evadendi certa ratio, spem in ope divinâ defigens, inclamatâ Deiparâ, vovit, se, si unà cum fratre in adversam ripam salvus tranaret, in beneficij memoriam, templum à fundamento erecturum Matri Virgini. Nec frustra fuere vota: nam per medias undas ereptus discrimini, Divæ cœlorum Reginæ, Thalkirchij haud longè à Monachio templum excitavit, additurus sacerdotum Collegium, ad celebrandas propitij Numinis laudes; nisi eius consilium importuna mors, in Palæstinâ, quò se adversus Turcas anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto contulerat, intercepisset. ORIGO TEMPLI THALKIRCHENSIS.

Atque hæc quidem de bello incendiario, Troianis ignibus haud paulò pertinaciore, cui finiendo haud parùm contulit opportuna mors Conradi Freibergeri, cujus fraude fuerat excitatum. Ejus uxorem ferunt Leichtenbergæ ad Lycum à Dæmonibus insessam furentémque, sacris carminibus, pulsâ aliquâ feralium hospitum manu, nonnihil fuisse levatam, sed cùm plures superessent, qui suam stationem pertinaciùs tuebantur, antequam exorcismis abigerentur, miseræ mulieri elisis faucibus animam abegisse, ne stante hospitio victi fugatique viderentur. Redeo nunc ad ordinem Annalium. MORS FREIBERGERI BELLI INCENTORIS, ET EIUSDEM CONIUGIS.

Annus M. CCC. LXXIII. in Boicâ præter ea, quæ recensui, apud Scriptores vix habet quicquam memorabile. Litem de Marchiâ Brandeburgicâ & Septemviratu in hoc tempus referunt. Cùm Boici Principes ab armis imparati, Caroli Cæsaris violentiæ paterent, confugêre ut filij ad communem piorum Patrem, precati, vellet iniquum invasorem reprimere. Eorum postulatis motus Pontifex, uti testes sunt Andreas Presbyter Ratisbonensis, & Bzovius, litteris datis 2. Id Martias, jussit Agapitum Columnam Episcopum Olyssiponensem Sedis Apostolicæ Nuntium componendæ controversiæ dare operam. Atque hinc quidem constat, non Ottonem modò Ducem, sed Fridericum etiam, Joannem, Albertum & Stephanum Duces Bavariæ, pactis intervenisse, causámque venditi Marchionatûs, non ad Ottonem solùm, sed etiam ad fratrem & nepotes pertinuisse; deinde eos non descendisse sponte ad abdicandæ Marchiæ pactionem, sed Caroli Imperatoris quà vi, quà minis & importunitate, fuisse impulsos. Carolum monuit Pontifex, servaret cum Bavariæ Ducibus alijsque Germaniæ Principibus concordiam, ut illi omni intestino timore liberi, suam operam adversus Turcas Christiani nominis hostes conferrent. AN. M. CCC. LXXIII. PONTIFEX CAROLUM CÆSAREM DEHORTATUR AB INFERENDA BOICIS INIURIA. XXXVIII. *And. Presb. Bzov. ad hunc an.*

Nova hoc anno hæresum monstra Mallæsius Pragensis Canonicus ex œrco produxit, vulgavítque edito libro per Germaniam. In eum Pontifex lege jussit agi per Pragensem Archiepiscopum alióśque Antistites. Librum à Pontificijs censoribus addictum ignibus, Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Bremensis, Magdeburgensis, Pragensis, Rigensis, jubente Gregorio Pontifice, damnatum pestilentémque renuntiarunt. In Mallæsij Sectatores, qui jam in non contemnendum numerum coaluerant, per sacros quæsitores, Carolo Imperatore adjuvante, fuit animadversum. AN. M. CCC. LXXIV.

Archiv. Electoral.

Bavaria, tametsi Principum suorum vigilantiâ ab ista peste fuit illæsa, non fuit tamen ab omni facinorosorum hominum vexationibus immunis. Grassabantur in Germaniâ (quæ sæculi istius licentia) incendiarij, prædones, latrones. In eos Stephanus Dux Senior, Alberto & Ottone Fratribus, filiisque Stephano Juniore, Friderico & Joanne suffragantibus, lege hoc anno latâ ipsis D. Catharinæ ferijs, severè jussit agi, neq; impune haberi eorum adjutores, quive ipsos favore, tecto, annonâ, patrociniòve tutarentur. Ne verò quisquam ab isto defendendæ patriæ officio foret eximius, imperatum fuit subjectis omnibus, ut, quoties res posceret, armatâ manu adessent Principibus: ut Toparchæ, Nobiles, civitates, oppida, communi fœdere se ad pium istud defensionis munus adstringerent; qui verò id detrectarent, jubebantur non secus ac jurati patriæ hostes puniri. Centum triginta, pars Duces, pars Comites, Barones, viri equestris ordinis, & civitates fuêre, qui huic societati nomina dedêre.

XXXIX.

AN. CHRIST. M. CCC. LXXV.

Naucler. Vol. 2. Gener. 46. Gerard. de Roo. Hist. Austr. lib. ad an. 75.

IECKENORŨ IN ALSATIÂ IRRUPTIO.

Nondum desierant ista grassatorum latrocinia, cùm anno millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, hominum armata colluvies, in Angliâ, Armorica, aliisque locis collecta, in Germaniam ad Rheni fines confluxit. Eorum adventum Annales Augustani referunt in annum septuagesimum tertium. Illis, à cultu sordido & squalore mendicitatis, pauperum Ieckenorum nomen vulgus indidit. Videntur non abfuisse ab hodiernis Cingaris, quod genus hominum vagum, otiosum, flagitiosum, & ex varijs gentibus corrasum, furtis & fraudibus se sustentat. Trepidatum nihilominus ex Jeckenorum alluvione totâ passim Alsatiâ, Hegoiâ, locisque finitimis; per agros præsertim & loca indefensa, cùm nullus esset in promptu exercitus, qui illorum irruptioni sese objiceret. Trahebant agmina centum & supra equitum peditúmque millium, qui locustarum instar depascebantur & corrumpebant omnia. Gerardus de Roo non meminit nisi quadraginta millium. Ipsæ urbes munitæ non sine metu fuerunt. Argentina advocavit Fœderatorum auxilia, in quibus Augustani, qui misêre centum equites galeatos, gravioris scilicet armaturæ, & levioris sive scutatos, numero ducentos, ductore Conrado Burgovio, signifero Joanne Bockspergio, turmarum Præfectis Joanne Remo & Hartmanno Augustanis Patritijs. Non dubium, quin communis terror in Boicam penetrârit. Dicebantur Jeckeni à Dusino quodam Dynastâ prædarum dulcedine illecti eò venisse, ut Hegoiam, quam Dusinus suam esse dicebat, ab Austriacis repeterent. Dusinum istum alij nuncupant Caucinum, alij Cussinum, malè quidam Guisium. Ejus matrem ajunt fuisse Agnetem Austriacam Leopoldi primi filiam, & huic quidem Hegoviæ civitates aliquas dotis nomine fuisse promissas, quas Dusinus uti maternam hæreditatem reposcebat. Eum Albertus Austrius hoc nomine tertius, cujus potissimùm res agebatur, cùm armatâ manu non posset, insigni prudentiâ superavit. Ubi primùm fama adventantis increbuit, jussit omnem prorsus annonam in civitates à colonis importari, si quid in agris superesset, vastari, omnémque agrestium multitudinem cum universis familijs in loca mœnibus firmata, ad præsidiariorum opem confugere. Hinc in Jeckenos grassata fames, morbi, funera. Ad cætera incommoda accessit perfrigida rigidæ brumæ tempestas, seminudis perquam adversa, quódque machinis bellicis destituti, nihil possent adversus clausas ubique urbes. Quapropter, primùm illi damnare frigidam famelicámque militiam, deinde agminatim hac illac secedere, pòst dilabi à signis, tandem Dusinum detestari, diversis itineribus aufugere, & ubique infestas manus experiri, donec sub adultum anni insequentis Januarium, semineces & ad insignem paucitatem redacti, Germaniæ finibus excessêre.

COMITUM HALSIORUM ULTIMUS EXTINCTUS.

Hoc anno Leopoldus postremus de stirpe Comitum Halsiorum 9. cal. Majas fato functus, tumulum nactus est in asceterio Osterhoviano, quod Albertus ejusdem gentis Toparcha magnis beneficijs auxerat, hoc ipso nominis immortalitatem promeritus, quam minùs certam insignémve sibi fecisset, si in terris sibi nomen scripsisset.

Annum

Annum M. CCC. LXXVI. Germaniæ totique Imperio reddidit inauspicatum, infausta Wenceslai Bohemiæ Regis Caroli Imp. filij ad supremos fasces evectio. Ambiguum, præmatura Caroli prensatio, an Septemvirûm facilitas reprehensione fuerit dignior. Amor parentis in filium, culpam aliquantò poterat facere leviorem; Electorum vota parùm habebant excusationis. Vix enim eos latére poterat pessima Wenceslai vix annorum quindecim indoles, qui à puero solitus agere perpetua Bacchanalia, quíque abdomini potiùs, quàm sceptro natus esse, palàm censebatur. Antequam Electioni dies diceretur, Septemvirale Comitium Norimbergæ primùm 3. cal. April. deinde Rensij ad festum Pentecostes, ne vel hujus diei sanctitas crimine vacaret, celebratum. Tum consensu lectus est dies Junij decimus, quo iretur in suffragia. M. CCC. LXXVI. WENCESLAUS CÆSAR ELIGITUR. XL.

Gregorius Pontifex, cui Wenceslai mores erant perspecti, meritóque verebatur, ne is Ecclesiæ atque Imperio plus detrimenti quàm utilitatis olim adferret, rogatus à Carolo, vellet eligendi facere facultatem, assensus quidem est, sed ijs verbis ac conditionibus, quæ proderent præcocem electionem ipsi videri importunam. Exegit inprimis, ut ex formâ, quam Henricus VII. & Carolus ipse usurpârat, Electus juraret, se Ecclesiæ Romanæ bona non occupaturum: non violaturum Ecclesiastici ordinis libertatem: Ecclesiam se defensurum: eidem prærogativas omnes, jura ac privilegia à superioribus Imperatoribus concessa confirmaturum, innovaturum: se adversus omnes sedis Apostolicæ hostes promptam laturum opem. Voluit quoque ab Electo promitti, fore ut ante solennem inaugurationem, à Regni & Imperij administratione abstineret, ipsos adeò Regis Romanorum & Imperatoris titulos non admitteret injussu Sedis Apostolicæ, sed unctionem & coronationem non Imperialem modò, sed etiam regiam referret ad Romanum Pontificem, atque pro eâ impetrandâ, ipse unà cum patre Carolo, vel saltem cum Pragensi Archiepiscopo & Proceribus, Pontificem accederet, vel oratores, qui vicem eorum fungerentur, mitteret. Tandem, posteaquam regium diadema suscepisset, regias litteras, Imperiales verò, ubi foret insignitus Imperatorijs insignibus, aureâ bullâ munitas in confirmationem jurium & bonorum sedis Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ repræsentaret. Gavisus fuisset sapientissimus Pontifex, si Imperator & Septemviri has leges detrectando, ansam præbuissent differendæ electionis, vel saltem deliberando, tempus ad usque Caroli obitum extraxissent. Verùm cùm ambitioni Caroli nihil esset grave, nihil durum Septemviris, Pontificis legatos ad juramenta & diplomata excipienda missos, proni admisere, cùm Wenceslaus postulata jurejurando, promissa tabulis etiam confirmaret. Ad eundem modum Wenceslaus Rex Bohemiæ, Ludovicus Moguntinus, Cuno Trevirensis, Fridericus Coloniensis Archiepiscopi, Rupertus Senior Comes Palatinus, Wenceslaus Saxo, Sigismundus Brandeburgicus, Francofurti, Wenceslaum solenni more patri Carolo successorem cooptarunt.

Remiserunt ad Pontificem, Imperator, Cæsar & Electores, qui ab ipso venerant, Legatos, eo quo par fuit honore in Comitio habitos, onustósque litteris, quas Carolus & filius ipsique Electores ad Gregorium dederunt. Earum verba ad hunc annum recenset Bzovius. Superi! quibus laudibus suum Wenceslaum nòn extollit Carolus? Ait, Comitio visum, *quòd pro tanti regiminis apice, totiúsque Reipublicæ laborum oneribus subeundis, in suum, Caroli videlicet, adjutorium necessariò constituendus foret Princeps illustris, Catholicus, juvenis, fortis, potens, & tam terrarum rerúmque divitijs, quàm etiam subjectorum hominum cæteros multâ virtute præcellens, & per quem Sacro Imperio posset utiliter provideri: atque sic consideratis conditionibus & circumstantijs multarum personarum, nec non status Reipub. tam Ecclesiæ sacrosanctæ, quàm Imperij; visum esse Electoribus Wenceslaum Regem Bohemiæ primogenitum Caroli, aptum, habilem, & idoneum aggredi tanti laboris sarcinam & honorem.* Quid non fingit amor?. Wenceslaus mitit ad Gregorium Pontificem legatos Eccardum Wormatiensem Episcopum, Amedeum XLI. WENCESLAI LAUS COMMENTITIA.

Comitem Sabaudiæ, Raimundum de Baucio Principem Auracisensem, Eberhardum de Cocenelbogen Comites, & Conradum Gisenheim Decanum Spirensem cum mandatis, in *suæ Sanctitatis præsentia devotionem & filialem reverentiam debitam exhibendi, de rebus Imperij tractandi, petendi, item procurandi, seu impetrandi* ejusdem *favorem & gratiam*, demum *præstandi debita* Pontifici *& Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis, & cujuslibet alterius generis juramentum : ad petendam unctionem, consecrationem, & coronam Imperij de sanctissimis Pontificis manibus impendendam.*

AnM.CCC. LXXVII. Dux Stephanus senior moritur. Hoc anno, sexto Id. Maij Stephanus Senior Boicæ Dux Ludovici IV. filius vivere desijt, tribus superstitibus filijs Stephano, Friderico, & Joanne stirpis propagatore, qui anno demum millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, cùm æquo jure, eò usque, nullâ herciscundæ familiæ dividiâ, simul administrassent relictas à patre provincias, Principatum inter se partiti sunt, uti in tempore referemus.

Biennium Stephano Seniori supervixit ejus germanus Otho Brandeburgicus absque liberis. Conditus est Landishutæ in Sanctimonialium Æde Seligentalia. Nuptum duxerat Catharinam Caroli IV. Imp. Bohemiæ Regis filiam, præclarâ affinitate, si socer genero suam magnitudinem non invidisset, neque detraxisset Brandeburgicum Marchionatum. Othonis famam mirè proscindunt novitij Scriptores, præsertim Aventinus, qui genio indulgentem & inconcessis amoribus irretitum, in arce Wolsteiniâ ad Isaram, quinto infra Landishutam milliari degentem, & in eo secessu Brandeburgicæ nundinationis pretium decoquentem describit, quasi mola aquaria castello subdita, ab ipsius pellice molitoris uxore Gretulâ, Gretulariæ, ipse verò Finni, hoc est, ignavi nomen acceperit. Verùm cùm ista sine authore antiquiore, & absque tabulis ex incertâ colonorum famâ, pro Scriptorum arbitrio, jactentur, non eousque pronis auribus accipienda sunt, ut tanti Principis fama, nimis facili credulitate, vapulare debeat. Notam ignaviæ refellunt tempestiva auxilia unà cum Stephano fratre allata Pontifici. Non est credibile, nefariæ libidini fuisse addictum Principem, quem & animi magnitudo in ipsam usque Palæstinam, sive in communi expeditione adversus hostes nominis Christiani, quam Urbanus Pontifex Principibus Europæis indixit, sive ex votivâ religione, in loca Christi sanguine vestigiisque consecrata, traxêre. Juvat videre istius Hierosolymitani itineris documentum autographum, ab Andreâ Brunnero relatum, quod adhucdum familia Ligsalzia inter Boicæ patritias commendata, cum alijs rei antiquariæ monimentis conservat. In eo proditur, Othonem crucis, in qua Dei filius mortem pro generis humani salute oppetijt, segmentum à Ludovico parente acceptum auro inclusum, de collo gestare solitum, Insigne sanè non obscuræ probitatis, qualem in homine ad infamiam lascivo vix est reperire. Ille cum Stephano Duce Hierosolymam profectus, ansam nactus est exercendæ in Deum fiduciæ & religionis. Jam res in eo erat, ut bini Fratres Saracenis proditi, per Judæorum insidias in manus hostiles venirent. Propè aberant à discrimine, cùm Judæus quidam Pennitus nomine, olim Monacensis incola, conscius conspirationis, è Ligsalzijs unum, qui Duces officij causâ erat secutus, de re totâ admonuit. Agnovit Ligsalzius indicem ex nomine & Monacensi domicilio, eâque denuntiatione territus, Duces periculi fecit certiores. Cùm evadendi ratio in re tam subitâ, tantâque hostium multitudine circumseptis non occurreret, Otho erecto in Deum animo vovit, si ipse fraterque incolumes imminente malo defungerentur, se rem, quam haberet in omni gazâ æstimatione præstantissimam & in dignitate gratissimam, particulam videlicet triumphalis crucis, Divæ Virgini in æde Ramelstorfianâ, quæ in Monachij conspectu propè est, dedicaturum. Preces votúmque audijt Numen propitium. Intra Hierosolymorum mœnia, ubi conjuratis omnia ad nutum, nulla spes salutis supererat, quam proinde in mari, sublatis confestim anchoris, quærere oporteret. Res mira, cùm in trire-

Ducis Othonis vindiciæ. *Brun. in Tutelarib. p. 310.*

XLII.

Crux Ramelstorfensis.

triremem se suam recepissent, orta subitò secundæ auræ tempestas, tantâ velocitate Duces totámque classem, à littore abstulit, ut de ijs assequendis hostes desperarent. Ita Dux Otho voti damnatus, domum redux, eodem se in templo Ramelstorfiensi gratus lubénsque exsolvit, oblato gloriosæ Crucis lipsano, quod hodieque, eò loci, celebri religione & piorum frequentiâ colitur. Extat in publico Ingolstadiensi tabulariò aliud sinceræ ipsius in Deum pietatis argumentum, confirmatum videlicet ejus authoritate stipendium sacerdotis, cui cura sacelli S. Salvatoris Ingolstadio propinquioris incumbit. Orta loco veneratio sub hæc tempora, memorabili prodigio, quod ad nostra usque tempora constans majorum memoria & piorum religio propagavit. Cùm divinissimi Sacramenti Hierothecam unà cum cœlesti pane è sacrario sacrilegi fures abstulissent, ut facinus occultarent, augustissimam hostiam inter dumeta eò loci abiecêre, quo nunc ara templi præcipua extructa est, & unde etiamnum peregrini terræ particulas egerunt, sécúmque velut sacrum pignus non sine solatio asportant. Sacramentum inter frutices abditum, proditum memorant aviculæ suavissimè identidem cantillantis modulatione, quæ sæpius à transeuntibus observata, ad se pertraxit auditores, à quibus sacrosancta hostia deprehensa piéque culta, templo condendo causam dedit. Hæc pro asserendâ Ottonis famâ adversus nudam adversariorum asseverationem.

Cæterùm eo rebus humanis exempto, è Ludovici IV. Cæsaris filijs super erat Albertus, qui vitam ad annum millesimum quadringentesimum quartum produxit. Inijt Hollandiæ, Zelandiæ, Hannoniæ & Frisiæ principatum, quem, vivo ac delirante Guilielmo fratre, per annos novendecim administrârat, anno millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, eóque potitus annos viginti sex, vivendi finem fecit. Ex Margaritâ Ludovici Silesiæ Ducis Brigensis filiâ sustulit Wilhelmum Comitem Ostervandiæ, qui ipsi in Belgicas ditiones successit, fato functus anno millesimo quadringentesimo decimo septimo, relictâ filiâ Jacobeâ, ex Margaritâ Burgundicâ, quæ Jacobea primis nuptijs duxit Galliæ Delphinum: secundis, Joannem Ducem Brabantiæ: tertijs Hunfridum Ducem Clocestriæ; quartis Borsellium Comitem Ostervandiæ. XLIII. GENEALOGIA RELIQUA LUDOVICI IV. IMP. *Magnum Chron. Belgicum.*

Albertus, quem dixi, Bavarus, ex eadem Margaritâ Silesiâ geminos reliquit filios, Albertum; qui cælibem produxit vitam ad annum millesimum trecentesimum octogesimum septimum, ex aliorum sententiâ, ad nonagesimum nonum. Alter Alberti filius Joannes Episcopus Leodiensis. Hic à majoribus ordinibus, in spem familiæ propagandæ, abstinens, relicto demum Episcopatu, uxorem duxit Elisabetham filiam Ducis Lusatiæ (sic asserit Gervoldus) veriùs gesta Leodiensium Antistitum, quæ eum ex summi Pontificis dispensatione testantur Principem Luxenburgicam duxisse. Malè eum Gaguinus arguit, quòd nullo die rem divinam fecerit, ratus, decessurum aliquid de suâ dignitate, si presbyterio initiatus, se sacris altaribus addixisset. Causa non suscepti sacerdotij hæc fuit, quòd Alberto fratre sine liberis defuncto, meræ fœminæ superessent ex sanguine Bavarico, à quibus proinde Belgicæ ditiones ad alienam familiam essent transferendæ, speraret verò, se eas prole masculâ Boicæ asserturum. Porrò Joannes, anteaquam nuberet, annos viginti octo Leodiensem Episcopatum tenuit, gravi bello implicitus, quod gessit anno sequentis sæculi tertio. Pauci ex civibus Leodiensibus (decem duodecimue initio fuisse memorant) assumpto Haidrotorum (hoc est, juris osorum) nomine, ad formandam factionem, principia rebellionis dedêre adversus Joannem Episcopum. Consilium erat, eversâ jurisdictione Ecclesiasticâ, quam multiplici jam imminutione cœperant vellicare, Episcopum à sede dimovere. Obtentui sumpserunt, quòd is annos jam tredecim amplissimâ dignitate sacrísque opibus potitus, nomine tenus, non Ordine, esset Episcopus. Ergo illi magno aucti conjuratorum numero ausi sunt Episcopi Vicarium, ejúsque tribunal, & carceris claustra violare, captivos in libertatem asserere, principis Ecclesiæ, aliarúmque Canonicos pellere in exilium, *lib. 9. Hist. Franc.* BELLUM JOANNIS CONTRA LEODIENSES. XLIV.

in Episcopi proventus involare, pérque insolentem sacræ potestatis contemptum, ejus dignitatem palàm habere ludibrio. Cùm Joanni nihil in tantis turbis tutum esset Leodij, Curiam partim Trajectum, ubi Germanis jus diceretur, partim Huium, ubi Gallicæ causæ agerentur, putavit esse movendam. Crevit hinc Haidrotorum pervicacia tractáque in partes pleráque civitate, publico senatûs populique decreto, Dictator est creatus Henricus Parvisius, qui adversus Episcopum ejúsque partiarios urbana jura tueretur. Vulgi ad res novas mobilis irritabiles animos exacerbaverat falsus rumor per urbem diditus, statuisse Episcopum, ademptâ omni superiorum temporum libertate, cives sub jugum mittere, & obsistentes de propriarum ædium superciliјs suspendendos probrosæ neci destinasse. Quamobrem illi Collegia sacrorum hominum conati sunt adducere in conspirationis societatem, cúmque primoris ædis Canonici id facinus aversati, pollicerentur se pacis reconciliandæ fore interpretes, tumultu facto, cives arma corripere, se proditos per urbis compita conclamare, turbare civitatem insanis vociferationibus, tandem Canonicos in consuetæ consultationis sacrario conclusos, in crastinum destinare ad lanienam, templúmque velle vertere in propugnaculum. Postridie Canonici mœsti ad cultrum parabantur, cùm nonnulli de plebe cæteris mitiores, scelus dissuasêre, causati, nefas esse, inauditos interficere. Jussi ergo Canonici in Curiâ causam dicere, sic probavere Senatui suam innocentiam, ut invitis Haidrotis absolverentur. Plebe exinde nonnihil pacatâ, Episcopus redit Leodium, & Senatu populóque non abnuente, negotium dat sedecim viris, tum examinandi causas discordiæ, eásque dirimendi, tum animadvertendi in authores. Id quò securiùs facerent quæsitores, Tungros se recepêre, & utrique partium acceptas pacis, quam Tungrensem hodiéque nuncupant, Leges dictavere. Novendecim factiosorum capita, decretum supplicium fugâ evasere. Non multò pòst exarsit seditio longè quàm antè concitatior, creato rursus Dictatore Joanne Rupefortio, & ditione universâ, excepto Trajecto, & Fano Sancti Trudonis, adversus Episcopum rebellante. Cùm Rupefortius saniora suaderet in cassum, abdicatâ Dictaturâ, sese turbis subduxit. Parvisius, quem Joannes Episcopus totius Provinciæ & Loſſensis Comitatûs Præfecturâ auxerat, beneficij immemor, & spe filij Hasbaniæ Archidiaconi, ad Leodiensem Cathedram, exauctorato Bavaro, evehendi, fasces resumpsit, simul Theodoricum filium, vix vicennium agentem, in Joannis locum intrusit. Trajectum Joannes Bavarus denuo secesserat. Princeps Canonicorum Collegium jussum intruso incubatori sacramento dicere, negavit se id facturum: Unico duntaxat annuente, in cæteros dicta proscriptionis sententia. Haidroti eam nacti occasionem, cœpêre grassari in sacerdotia, proscriptis substituere pro arbitrio beneficiorum nundinatores, in exilium agere, quotquot erant à perduellione alieni, exulum ædes diruere, vastare, bona publicare, sacram Ecclesiarum supellectilem diripere, ne à vasis quidem, quorum in sacrificijs usus est, sacrilegas manus abstinere, sævire in viros antiquæ in Episcopum fidei retinentes, in binos Heriones patrem ac filium præstanti nobilitate proceres, in Nicolaum Consulem & Joannem Coërverunæum & Joannem San-Martinium capitis supplicio animadvertere.

Leodiensiũ tumultus.

De Rochefort

Nova rebellio.

XLV. Interea Joannes Episcopus undique comparârat exercitum, quo perduelles ad obsequium reduceret. Roganti validas adduxere copias Joannes Dux Burgundiæ & Guillielmus Comes Hollandiæ. Hunc Germanus sanguis, illum affinitas ex nuptijs Margaritæ Joannis sororis ad arma socianda traxerunt. Habuere sub signis ad triginta quinque armatorum millia, in quibus plurimi viri nobilitate clari, quos amor patriæ, causæ bonitas, & perduellium impietas ad pium bellum evocârunt.

Joannes bellum reparat.

Gaguin. lib. 9. Mag. Chron. Belg.

Antequam Ioannes Episcopus eas sibi vires adjungeret, Leodienses arctâ obsidione cinxere Trajectum. Jam in eo summis conatibus oppugnando, dies tredecim supra centum consumpserant, cùm adventantis Episcopi famâ perciti, refixis signis,

Traiectum obsidetur.

nis, irriti domum rediere. Joannes præmiserat in Leodiensem agrum aliquot levioris armaturæ turmas, quæ vicis inferrent vastitatem, eóque damno Leodienses ad propulsanda patriæ damna à Trajecti obsidione revocarent. Ventum tandem ad manus. Stabat utrinque instructa acies, cùm Episcopus, certus parcere civili sanguini, si cives ad sanam mentem redirent, Leodiensibus per fecialem denuntiat, se eos, si Parvisio Haidrotisque desertis, ab incepto desistant, in gratiam cum omni patria recepturum. Verùm surdis ista canebantur. Habebant in armis viginti quinque peditum millia, equites septingentos, delectam turbam Provincialium. Tumulum occuparunt ad Otheiam villam, locum apprimè commodum. Ergo signo ad pugnam dato, concurrêre acies. Post atrocem pugnam, haud paucis utrinque cadentibus, victoria ad Joannem Bavarum cœpit inclinare. Jusserat Joannem Iuemontium & Robertum Rossium viros manu promptos, validúmque aliorum globum in Leodiensium terga ducere; à fronte fortissimè pugnabant auxiliares Principes, latera rebellium premebant sagittarij. Denique confusis ordinibus, cooita non pugna, sed strages, cùm fracti turbatique omni ex parte Haidroti cæderentur. In acie cecidêre Parvisij, parens & filius; cum ipsis ex promiscuâ pugnatorum multitudine occubuêre viginti tria circiter millia. Pugnatum 9. cal. Octob. Biduum intercessit, cùm Joannes Episcopus Leodium victor ingressus, universos totius regionis Ordines præteritorum veniâ donatos, novo sibi sacramento devinxit. Pseudo Pontificis Legatus, qui in Urbe erat, unà cum alijs viginti sex Pseudo-Episcopi partiarijs, in quibus Proëpiscopus & Vicarius Generalis, de ponte in Mosam præcipitati, capite suam temeritatem luerunt. Leodiensium Tribus redactæ in ordinem ademptis vexillis, de privilegijs, publicisque civitatum tabulis pro Episcopi arbitrio constitutum, multa viginti aureûm millium, regioni impetata: E perduellibus centum viginti capite plexi & in Mosam projecti. Demum Joannes, Guillielmo Bavaro Alberti filio Comite Hollandiæ, Hannoniæ, Zelandiæ & Frisiæ defuncto; cùm octo annos Leodiensibus præfuisset, abdicato Episcopatu, initóque matrimonio, fratri successit, & à nefario Aulæ suæ ministro, odio (ita fertur) atque instinctu Margaritæ Jacobeæ matris, veneno interemptus, vitam denique finijt anno millesimo quadringentesimo sexto, duodecimâ Aprilis, in urbe Bruxellensi, vel, si maior fides est Flandricis annalibus, obiit Hagæ Comitis Non. Januarij, atque isthic est apud PP. Dominicanos tumulatus. Grave bellum gessit cum Jacobeâ nepte ex germano fratre, Galliæ Delphini viduâ, quæ se Hollandiâ alijsque ditionibus per vim spoliatam à Joanne, querebatur. Cùm enim hic Dordracum & Gorichum invasisset, Jacobea ope Burgundiæ Ducis valido armata exercitu, ad Gorichum, ausa rei summam prælio committere, Joannem Arckelium Legatum Joannis devicit. Pòst nupsit Joanni Duci Brabantiæ. Eadem Dordracum irritâ obsidione vexavit; tandem Roterodamo per Joannis partiarios occupato, annitentibus viris Principibus, in pacem non diu duraturam convénit. Cùm enim malè feriatorum persuasione, bellum mutuis cladibus & fœdâ Provinciarum devastatione protraxissent, Philippus Dux Burgundionum pacis interpres, quicquid fuit inter Joannem Bavarum & Joannem Brabantum Jacobeæ maritum dissidij, composuit, attributo utrique ex æquo Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ & Frisiæ quinquennali imperio. Hæc de Ludovici IV. Liberis dicta extra temporis ordinem, quò ordinatiùs cætera, quæ de ejusdem nepotibus supersunt, prosequamur.

LEODIENSES PRÆLIO SUPERANTUR.

Annal. Fland.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS II.

LIBER VI.

Dux Fridericus pacis conciliator. Bellum Suevicum. Wenceslai Imp. mores. Mors Caroli IV. Imperij turbæ, Civitatibus adversus Principes fœderatis. Monacenses puniti. Pax in Germania. Boiaria inter fratres divisa: natæ hinc discordiæ. Friderici & Ioannis obitus.

I. FILIORUM STEPHANI SENIORIS MORES.

TErgemini fratres, Stephani Senioris filij, Stephanus, Fridericus & Joannes, Boicam regebant indiviso imperio, summâque voluntatum, quæ charitatis mutuæ & quietis publicæ conciliatrix est, consensione. Tenuit id genus imperandi annos quindecim. Singulis erant à naturâ suæ dotes. Stephanum animi magnitudo fecerat ad militares artes proclivem; unde illi armorum usus, periculorum contemptus, duratus ad belli labores genius, disciplinæ bellicæ peritia, ingens quærendæ gloriæ cupiditas. Joannes mitiore Princeps ingenio, venatu aucupioque, nisi cum publica ad sagum vocarent, inprimis capiebatur. Fridericus togæ magis quàm Marti addictus, sese potissimùm dederat civili prudentiæ & desiderio cum laude imperandi. Nec abhorrebat à tuendæ augendæque rei familiaris industriâ: unde prudentis nomen obtinuit. Eum ferunt authorem fuisse Landishutanis vitium serendarum. Atque has quidem dotes tametsi fratres sic erant partiti, ut earum aliqua in singulis emineret, eorum tamen nulli deerant omnes, quæ in cordato Principe commendantur: quo temperamento fiebat, ut Boica providè, fortiter, clementerque habita, tam esset obsequiosa Principibus, quàm Principes æqui bonique observantes.

Brunner. AN M.CCC. LXXVII. Vix gubernationem inierant, cùm visa est tanta Friderici sapientia, quæ pacis studio gravissimas contentiones sedaret. Prima lis Carolo Cæsari & Wenceslao recens coronato cum Ulmâ intercessit. Mox ab electione & inauguratione

tione Wenceslai, cum parens sistebat Imperij civitatibus: cives, more majorum, jurati; clientelam & debitam Regi Romanorum fidem ac reverentiam spondebant. Non erant ex æquo omnibus urbibus accepti parens juxta ac filius. Gliscebant in utrumque odia, quòd ambo Germaniæ libertati crederentur imminere. Et terrebant exempla Caroli, novis indies accessionibus, ex alieno, Bohemiæ potentiam, opésque exaggerantis. Hinc factionum semina, quæ non multò pòst in lucem productæ, gravibus bellis involvêre Germaniam. II.

Nauclerus. **Bellum Ulmense,** *Henr. Mutius lib. 25.*

Ulmenses suam à Cæsaribus alienationem Germano candore fuere professi, negantes se eos in urbem admissuros. Iram dissimulare non potuit Carolus nec differre vindictam, ratus, spretam ab Ulmensibus majestatem, quam negligi non oporteret. Ergo castra Ulmæ admovit, expressurus vel ab invitis honorem, quem sponte credebat debuisse offerri. Res spectabat ad cruentam aleam, Ulmensibus in propositæ defensionis sententiâ obstinatis, Cæsaribus verò suam injuriam ulcisci parantibus; cùm Consultores, pacis studio, authores fuere Carolo, ne prima filij auspicia civium sanguine temeraret: sineret potiùs se flecti ad clementiam, quâ promptum esset populorum voluntates imperaturo aliquando Wenceslao demereri. Nondum septimum decimum ætatis annum Wenceslaus excesserat, facileque jam tum apparebat, ex pravis adolescentis moribus, nihil aut parùm reverentiæ, à populis præsertim irritatis, nedum alienatis, unquam impetraturum. Carolus timido alioquin ingenio, quo certa dubijs, pacata turbis præferret, de pacis arbitro jussit in commune conferri. Nemo Friderico Bavariæ Duce visus aptior; quippe qui neque Cæsari esset infensus, neque suspectus Ulmensibus, sat gnaris, nihil esse, quamobrem Bavaricus sanguis tot læsus à Carolo damnis & injurijs, in ejus potiùs studium, quàm in amicæ civitatis commoda iúsque inclinaret. Non fefellit Caroli aliorúmque de se judicia Fridericus. Controversiâ citro ultróque agitatâ, tam æquas & utrique partium non ingratas conditiones dictavit, ut Imperatori & Cæsari filio obsequium civitatis, Civitati optatam quietem reddiderit. Id officij Carolo tam fuit acceptum, ut illud duodecim civitatum præfecturâ paulò ante mortem remunerârit. III.

A Friderico Boio sopitur.

Lis altera Everhardum Wirtenbergiæ Regulum & fœderatam eidem nobilitatem, ab Imperij civitatibus capitali odio distraxerat. Certabatur mutuis cladibus & atrocibus indies injurijs. Nemo unus civitatibus erat Eberhardo infestior, nemo civibus odiosior. Discordiam fovebat Carolus Imp. vetere in civitates odio. Et his quoque Fridericus, cui tam prosperè Ulmensis conciliatio verterat, sequester postulatus, dedit fidelem æquabilémque operam, eo fructu, ut otium utrisque persuaserit, inductâ irarum noxarúmque oblivione. Non fuit quidem illis quies diuturna, Wirtenbergico rursus correptis armis ad turbas reverso, sua tamen laus Friderico constitit & gloria bene sapientérque locatæ industriæ, quâ ostenderat, pacem ab eo sperari & fieri posse, qui prior ipse secum & cum fratribus raro exemplo pacem sanctè coluisset.

Fridericus Wirtenbergicum civitatibus Sueviæ conciliat. IV.

Cæteroquin id temporis sic habebat Imperium, ut corpus malè compositis humoribus, in quo faciliùs morbi invalescunt, quàm curantur. Carolus Imperator, penes quem erat Reipublicæ emendandæ potestas, tam nihil curabat, ut & ipse esset in malè curatis partibus, quarum discordiam nutriebat, Principibus ac proceribus indulgendo, negligendo jura Civitatum, quæ, ut sunt moris sui retinentes, irascuntur, si nova aut insolita exigantur nullo commodo rei communis, sed privatorum exitio, vel augendâ paucorum magnitudine. Et jam eò usque mala inoleverant, ut vix possent emendari, nisi adhiberentur malis morbis peiora remedia. Quæ nuper fuerant usurpata in componendo Comite Wirtenbergico cum turbatis urbibus, mala non extinxerunt, sed texerunt, cùm ille non nisi sub modico cinere iras posuisset, quæ ad nova belli incendia hoc rursus anno immensum quantum exarserunt. Nec verò civibus libertati assue-

Bellum Suevicum.

assuetis potuit concordia, nata ex metu, esse diuturna. Quare ventum ad bellum longè gravius. Utrâque ex parte sævitum in agros, villas, castella, colonos, mutuis cædibus, incendijs, omnibus injurijs. Junio jam adulto, Reutlingenses noctu cum auxiliari sociorum manu ad prædam egressi, ex insidijs, Urachorum & Tetingensium armentum primo sole eductum ad pascua, Tetingâ accensâ, abegerunt. Ulricus junior Comes Wirtenbergius, excussurus prædam, cum valido equitatu occurrit ad Reutlingam. Animadvertêre cives suorum periculum: quamobrem factâ eruptione, Comitem aggressi, eò necessitatis adegêre, ut à tergo simul & à fronte manus conserere cogeretur. Commissum eâ die cruentum prælium. Comes undique circumventus, tandémque turbatis ordinibus, fugam frustra molitus, venit in hostium manus. Occubuere plerique, quos sub signis duxerat, nobilissimi, Joannes Comes Schwarzenburgius, Fridericus Comes Zolleranus, Ulricus Comes Tubingensis, ex equestri ordine optimi sanguinis unus supra quadraginta, alij minorum gentium viri illustres pari ferè numero, cum vexillariorum ingente turbâ. Nauclerus numerat Nobiles septuaginta duos. Post eam cladem Eberhardus, reparato exercitu, multò quàm antè sæuijt atrociùs, nihilo mitiora passus à Fœderatis.

ULRICUS WIRTENBERGICUS PUGNA SUPERATUR ET CAPITUR.

MORS CAROLI IV. AN. M.CCC. LXXVIII.

Modum excessere intestinæ Germaniæ dissensiones, Carolo Imperatore rebus humanis exempto, relictóque ignavo nullius prorsus frugis successore. Ille anno millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, Martij vigesimâ septimâ vivere desijt Pragæ, anno ætatis sexagesimo tertio, Imperij trigesimo secundo. Is paulò ante mortem Wenceslaum filium ad se accersitum severè quidem, sed serò monuit, quòd diu antè factum opportuisset, ne, quod non immeritò futurum verebatur, tot partum curis ac sumptibus Imperium per insolitum flagitiorum usum & socordiam fœdaret. Bonum quidem sed intempestivum malo ineluctabili remedium.

CAROLI IV. FACTA. *Besold. in synopsi.*

Crantz. Saxon hist. l. 10. c. 3.

Lib. ult. c. 4.

Lehm l. 7. c. 50. Goldast. Freberus in Orig. Palat.

Cæterùm Carolus ipse, tametsi sagax & rerum bene intelligens, parùm profuerat rebus Imperij, certè non fuerat meritus nomen Augusti, cùm de ejus magnitudine haud pauca detrivisset. Eum Crantzius nominat Imperij vitricum, Theodoricus Niemius Imperij dissipatorem. Maximilianus I. Imperator longè sapientissimus de eo fertur dixisse, illo pestilentiorem pestem nunquam aliàs Germaniæ contigisse. Carolo V. Franciæ Regi transcripsit Regnum Arelatense, quod Philippus Valesius, imperante Ludovico Bavaro, ne à Gallo quidem Pontifice, ullis minis aut precibus potuerat impetrare. Eam ob rem à bono scriptore notatur, quasi evisceraverit Imperium; à Cuspiniano, deplumâsse aquilam, exposuisse ludibrio, Rheni vectigalia, Imperij patrimonium dissipasse, omnia usque & usque concessisse, ubi ipsi fuit pecuniæ abradendæ facultas; à Lehmanno, sic depressisse Imperium, ut vix reliquerit, quo foret ei deinceps robur ad caput extollendum. Acceptis triginta tribus aureorum millibus, Moguntinis, Vangionibus, Nemetibus, Oppenheimium, Odernheimium, arcem & oppidum Suevibergam: Nersteinium, Ingelheimium, Winterheimium pignori opposuit anno M. CCC. LVI. tabulis Moguntiæ duntaxat nomen præferentibus. Anno insequenti nonnullis civibus Boppardiensibus & Conrado Sternbergio, quædam Rheni portoria, alia item Francofurtensibus, Wetzlariensibus, Freidbergensibus & Gelhusianis vendidit. Petro Wartenbergio Bohemo, ob navatam aliquando fidelem operam, Stelzam cum omnibus emolumentis concessit anno M. CCC. LXXI. Idem, cùm filio suo Wenceslao Imperium fuisset nundinatus, addicto singulis Electorum centum mille aureûm donativo, nec ex fisco tantum posset auri conficere, anno M. CCC. LXXVI. ad liberandam fidem, tot ex Aquilæ plumis evulsit, quot visæ sunt satis esse Augustalium suffragiorum propolis, ad nomen istud diluendum. In eam rem Comiti Rheni Palatino bonam partem Rhenensium vectigalium, unà cum Ingelheimo & Ogernheimo, sublatâ omni copiâ redimendi, donavit. Hœchstam cum adjuncto telonio in vicem Pragensis Ecclesiæ, ad Archiepiscopalem dignitatem evectæ, útque

Freher. in addit. Trithem. Vita Friderici Victor. fol. 19. Munster 3. c. 128. Besold. in Synopsi.

utque ei Olomucensis Ecclesia, quæ antea Moguntinæ suberat, adjungeretur, transscripsit. Sedecim Sueviæ civitates vicinis Principibus vendidit. Si vera scribit Aventinus, libertatem Germanam, majestatem Imperij Romani, populi gentium victoris fortunam hostibus Reipublicæ prodidit, Imperium pessumdedit. Ab historicis passim accusatur, præ Germaniâ dilexisse Franciam, Imperij nervos accidisse, suam Bohemiam longè majore studio, quàm Imperium amplificasse: illi adiecisse Silesiam: Principes, penes quos erat antiquum ejusce Provinciæ dominium, quà bello, quà pretio, quà alijs artibus & sponsionibus subegisse. Præterea Marchiam Brandeburgicam & Septemuiratum Domui Boicæ detractum, alia è Woidlandia locisque finitimis ablata. Nihil dico de Lusatiâ alijsque ditionibus. Ejus ambitionem & habendi libidinem nonnihil induxere aliqua templorum ædificia, sumptus in res sacras, Pragensis Academiæ institutio, nativa facundia, peritia linguarum, res aliquæ cum laude gestæ in Germaniâ & Italiâ. *Serar. Mogunt. rer. lib. 5. in Balduin.*

Præ Carolo Imperij gubernacula neglexit veriùs quàm rexit Wenceslaus: utpote cui nulla prorsus civium regendorum usus vel industria, conatus nullus, nulla cura publici, vix ullus sensus præsentium, futuri æquè atque præteriti alta oblivio. Erat ad immanitatem usque sævus ac truculentus, & quod mirere, extra modum meticulosus, ingenio hebeti ac stolido, animo tam immerso fœdis corporis voluptatibus, ut non modò honestatis formam, sed etiam virtutis nomen horreret. Ferè delitescebat inter Herciniæ latebras vix ausus inde prodire in Germaniam. Familiaris illi stipator ferox molossus, doctus lacerare dentibus, quemcunque herus digito destinasset. Ejus lateri ferè continuò adhærebat carnifex, quem lustricum compatrem nominabat, quòd ejus filium undis expiatorijs admovisset. Hujus munus erat ex tempore exequi sæva domini imperia. Verbo, cum immensitate potentiæ, creverat vitiorum exaggerata turpitudo. Ea tantò damnabatur acriùs, quò segniùs timidiùsque ab observatoribus notabatur. Sublato enim è vivis Joanne Pragensi Archiepiscopo, cui uni olim aures accommodaverat, neminem deinceps ferebat monitorem. A Germaniæ Principibus amplissimâ Legatione invitatus, Germaniam ut subinde ad ordinanda Imperij negotia reviseret, extemporaneâ stoliditate ac contemptu, nemine è suis consulto, respondit; nihil sibi ampliùs in Germaniâ reliquum esse, quod ageret: enimvero omnia, quæ ad rem suam sint, isthic eo die confecisse, cùm Regis Romanorum habitum induisset. Siqui Principes aut cives ejus indigerent operâ, venirent ipsi ad Regem, nec eundi molestiam Regi imponerent. *WENCESLAI MORES.* *Dubravius, Aventin. Orat. Electoris Moguntini.*

V.

Eo factum, ut universi Imperij ordines aversarentur hominis ignavam vecordiam, Boijs Ducibus irascentibus usque eò pudendæ affinitati. Primis enim nuptijs Wenceslaus duxerat Joannam (Annam aliqui malè vocant) Alberti Boij Hannoniæ & Hollandiæ Comitis filiam; secundis, Sophiam filiam Joannis Ducis Monacensis: sed flagitiosi mariti mores ad stuporem improbi, omnia vertebant in odium. *Geneal. M.S. Eliæ Reusn. Geneal. in Wencesl.*

Is enim ebrietate, quæ vitiorum quàm plurimorum mater est, marcescebat dies noctésque: alienos thoros fœdabat adulterijs, præsertim Sophiæ cujusdam molitricis: genialem thalamum violabat ambubajarum consuetudine, eratque assiduus in prostibulis ad publicam usque infamiam. Joanna uxor ab intolerabili eum turpitudine revocare amicâ dehortatione conata, præter iras nihil obtinuit trucésque minas, fore ut eam in publicum lupanar relegaret, nisi in posterum ab hujusmodi monitis abstineret. Ausus etiam est de ejus moribus habere sacrilegam quæstionem; Joanne sacerdote, qui Reginæ erat à sacris confessionibus, jusso prodere inviolabilia sacrosancti tribunalis arcana, & palàm facere, quid erratorum Joanna ejus judicio auribúsque secretò commisisset. Sacerdos Regis impietatem detestatus, negavit tam sibi nefas esse quicquam per sacram exomologesim cognitum edere, quàm Regi inquirere; se proin- *Æneas Sylv. historia. Bohem. c. 28.*

de leges ſacerdotis ſervaturum: hortari verò Regem, ne vanis ſuſpicionibus & iniquâ quæſtione innocentiam uxoris & ipſum adeò Numen pergeret offendere. Eâ reſponſi libertate Wenceslaus actus in rabiem, mox illum juſſit de ponte Pragenſi præcipitatum profluentis aquâ necari. Sacerdotis virtutem, ſimúlque Sacramenti ſanctitatem Deus prodigio aſſeruit. Nam undæ Moldavi locum ceſſêre exanimato corpori, triduóque detectum præbuere publico ſpectaculo; *Dubrav. l. 23. hiſt. Bohem.* donec honeſtâ elatum pompâ in S. Viti æde fuit tumulatum. Atque is quidem Joannes eſt famâ celeberrimus, cujus ſepulchrum hodiéque cum ſingulari veneratione, Pragæ, à pijs viſitur, ab impijs autem non temeratur, niſi cum aliquâ Numinis vindictâ, quæ ut minimum ludibrio exponit temerantis improbitatem. Dehinc Joanna Regina tot feſſa ærumnis, anno ſexto, poſteaquam apud Aquenſes Auguſta fuerat renuntiata, è vivis excedens, vel confecta mœrore, vel ut notat Chronicum Belgicum, à ſtipatore Wenceslai moloſſo diſcerpta, infelicem thorum reliquit Sophiæ Boicæ præſtanti virtute Principi & dignæ fortunâ longè meliori. Wenceslaum non reddidit probiorem, neque optimarum conjugum probitas, neque atrociſſima peſtilitas, quæ quadrimeſtri lue, Pragæ, in unicâ D. Stephani parœciâ, tria ſupra quinquaginta funerum millia, paulò ante Joannæ obitum, intulit in urnam Libitinæ. Atque hæc quidem de duorum Cæſarum moribus libens celaſſem, niſi extarent in apertâ luce & publicis hiſtoriarum monimentis, quæ vicem theatri ſunt, in quo eam perſonam perpetuò quivis ſuſtinet, quam egit ad tempus. Res enim iſtiuſmodi memoriæ mandantur poſterorum, eo fine, ut diſcant facere bonas hiſtorias, qui malas de ſe nolunt conſcribi, utque ij, qui Veſpaſiani, Titi, Traiani, Theodoſiorum, famam aucupantur, fugiant notas ac dedecora Sardanapali, Neronis, Caligulæ, Heliogabali, Commodi, aliorúmque, quos vita probroſa devovit æterno ludibrio.

VI. Cæterùm, ſublato è vivis Imperatore Carolo, Imperium jam alioqui nimis inquietum, majoribus adhuc turbis cœpit agitari. Cùm enim in Wenceslao nihil eſſet induſtriæ, nil boni animi aut præſidij; Reſpublica ceu navis abſque nauclero patuit fœdiſſimæ tempeſtati. Tolerabilius fuiſſet nullum habere gubernatorem quàm inutilem, quòd hic melioris locum occuparet, eſſétque gravis Imperio, qui ſtatus haud ſcio Anarchiâ an non fuerit deterior. Ergo Im- *Calamitoſus status Imperii.* perium ſcindi in civiles factiones, armari partes in mutuam perniciem, cudi nova fœdera, omnia pro factioſorum arbitrio miſceri. Ut enim tota regnandi vis in Principis æſtimatione & ſubditorum commodis ſita eſt, ſic ubi ille venit in contemptum ſubjectorum, & hi à Principe deſeruntur; ſolvitur nexus affectuum, rumpuntur legum vincula, & dum ſibi ſinguli malè conſulunt, omnium ſalus peſſimè procuratur.

Annales Wenceslai Imperio nihil niſi triſte adſcribunt. Eo enim otiante invalidiores patebant potentiorum injurijs, nulla juris, nulla privilegiorum ra- *Lehman. l. 7. c. 59.* tio habebatur, cùm nemo niſi pro libidine loco Cæſaris leges exerceret. Rapinarum, incendiorum, cædium tanta erat licentia, ut nuſquam tutò conſiſtere, nulla itinera totâ Germaniâ citra periculum agi poſſent. Erat quidem Boicæ nonnihil proſpectum lege Stephani, quartum abhinc annum latâ, & initâ Ordinum adverſus graſſatores ſocietate, ſed ea proviſio par non erat, ut in ſingula momenta vim maiorem ab externis illatam omnino prohiberet, unde incendia & patriæ clades, quæ Boicam cis Lycum & Iſaram magnam partem (uti *Cometa, aliaque portenta.* jam memoravimus) deformârunt. Cœlum ipſum viſum mortalibus iratum, imminentia mala portendere, cùm per id tempus inſuetis nubium ſpectris & infauſto ſidere exarſit. Apparuit crinitus Cometes plenus terroris, qui in ſe ſpectantium animos convertit, non avertit tamen à priſtinâ peccandi libidine:
VII. noctes plerumque velut accenſo aëre collucentes, iræ divinæ flammas & inde ſecutas calamitates buſtáque regionum præſagiebant, obſtinatis ad mutuas clades hominibus, quas odia dudum concepta ſic propagabant, ut non tam de arcendis injurijs, quàm accerſendis, civili furore implacabiliter agi videretur.

Mala

Mala hæc vehementer auxit fœda sub Urbano VI. Pont. Max. per Clementem VII. Pseudopapam excitata multorum populorum defectio. Boica nihil mota grandi ista trigintâ annorum secessione, legitimo Pontifici constanter adhæsit. Ejusce constantiæ præmium tulit Joannes Stephani Ducis Ingolstadiensis filius, qui Theodorico Abensbergio Ratisbonensi Episcopo demortuo, Urbani beneficio & singulari favore, sexto abhinc anno fuit suffectus. Cùm enim Ratisbonenses Canonici æquo longiùs electionem differrent, mutuis inter se odijs & dominandi libidine collisi; Romanus Pontifex, ut vacuam sedem impleret, sibique arctiùs Boios Principes obstringeret, pro potestate, Joannem Theodorico surrogavit. Conatum quidem fuerat Canonicorum Collegium, suam tarditatem, dissimulatis tantisper simultatibus, corrigere, Paulo Passaviensi Canonico in defuncti locum postulato, verùm cùm id fecissent seriùs, Vrbanus nihil mutatâ sententiâ Joanni mitram asseruit, Paulo rejecto, qui repulsæ dolore, Pataviæ, mœrens contabuit. Joannes ad annum millesimum quadringentesimum nonum Episcopatui præfuit, non sine aliquâ sacrarum opum profusione in Aulæ sumptus & splendorem. Arces aliquot numerant fasti Ratisbonenses ab ipso quà venditas, quà pignoris nexu devinctas.

Hund. in Metrop.

JOANNES STEPHANI F. EPISCOPUS RATISBON.

VIII.

FACTIO CIVITATUM.

Cæterùm, ex geminato Ecclesiæ dominatu sæculares Principes & Respublicæ nihilo facti sunt quietiores. Ut extera taceam, magnis motibus collisa fuit Bavaria. Hoc enim tempore creverant simultates & factiones, quas annis superioribus jam cœptas memoravi. Præcipua illarum origo tribuitur Carolo IV. Imperatori, quòd is Eberhardum Wirtenbergicum Comitem, cum vicariâ potestate, Suevicis urbibus præfecisset, essétque passus magno eas collectitij vectigalis ære præter solitum onerari. Hinc natum civitatum sociale fœdus, ad communem injuriæ defensionem. Adversam Eberhardi potentiam auxit Dynastarum & Nobilitatis accessio. Plerique enim Procerum Civitatibus obærati, cùm suas possessiones civibus acceptâ pecuniâ vel venditas vel oppignoratas obligassent, nec pares essent nominibus diluendis, læti sibi exortam esse occasionem avitas opes, quas ære & jure non poterant, armis recuperandi, sua Eberhardo studia operámque venditarunt.

Naucler. Chron. Eluacen. an. 1374.

Id quidem memorant Scriptores popularitatis studiosi: sed aliud erat, quod urebat Principes. Paulatim urbes opibus & libertatis accessione tumidæ, Helvetiorum exemplo, evadebant insolentes, non sine Principum contemptu & imminutione priscæ in Imperio inter Ordines moderationis. Id præter cætera spreti Proceres Nobilitásque judicabant non esse tolerandum. Civitates futuri metuentes coibant in factiones, in commune parabant belli subsidia, suam qualemcunque libertatem & jura defensuræ. Hinc Eslinga ab Eberhardo multis affecta incommodis, ipse vicissim anno superiore profligatus ad Reutlingam, Toparcharum & equestris ordinis bona vastata, arces subactæ. In his Ulm-Arnecka, Brandenburgum, Brenenberga, Kirchberga, Minsinga, Bellenberga, Hochdorfium: circum Stutgardiam agri longè latéque deformati populatione, cædibus, latrocinijs, incendijs. Norimberga cum suo Burggravio bellum gessit: Augusta, Hala Suevica, aliæ urbes fuere Bavaris alijsque suis hostibus infestæ. Tandem utraque factio Leopoldo Austriæ Duci, qui id temporis degebat in Helvetiâ, litis componendæ negotium detulère, nullo alio operæ pretio, quàm ut rebus ultro citróque Spiræ agitatis, cùm utrinque omnia forent suspecta, & crederent singuli de sui oppressione laborari, semestris ab hostilitate quies iniretur. Jam enim inter Principes & Civitates sic inveteraverat odium, ut neutri crederent, alteris salvis ac liberis, se suam libertatem & potentiam posse retinere.

Crus. de reb. Suevic. lib. 5 part. 3. c. 12.

Ergo exactis inducijs, ventum rursus ad arma. Potissima tempestas Bavariæ incubuit: unde incendia paulò antè numerata. In Principum partibus fuere Fridericus, Stephanus & Joannes Boij Duces: Rupertus Senior & Junior, Comites Palatini, Albertus Austrius: Moguntinus Archiepiscopus: Wormatiensis,

tienſis, Bambergenſis, Argentinenſis, Auguſtanus, Ratisbonenſis Epiſcopi, Marchio Badenſis, Comes Wirtenbergenſis, Fridericus Norimbergæ Burggravius, alijque complures. Ad triginta tres Sueviæ Civitates acceſſêre Rhenanæ, Mo-
Lehman. lib. 7 c. 66. 67. 68. guntia, Argentina, Wormatia, Spira, Francofurtum, Hagenoa, Weiſſenburgum, poſtremò Ratisbona; & quod mireris, è ſacris Principibus unus unicus Pilegrinus Puechaimius Salisburgenſis Antiſtes popularitatis ſtudio, & Boici nominis implacabili odio. Quâ diſſenſione patriam inteſtino bello, ſéque tandem ipſum captivitate involvit. Fœdera utrinque in tabulas relata, & belli onera conditionéſque ſigillatim conſtituta. Principum factio dicta Leonina, ſive ad terrorem, ſive ad ſignificandam potentiam ſui dominatûs. Certè ferociter eſt graſſata, & multa viciſſim perpeſſa ab igne, quo nihil terribilius eſt Leoni.

M. CCC. LXXIX.

PRODIGIOSA TEMPESTAS IN EPISCOPUM SCHISMATICUM.

IX.

Chronic. Pont. Leod. apud Bzov.

Dum ferro atque facibus certatur in Germaniâ, Urbanus in Italiâ, Clemens Avinione, operam dabant ſuæ quiſque firmandæ authoritati. Referuntur aliqua prodigia, quibus Numen viſum eſt Urbani juſtam poteſtatem aſſeruiſſe. Illud inprimis memorandum. In Brutijs Aquilanus Antiſtes ſchiſmaticarum partium, ut Roberto Gebennenſi Antipapæ honorem exhiberet, ſuâ in urbe ſolennem ſupplicationem inſtituit. Quò foret ſplendidior, proferri voluit vexillum imagine Roberti inſigne: ad Urbani ignominiam ejus ſignum per aſinum fune craſſo ſecundum collum alligatum, deferendum impoſuit. Pompa ad D. Maximi ædem jam erat proceſſura, cùm aër antè ſerenus, atrâ nube ſubitò horrere, mox jaculari fulmina, mugire tonitrua, immittere ventorum atque imbrium tempeſtatem, concutere totam civitatem, plurimas domos evertere, ſævire in homines juxta atque animantes, funera ignibus & aquarum illuvie ſternere, Roberti vexillum diſcerpere, diſcerptum abripere, incertum quò; Urbani effigiei nihil prorſus læſæ aut madefactæ, parcere. Crediti fuerunt, Dei nutu, cacodæmones hujus tragœdiæ actores fuiſſe: tanta ejus vis fuit & intemperies. Certè ea res ſic perculit Othonem Brunſvicenſem, Joannæ Reginæ maritum, ut Urbanum, à quo erat antea alienus, pro indubitato Pontifice coleret, tametſi Regina ſuo Roberto adhæreret pertinaciter.

M. CCC. LXXXIV.

Aventin. l. 7. Dubrav. Bohem. hiſt. l. 27. Andr. Presb. Lehman. lib. 7 c. 59.

BELLUM IN WENCESLAUM. EIUS CAUSÆ.

Sub hoc temporis Stephanus, Fridericus & Joannes Boicæ Duces, Ruperto, quem Clemonem aut Clementem vulgus appellabat, ſociati, Wenceslao Cæſari bellum intulerunt. Inferendi cauſa non una. Imperij Ordines, anno ſuperiore, ſplendidâ, quam ſuprà recenſui, Legatione ejus deſidiam excitare, & ad reviſendum Imperium, quod bellis civilibus oppreſſum, præſentis curas expoſcebat, evocare conati, cum contemptu repulſam tulerant. Quæ res in majus auxit publicam ab ejus ſtoliditate Principum Ordinúmque averſionem, animóſque fecit ijs, quos Carolus IV. privatim læſerat, acceptas injurias vindicandi. Hæc ratio ad Domum Boicam propriè pertinebat. Carolus Wenceslai pater Bohemici Regni finibus haud contentus, urbes & arces cis Herciniam ſylvam Boicæ detractas, Regno prolatando adiecerat. Cùm enim Rupertus Adolfi Palatini Septemviri filius, quemadmodum ſuperiùs recenſuimus, comitante Gunthero Schwarzenburgico, adhuc adoleſcens, militiæ tirocinium poſiturus, cum infeſto exercitu ingreſſus Saxoniam, ad pellendas Ducis Saxonici molitiones, quibus, ſtimulante Carolo IV. partes commentitij Waldemari ſuſtentabat, adverſus Domum Boicam; prælio ſuperatus venit in Saxonis poteſtatem. Detentus fuit in cuſtodiâ magnanimus juvenis, donec Carolus, cujus inſtinctu fabula agebatur, ejus libertatem, deteriore captivitate mutaret. Lytrum enim ipſe ſolvit Saxoni, à Ruperto cum fœnore repetendum, traxítque miſerum Principem in carcerem longè avariorem. Obtendit tamen avaritiæ (quaſi captivo gratiam præſtaret) nomen ſpecioſum contrahendæ cum Palatinâ Domo affinitatis. Per iſtas ambages, dotis loco, Bohemicæ coronæ adjuncturus Lauſam, Herſprucum, Reichenecam, Sulzbachum, Roſenbergam, Hirſchaviam, Pernaviam, Mulbergam, multas alias clientelas. Dotis titulus ſumptus à nuptijs Annæ (Agnetem alij vocant) Ruperti patruelis, quam Palatini Comites

Caro-

Carolo, si Rupertum recipere vellent, nuptum dare, cum dotalibus istis urbibus fuêre coacti: ea res Ruperti hæreditatem insigniter imminuit, iras accendit produxitque in longum. Annâ sine prole rebus humanis exemptâ, dotales urbes jure quàm optimo redibant ad Boios: sed fortius aliquando est sceptrorum quàm juris vinculum, & verò apud Carolum fuit. Aliud nomen inventum, quo censeretur dos restituta, sed tamen cum maximo Caroli commodo, & longè iniquiore quàm antè versurâ. Post Ludovici Brandeburgici excessum, Carolus ab Ottone Boio coëmit Marchionatum Brandeburgicum, addicto pretio centum florenorum millium, quæ cùm non repræsentaret, (ut superiùs recensui) dotales Boicæ urbes, rem videlicet alienam, venditori pignori loco supposuit, donec desponsa summa persolveretur; sed retinuit nihilominus Mulbergam, Pernaviam, aliásque Boici imperij possessiones. Injuriam dissimulavere Boij, ad hæc usque tempora: neque enim erat, cur quicquam æquitatis à Carolo sperarent, nec consultum, jura à Wenceslao repetere, nisi priùs ejus auctoritas à Germanis contempta, unà cum potentiâ magnam partem exolevisset. Causam Boijs Fratribus faciebat cum Ruperto communem, quòd hic sumptis armis pro Ludovico Boio Brandeburgico Septemviro captus redemptúsque jacturam fecerat Boicarum civitatum: quódque Boico pignori malè cautum esset ex alieno. Ergo sociali bello (cùm jure nihil obtinerent) Mulbergam, Pernaviam, aliáque ad Herciniæ fines à Carolo usurpata, statuunt invadere. Comparato justo exercitu, irrumpunt in Bohemiam, & cædibus, incendijs, populatione, latè grassati, terrorem ante se agunt ad usque Pragæ mœnia. Wenceslaus velut è veterno experrectus, satis habuit armare Sulconem Chotessoviensem Præpositum, collecto milite subitario septem millium, levi adversùm majorem vim adjumento. Sbinco Pragensis Archiepiscopus Joannis successor, communi territus periculo, adiecit tria alariorum millia. Boij, quibus res erat pars de recuperandis Boicæ urbibus, pars de alijs à pignoris nexu vindicandis, spolijs onusti, recepêre se ad suos fines, assertísque in pristina jura avitis Boicæ civitatibus, Bohemos nonnihil in Boicâ prædatos domum retudêre. Atque hic quidem belli istius fuit exitus: aliud civitates haud paucæ in Germaniâ indixerunt publicæ fœneratorum avaritiæ, ne ista mortalium pestis & alienæ fortunæ hirudo, in sola Bohemiâ pœnas daret.

Nordlingani Judæorum fraudes pertæsi, omnes, quotquot habebant suæ civitatis ex ea gente inquilinos, ducentos numero, anno octogesimo quarto, nullâ sexûs aut ætatis differentiâ, mactârunt. Occisorum bona cessere direptioni, ne relicto quidem, quantum ad diluenda Judæorum nomina creditoribus satis esset. Id injussu Magistratûs, populari tumultu factum tradunt. Nordlinganorum exemplum secutæ multæ aliæ civitates, non pari tamen omnes crudelitate. Augustani suis Judæis viginti duobus aureûm millibus vitam concessere. In Boicâ leniùs fuere habiti, sub mitissimi Principis clementiâ.

Judæorum cædes. Annal. Augustan. X.

Carolus V. Sapiens Galliæ Rex in extremâ vitæ lineâ filio Carolo, decimum quartum ætatis annum ingresso, anno hujus sæculi octogesimo primo, coniugem è Germaniâ peti jusserat. Eam illi cogitationem impresserat Fridericus Bavarus, rebus in bello nupero adversus Anglos præclarè sapientérque gestis. Ergo ne à sapientissimi Parentis sententiâ Carolus VI. discederet, sponsam sibi cooptavit è Domo Boicâ. Tulerat Dux Stephanus è Thadæâ Barnabovis Mediolanensis filiâ; Elisabetham Principem lectissimam, quam Carolus in conjugem flagitavit. In eam enim omnia sexûs sui decora ad miraculum confluxerant; virtus eximia, mores elegantes, forma mirè venusta. Cùm de constituendâ dote ageretur, Carolus abunde dotatam asseruit, in qua cœlum tot animi corporísque dotes congessisset, vetuítque quicquam eo nomine à Stephano Socero exigi. Nuptiarum celebritas acta Ambiani, quando Carolus, annum agens decimum septimum, cum octoginta armatorum millibus in Flandriam ad compescendos Anglicæ factionis & rebellium motus, descenderat. Nacta quidem fuit

M. CCC. LXXXV. *Froissard. hist. lib. 2.*

Elisabethæ Boicæ cum Carolo VI. Francorum Rege matrimonium.

fuit Elisabetha maritum sibi apprimè fidum & amantem, sed simul ingressa est campum virtutis haud mediocriter exercendæ. Patiebatur aliquando Carolus emotæ mentis intervalla, quo fiebat, ut opportunior Roberti Pseudopontificis delirijs, totus esset in eo defendendo. Quam ob rem ab Urbano Pontifice Romano anathemate fuit percussus. Ad ea mala aliud accessit, quòd, cùm Regni curis Carolus par non esset, pleraque per cognatos Principes administrabat.

BARNABOVIS EXITUS.

XI. Barnabos Elisabethæ avus Vicecomes anno M. CCC. LXXXII. à Galeacio fratris filio, imperio dejectus, veneno faseolis superfuso fuit extinctus in carcere arcis Tritiensis, cùm avarè ac crudeliter Mediolanense imperium administrasset. Eo parricidio Galeacius Stephanum sibi reddidit infestum, & amicum Francisco Carario Juniori, cui proinde in spem vindicandi Principatûs Patavini, tulit suppetias. Juvabit rem paulò altiùs repetere. Galeacius, Patruo occiso, Mediolanensi imperio potitus, evasit vicinis formidandus. Erat ipse ingenio callidus ac sagax, eloquens, litteraturæ politioris non imperitus. Sumpsit sibi, posteaquam dominatum invaserat, Comitis virtutum titulum, Ducis dignitatem à Wenceslao accepturus. Tenuit ad tempus unà cum Barnabove Mediolanensem Toparchiam tolerabili concordiâ, eóque rariore, quò frequentior est æmulatio inter dominantes. Disturbavit consensionem suspicio, an potiùs ambitio. Scribunt Galeacij conjugem Barnabovis filiam, hujus instinctu, vitæ mariti struxisse insidias. Longè credibilius est, quod narrant scriptores Italici, Jovius, Corius & Bugatus. Erant Barnabovi complures filij, inter quos urbes ac oppida æquis partibus distribuerat. Hæc divisi imperij sortitio eum habuit eventum, ut unusquisque eorum, dolore nimis angustæ ditionis, Joanni Galeacio patrueli sortem multò opulentiorem invideret, & de eo cuncti sæpe contemptim & criminosè loquerentur. Quiritantium mater superba & ambitiosa mulier, juvenes suopte elatos ingenio, & supra censum sumptuosos, quotidianis sermonibus impulerat, ut immoderata percuperent, audendóque, per facinus aliquod insigne, ad præalta, uti generosos deceret, adspirarent: non obscurè quoque indicabat, ipsos ex opulentâ hæreditate confestim potentes atque beatos esse evasuros, si Galeacium patruelem, hostem veriùs, quàm propinquum è medio tollerent. Moritur non multò pòst mater mali consilij artifex. Barnabos eadem cum filijs spectare cœpit, utpote qui prolem numerosam ærario suo gravem, infirmâ ac pertenui ditione regnaturam prospiceret. Sed dum miscet scelesta consilia, Joanni Galeacio cuncta produntur. Is gravi callidóque ingenio, audita exploratáque dissimulat, & adversus insidias se domi forísque præmunit. Ergo intimi officij ministeria coarctat, abdicatóque luxu, mensam certis dapibus adstringit. Tum corporis custodiam ex fidis veteranis adauget, nec arcis limine pedem effert, nisi exploratò, præeuntibus scilicet armatorum turmis & prætoriâ cohorte circumfusus. Ante omnia porrò ad struendum è longinquo dolum, suburbana templa sæpe supplicabundus invisens, conceptæ religionis & demissi paventísque animi signa præbet. Quibus artibus ita venit in contemptum, ut nihil virile, vel à Barnabove astuto sene cogitare crederetur, & Patrueles nonnunquam dictitarent, eum opimo sacerdotio, quàm tanto imperio videri aptiorem. Itaque communicato cum paucis consilio, Galeacius edicens, se Beatæ Virginis templum, quod est in monte supra Varesium oppidum multis miraculis atque donarijs venerabile, solvendi voti causâ, profecturum, è Ticino Mediolanum contendit. Nec differt Barnabos, quin venienti honoris causâ occurrat; quamquam improviso adventu perturbatus, pudore metum vincente, paululùm cunctaretur. Rem malam non malè ominabatur. Vercellensi portâ prodeuntem, dato signo, armati equites inermem & mulâ vectum comprehendunt, & in proximam portæ, Jovis arcem, cum Marco & Rudolfo filijs deducunt. At Joannes Galeacius continenter armata agmina introducit in urbem, domósque capti Barnabovis tanquam hostis, ad excitandam plebem, opportuno astu diripiendas promiscuæ multitudini permittit. Fit igitur maximus à populo tumul-

Margin notes: *Paulus Iovius de viris Illust.* — CONSPIRATIO IN IOAN. GALEACIŨ. — GALEACII SIMULATIO. XII. — BARNABOVEM CAPIT.

multus, punctóque temporis, memorabili fortunæ ludibrio, maximæ opes à plebe evertuntur. Nemo unus fuit repertus, qui captivo ferret opem, cùm amici pariter atque hostes, in opulentissimæ gazæ acervos grassarentur, & maledictis congestorem omnes incesserent. In effusâ illâ populi licentiâ, ne publicanos quidem ac quæstores ullæ vel olidissimæ latebræ satis texerunt, quin aurum argentúmque omne egerere cogerentur. Arx ipsa Mediolanensis attonita, paucas post horas manus dedit. Ex ea septem plaustra argento elaborato & pretiosâ supellectile onusta, signatæ aureæ monetæ septingenta millia educta fuisse perhibentur. Tanta calamitas non caruit prodigio. Domus enim Palatina septimo ante cladem die, de cœlo sic tacta, ut intimi cubilis peristromata deflagrarent, & viperæ marmoreæ Mediolani insignia, fastigio superstantes, fulmine frangerentur. Evaserat Barnabos ad inexpiabile populi odium, seipso in horas sævior & acerbior, senectâ durum & atrox ingenium nihil molliente. Nuper accesserat lex odiosa, quâ inquiri vincirique jusserat eos, qui quinquennio antè, contra vetus edictum, apros occidissent. Deductus demum est in Tritianam arcem, paulò antè ab ipso ædificatam, atque istlùc septimo carceris mense necatus. Ejus necem præcessere portenta. Aliquot antè diebus visum, in quo ipse morabatur, palatium quasi ardere: quâdam die post meridiem, spectatus à plerisque globus, in quo species demortui capitis inter flammas apparebat in æde Palatina. Parmæ, & in regiâ, cui nomen à S. Gregorio, Barnabovis insignia fulminis ictu in mille partes discussa. Joannes Galeacius, ut facinori colorem induceret, quæstionem de Barnabove haberi voluit, & multorum flagitiorum reum ex consilij sententiâ damnavit, cùm etiam Barnabos ipse omnia confessus, reum se mortis pronuntiasset. Istis gradibus Dei vindicta sera licet, seria tamen ac tremenda, in noxium caput venit: venit tamen magno misericordiæ temperamento, si, ut quidam memorant, Barnabos ad eam cum profusis lacrymis, susceptis Ecclesiæ sacramentis, inter animi pœnitentis voces, ad extremum respexit. Jovius eum inter amasiæ, quam in ultimâ etiam lineâ deperibat, ulnis expirasse memorat.

Eius opes diripiendas plebi permittit.

Mediolano potitur.

XIII.

Prodigia necis Barnabovianæ prænuntia.

XIV.

Joannes Galeacius, submoto fortunæ suæ rivali, animum adjecit ad imperij fines proferendos. Antonius Scaliger unáque Franciscus Carrarius de litigioso dominatu digladiabantur. Hac usus occasione Galeacius, ut debilitaret utrumque, alterius partes subsidio firmavit. Carrario igitur mittit auxilia, victóque Scaligero, Veronam ac Vincentiam redigit in suam potestatem. Non longè pòst, in Carrariam ducens, Patavinam urbem simúlque Carrarium facit suæ ditionis. Mortem in carcere finijt Carrarius. Galeacius inter hæc invadit Bononiam, Joanne Bentivolo, qui urbi dominabatur, à Bononiensibus exulibus in frusta conciso. Eidem Senenses, Perusini, Assisij, Pisani, & alij quidam Hetrusci sese ultro dedidêre. Resistebant adhuc Florentini Galeacio, Italici Regni titulos ambienti.

Naucler. gener. 47.

Demortui Carrarij filius Franciscus, patre à Galeacio orbatus, Stephano Duci Boico opportunè suas calamitates commendavit, impetravítque ut arma adversus Vice-Comitem sumeret. Tametsi enim præter Florentinos vix esset in Italiâ, qui rebus omnibus spoliato auxilia promitteret, non dubitavit tamen Stephanus suam operam opésque afflicto præstare. Erat Stephanus suâ sponte Galeacio infensus ab Barnabovis soceri sui atrocem interitum, cujus ulciscendi ansam se nactum lætabatur. Ergo Carrario præire jusso, paulò pòst subsecutus octingentos equites, insignem, ut tum erant tempora, manum, deduxit in Italiam. Exinde excitata Carrarij fortuna, Patavio ad ejus obsequium fidémque redeunte, reliquum erat, ut arx quoque dederetur. At illa certa vim experiri, non priùs manus dedit, quàm obsessa expugnatáque à Stephano, experta est se haud consultò restitisse. Quamquam non desunt, qui affirmant, elanguisse obsidionem, Florentinis promissa stipendia non solventibus, & dilabente Germanico milite, Stephanum reliquias Romam subduxisse, atque inde exacto trimestri, redi-

Stephanus Carrario iuniori fert auxilia.

Pigna, Carius.

XV.

Brunner. in Tutelarib.

rediisse in patriam octo non ampliùs familiaribus stipatum. Omisêre scriptores Italici, quod Augustanæ chartæ memoriæ mandavere. Veronenses, exactis Scaligeris, sub Galeacij jugum concesserant: Dura mutati domini conditio fecit, ut de excutienda servitute deliberarent. Quam ad rem visus Stephanus multum alaturus esse præsidij, si Patavio advocatus, causæ deploratæ patrocinium susciperet. Ejusce consilij indices cùm in Galeacij manus venissent, ipse usurpato sæpe magnis Ducibus astu, Stephani personam induere, & velut præsentis signa constituit mentiri. Adfuit ad Veronæ portas in eâ scenâ, & urbi fucum fecit. Igitur velut amico patefit ingressus, involat Galeacij miles, nec priùs agnoscitur, quàm cædes cœpta fieri. Fraude seriùs notatâ, Veronenses errorem agnoscere, & laniari tantâ atrocitate, ut, quos interlabens Athesis ab hostili ferro servavit, consternati, rebus desperatis, solum maluerint tempestivâ fugâ vertere, quàm suorum civium exempla proximúmque exitium subire. Demùm Galeacius rebus gestis famosus, vivere desijt anno supra millesimum quadringentesimum secundo.

GALEACIUS VERONAM STRATAGEMATE OCCUPAT.

XVI.

Dum alienæ calamitati Stephanus succurrere nititur in Italiâ, domi patratum est facinus, cui jure merito ipse fraterque irascerentur. Monacenses sive communi aliarum civitatum vitio, seu peculiari indignatione, quòd è Proceribus nonnemo, qui in flagranti erat apud Principes gratiâ, suam dignitatem, facta, fortunámque verteret in publicum odium. Ergo rati unius magnitudinem, omnium esse detrimentum, & quod uni prolixiùs impendebatur, publico decedere, conjurant in ipsius necem, & circumventum tumultu tollunt è medio, nullâ juris & humanitatis reverentiâ.

MONACENSES IN PRINCIPUM GRATIAM REDEUNT.

Res ad Principes delata, visa est ejusmodi, quæ neque dissimulari, nec impune esse authoribus deberet. Mittitur ergo confestim Monachium fecialis, qui imminentem pœnam denuntiet nomine Principum, ei facto graviter indignantium, spirantiúmque communem in omnes cives vindictam; nisi pœnitentes & admissum crimen detestati, cædis suasores patratorésque supplicio dedant, séque ipsos accommodent justo Principum arbitrio. Gravis civitati fuit is nuntius, & jam percussores sibi factóque suo irascebantur. Quare curarum metúsque plenis, ubi in medium de pacandis Principibus consuluerant, nihil visum est convenientius, quàm receptum ad gratiam quærere, séque permittere clementiæ Principum. Valuit ea demissio ad placandas iras, impetrandúmque, mitiùs ut in reos factíque pœnitentes ageretur. Visum tamen statuere aliquod castigationis exemplum, quod à simili temeritate posteros deterreret. Jussi primùm sunt centeni omnino cives inermes prodire Dachavium, & supplices de genibus, Principum accipere arbitria. Paruere sine morâ, admissique in conspectum, veniam rogantes, gravi oratione fuere castigati. Tum in urbem remissis imperatum, uti se in Principum paulò pòst secuturorum adventum compararent. Nondum vacabat solicitudine civitas, trepida minimèque futuri secura. Adventantibus Ducibus, pleno agmine melior sexus sordidatus occurrit. Denique ijs legibus facta delicti gratia, ut vectigal solitum inferri in commune ærarium, civitas Principibus cederet: Principes novum castrum construerent, quo vellent loco, portámque suis usibus pro arbitrio aperiendam molirentur: ad extremum, multæ nomine, sena aureorum millia Ducibus, bina millia Ducum familiaribus intimis, cives numerarent, quæ morigeri cives præstitêre obsequenter.

M. CCC. LXXXVII.

XVII.

PILEGRINI ARCHIEPISCOPI CAPTIVITAS.

Dum ista Monachij gerebantur, fervebant adhuc in Boica belli incendiarij reliquiæ. De eo restinguendo actum, authore Duce Stephano, cum Archiepiscopo Salisburgensi Pilegrino, quem unum diximus à Principibus ad conjuratas Urbes descivisse. Multum emolumenti videbatur ejus conciliatio habitura ad componendos partiariorum animos, si vel ab eo deserti, minus possent, vel conjuncti, ipso authore redirent ad concordiam. Non abnuit Pilegrinus pacificum colloquium. Conveniendi locus fuit Raittenhaslachiense cœnobi-

nobium; collocutores, Pilegrinus & Dux Stephanus. Congressi sunt ad diem dictam, quæ fuit postrema Januarij: et jam de finiendo bello consulebant in medium, cùm Dux Fridericus Bojus colloquentibus superveniens, Pilegrinum Burghusium abduxit captivum. Rem in hanc ferè sententiam narrat Brunnerus. Paulò aliter Hundius in Salisburgensi Metropoli, & ad Friderici famam accommodatius. *Anno* (inquit) *M. CCC. LXXXVII. die S. Virgilij, Fridericus Dux Bavariæ cepit Pilegrinum Archiepiscopum Salisburgensem, cum aliquibus militibus, eúmque in Cœnobium Raitenhaslach deduxit; sed paulò pòst liberatus est*: unde argumentum est, Pilegrinum à Friderico esse captum, sed belli jure. Verùm Brunnero adstipulantur fœderatarum urbium datæ anno sequenti, decimâ septimâ Januarij, ad Stephanum & Fridericum litteræ, in quibus inter alias belli denuntiandi causas, referunt factam Pilegrino injuriam, quòd eum Duces ad amicam tractationem invitatum dedissent in custodiam: quamquam in re tanti momenti istis litteris non debetur certa fides, quippe quæ ab hostibus contra inauditos Duces fuere profectæ. Et credibile non est, integerrimi nominis Principes, publicæ securitatis fidem in cassum violare voluisse, cùm Pilegrini injusta captivitas parùm aut nihil, libertas verò & conciliata amicitia, plurimùm ad bellum extinguendum apud fœderatos hostes esset profutura: nisi malis credere colloquium solâ Stephani authoritate & fide condictum, Fridericum non obligasse, quò minùs hosti magnarum Boicæ calamitatum concinnatori manus injiceret. Brevis admodum fuit ipsius captivitas. Eum enim comperio hoc anno, vigesimâ quintâ Februarij, pristinum cum hostilibus Civitatibus fœdus publicis tabulis renovasse. *Lehm. l. 7. cap. 68. & 69.*

Ab his Imperij Principes passi atrocia, in novam societatem coiverunt, in quatuor classes divisam. In prima continebantur omnes Regni Bohemici Principes, Comites, Nobiles, & Ordines universi; Marchio Brandeburgicus, Dux Saxoniæ, alijque oræ maritimæ viciniores. In alterâ, Archiepiscopus Moguntinus & Coloniensis, Ruperti Comites Palatini Senior ac Junior, Hassiæ Comes Provincialis, Badensis Marchio. In tertiâ, Albertus Dux Austriæ, Stephanus, Fridericus & Joannes Boiariæ Duces, Episcopus Argentinensis, Augustanus, & Ratisbonensis, Eberhardus Comes Wirtenbergiæ, Ludovicus & Fridericus Comites Oetingani. In quartâ, Bambergensis & Herbipolensis Episcopi, Balthasar & Wilhelmus Marchiones Misniæ, Turingiæ Landgravius, Dux Rupertus Junior, & Fridericus Norimbergæ Burggravius. Pari modo septuaginta civitates in quatuor ordines distributæ in societatem adsciverunt Wenceslaum Imperatorem & Pilegrinum, in quam ille quidem eò faciliùs concessit, quòd crederet, se adversus Imperij Principes ejus exàuctorationem molientes, tot Urbium armis fore tutiorem. Eò reciderat Majestas ignavi Principis, ut in Reipublicæ discordiâ, quâ nihil ad supremam calamitatem efficacius, salutem quæreret & tutelam suæ dignitatis. Secuta ex istis factionibus mala, quæ notavit scriptor Historiæ Turingicæ, mutua videlicet Provinciarum vastitas, rapinæ, busta, latrocinia, sacrarum opum direptio, hominum Deo dicatorum violatio, ac demum devictarum urbium pernicies incredibilis. Eas enim Principes ad rumpenda fœdera compulsas, & prærogativis à Majoribus magno ære comparatis, exutas, grandi insuper plexêre multâ, quâ illata Principibus damna sarcirent. Etenim fœdere civitatum in publicas tabulas relato: Sueviæ, Franconiæ, & Boicæ populi confines, Anno M. CCC. LXXXVIII. graviter de Bavariæ Ducibus apud Wenceslaum Imperatorem conquesti, rogârunt, ut eos ad pacis, anno septuagesimo, post Reutlingense prælium factæ observationem hortaretur; aut, si id minùs præstarent, armis adigeret. Cæsar, cui tam Boij Principes erant invisi, quàm Boijs, perinde atque alijs, ejus improbitas exosa, eam nactus ansam Boicæ infestandæ, valida auxilia civitatibus addicit, jubétque illas proximo quoque tempore esse in armis, pollicitus, se cum exercitu, ubi primùm se ver aperiret, adfuturum. Eâ denuntiatione urbes redditæ fidentiores

FOEDERA GERMANIÆ PRINCIPUM ADVERSUS CIVITATES. XIIX.

WENCESLAUS CÆSAR FOEDERATUS ADVERSUS IMPERII PRINCIPES.

XIX.

AN. M. CCC LXXXVIII.

Lehman. l. 7 c. 69.

 res

BELLUM BOICÆ INDICTUM.

res ex Ulmensis Comitij sententiâ sese ad proxima castra comparant, & bellum solenni more Stephano & Friderico indicunt. Prima indicendi causa Pilegrini nupera captivitas: secunda, merces Norimbergensibus, vinum Ratisbonensibus, Gemundensibus vecturæ aliquot ereptæ, cives hinc inde in captivitatem abducti. Hæc fuere speciosa nomina ad conciliandam furioso bello æquitatem. Wenceslaus eosdem Boios Duces, ipsis purificatæ Virginis ferijs suos & Reipub. hostes declaravit, & ne à Ruperto Electore Palatino suppetijs adjuti, bello pares essent, Rhenanas, Alsaticas, & Weteravias urbes, jussit in ditiones Palatinas irrumpere, Rupertúmque bello domestico distinere. Pilegrinus Archiepiscopus custodiâ jam tum solutus, vindictæ avidus, suas etiam copias fœderatis Urbibus adjunxit. Ulricus Comes Helfensteinius se Rhenensibus Ducem præbuit. Argentinenses ducentos cataphractos, alij pro suâ quisque ratâ, quemadmodum ex fœdere convenerat, auxilia submisêre.

XX. Contracto demum exercitu, bellóq; per fecialem indicto, Rupertum mox invadunt, ferro flammísque agrum deformant, Landavium, Neostadium, Germershaimium oppugnant. Rupertus inopinatâ oppressus irruptione sibi non defuit, sed quantâ licuit celeritate coactis Provincialium delectibus, progressus in hostem, haud procul à Spirâ, factâ pugnandi copiâ, ducentos cecîdit, trecentos cepit, cæteros egit in fugam. Inter captivos fuere sexaginta grassatores, qui agrum Palatinum concrematis colonorum domibus, aliísque maleficijs atrociter vexârant. Hos Rupertus omnes jussit præcipitari in fornacem calcariam, cum hoc dicto: Vos per tenebras & obscura nebularum, meorum subditorum tectis subjecistis ignem, ego clarâ luce vos in fumum favillásque redigam. Ex ijs, quos fuga ferro subduxit, nonnulli Spiram elapsi: alios magno numero Francofurtum inter & Cronenbergam sub signa rursus collectos, Rupertus, multis in vestigio obtruncatis, multis captis, denuò profligavit. Quod hujus anni reliquum fuit, vastandis Argentinensium & Hagenoensium finibus impendit.

RUPERTUS PALATINUS FOEDERATOS PROFLIGAT.

Dum res ad Rhenum secundo Marte geruntur, Germaniæ Superioris urbes Boicam, Franconiam, & Wirtenbergiam ferro premebant & incendijs, tantâ ferociâ, ut vix ullus colonorum in agris superesset, plerísque ad loca munita confugientibus. In Wirtenbergiâ mille ducentos pagos igne absumptos historiæ numerant. Nec verò etiam fuit Bavaria immunis ab incendijs, populationibus, cæterísque calamitatibus, uti superiùs prolixè ostendimus. Propagatæ sunt utrinque latè per agros locáque indefensa clades miserorum agrestium, in adultum usque Sextilem, cùm tandem ventum est ad pugnam decretoriam. Agebatur dies profestus D. Bartholomæo, cùm copiæ fœderatarum urbium adsiderent munitiunculæ, quam Coloni ad villam Toffingensem, haud longè à sepulchreto, fossâ vallóque adversus subitas impressiones utcunque firmaverant. Pagus hic Wilæ oppido vicinus, erat imperij Wirtenbergici. Eberhardus Comes educto, ut in re celeri, exercitu, auxilio obsessis accurrit. Erant in hostium castris cataphracti octingenti; magnus id ætatis numerus, peditatus longè frequentior. Adduxerat Wirtenbergicus gravis armaturæ equites omnino sexcentos, bis mille legionarios. Prælium non detrectarunt Urbium fœderati numero præfidentes: Eberhardum urgebat suorum alacritas & cupido vindicandi acceptas injurias. Acie igitur explicatâ, magnis utrinque animis signa concurrêre.

Crus. Annal. Chronic. Alsat. l. 8.

Pugna ad Wylam.

XXI. Victoria principio visa est civitatibus manus tendere, primâ Comitis acie vehementer inclinatâ. In eâ enim Ulricus Eberhardi filius, Princeps in paucis fortis & bellicosus generosè confligens, hostili telo, non incomitatus occubuit. Et præter manipulares aliquot, Comes de Monte unà cecidit; quódque erat periculosius, nutantes perculsǽque suorum cæde Wirtenbergensium cohortes, fugam respectantes, propè aberant, ut pedem prælio efferrent. Commodùm advolavit è postremo agmine Comes Eberhardus, Princeps, si alius quispiam, magnanimus & imperterritus. Is, cùm suorum metum animadvertisset; Eia, inquit, commilitones, quid trepidatis? constantiâ duntaxat opus est, si pedem figitis,

fugitis, viciſtis: Enimvero non advertitis hoſtium fugam? Hæc dicta cohibuere trepidationem Wirtenbergenſium, ſimúlque impetum. Cùm enim urbium fœderati crederent è ſuis aliquos terga vertiſſe, avertêre & ipſi pectus oculóſque, ad explorandam ſuorum fugam. Orta hinc nonnulla ordinum turbatio. Collegit interea erexítque Eberhardus inclinatam aciem, pugnâque inſtauratâ, memorabilem palmam de hoſte reportavit, quæ multùm contulit ad civitates magnam partem fractas, in ordinem redigendas. Quam ad rem non parùm adiecêre ponderis tum arma Boica, tum Friderici Ducis induſtria. Etenim Boij Fratres junctis cum Ruperto juniore (ſenior tum adverſus Rhenanam Urbium factionem certabat) cúmque Alberto Straubingenſi Hollandiæ & Hannoniæ Regulo, viribus, caſtra in conſpectu Ratisbonæ urbis poſuere, id ſaltem conſecuturi, ne civitas ſubſidia in Wirtenbergiam fœderatis mitteret, ſi ejus expugnationem, uti contigit, fortuna negaret. Habebant ſinguli ſub ſignis juſtas copias, & Stephanum ac Joannem Ludovicus & Erneſtus filij fuerant in caſtra ſecuti. Fuit nihilo ſeciùs languida obſidio, ſeſſitationi, quàm oppugnationi ſimilior, ſive ex propugnatorum alacritate, ſive ductorum multitudine, quæ plerumque magnis expeditionibus tam ſolet eſſe noxia, quàm unius imperium rebus agendis utile & expeditum. Cùm enim inter plures nullius eſt præcipua authoritas, multa quotidie veniunt in diſceptationem, unde occaſionum neglectus; ſæpe manus animíque malè colligati pejùs conſpirant; unde ſeceſſiones, noxiæ cunctationes, æmulatio. Utut res habuerit, cives factâ ad portam S. Jacobi eruptione, plus cladis attulere Boijs, quàm retulere. Ergo obſidione ſolutâ, caſtra mota ſunt ad arcem Stauffiam. Non fuit arduum oppido malè defenſo potiri: Arx ſuis tecta munimentis impetum ſuſtinuit. Cætera belli vis verſa in collem vini haud præſtantis feracem. Hic ſpes vinitorum interverſa; nullum aliud operæ pretium.

Brunner. in Tutel. pag. 321 — *Andr. Presbyter.* — OBSIDIO RATISBONÆ — OBSIDIO STAUFFENSIS. — XXII.

Expeditio hæc nulla re magis, quàm magni ſceleris nobili vindictâ inclaruit. Oberhauſeri fratres ſervulorum operâ in caſtris utebantur. Hi militari inſolentiâ ſacram Hierothecam cum Euchariſtici Sacramenti reliquijs, Sulzpachij è templo rapuere: Andreas nebulonum profligatiſſimus, triduo circumlatam hoſtiam impiè nudat ſerico involucro, projicítque in dumeta. Tum redactum ex tegmine ſeptem aſſium pretium, ſcorto pro corporis uſurâ projicit. Ultus eſt Deus multiplex ſacrilegium: nam homo impius ſubitò membrorum omnium cruciatu correptus, furere, miſerè in caſtris quiritari, ſcelus admiſſum profiteri, ſua veſtigia ad colligendas ſacroſanctæ victimæ particulas relegere labore irrito, cùm ſceleratis oculis manibúſque Deus ſe ſubduceret. Tandem, cùm pœna per ſingulos graſſata articulos, membra omnia ſuis ſedibus emoviſſet, retortâ in tergum facie, protuberantibus in pugni molem oculis, narium ſpiraculis fœdiſſimè hiantibus in eam latitudinem, quæ utroque ſinu ſingula ova facilè abſconderet, tetro reliqui corporis colore fœdum in modum horridus, ſceleſtam evomuit animam. Sodalis furti particeps, dum heriles equos ducit aquatum, excuſſus in Danubium, perijt, à jumento, quò minùs enataret, impactis calcibus à ripa repulſus. Tertius ejuſdem affinis culpæ, gladio occubuit. Principis Alberti myſta ſacras hoſtias è dumis elatas, in Werdenſi arâ depoſuit. Tradit Aventinus, eo loco, quo repertæ ſunt, templum extare prope arcem, quod accolæ in ejuſce rei memoriam venerantur.

SACRILEGIŨ DIVINITUS PUNITUM.

Iſtius expeditionis exitum excepit concordia, Ratisbonenſes etenim cum Principibus in gratiam fuere reducti, redditóque Ducibus ſuburbano oppido & Neoburgo Danubiano, quæ pignoris loco Joannes Zengerus, cui opulentia Aurei cognomen fecit, poſſederat. Quatuordecim aureorum millia, quæ Duces ab eo mutuati fuerant, Ratisbonenſes, uti proprium nomen luerunt.

PAX RATISBONENSIS. — Stattamhof

Hæc fuere ſedandi belli initia, quod ne latiùs graſſaretur, Friderici Boij Ducis ſapientiæ meritò fuit adſcriptum. Res in eo erant, ut Wenceslaus Cæſar, ex fœdere civitatibus addictus, pactas ſuppetias jungeret, tota belli moles

XXIII. — *Lehman. l. 7. c. 69. pag. 845.*

FRIDERICI BOII DUCIS NEGOCIATIO PACIFICA.

Boicæ ad extremum incumberet. Fridericus id periculi longè prospiciens, consilio potiùs quàm armis existimavit esse avertendum. Quamobrem impetratâ conveniendi Cæsaris facultate, eâ dexteritate apud iratum, causam Principum defendit, ut Wenceslaus, mitigatâ voluntate, à Civitatibus ad Principum partes non inclinaret modò, sed etiam nullâ fœderis habitâ ratione, promissa civibus auxilia denegaret. Eo factum, ut illi diuturno bello fessi postremísque attriti cladibus, cùm se desertos, Cæsarisque subsidio destitutos ægrè bellum posse reparare cernerent, sponte ad pacem propenderent, à quâ nec abhorrebant Principes. Ergo Fridericus Wenceslao persuadet, longè fore ipsi gloriosius, & ad conciliandam ambarum partium benevolentiam accomodatius, si quietem reddat Imperio, quàm si bellum novis flammis accendat: pace redditâ, non Principes modò, sed Civitates etiam fide officiisque pro ejus Majestate ad invidiam certaturos, quorum alteros saltem adiutores esset habiturus, quamcunque demum sortem arma essent habitura. Placuit ea spes & Friderici moderatio.

AN. M.CCC LXXXIX.

PAX CONFECTA.

Quare anno insequente, Ordinum Comitia pacificatoria Egræ indixit mense Februario, ubi auditis disceptantium rationibus, triduo ante Pentecosten, pax convenit in has leges. *Civitatum fœdera pristina, pactáque belli socialis nunc & deinceps sublata sunto: Cæsaris ac Principum societas pariter exspirato. Quæ Civitates amicâ pactione, aut Iudicum arbitrio pacem cum adversarijs fecerint, eâ fruuntor; quæ secus fecerint, pro publicis hostibus habentor. Idem circa Principes servator.* Ex Boica conventione, arbitro Joanne Leuchtenbergio, pleræque civitates gravi ære fuerunt mulctatæ. Palatinis Comitibus, ab urbibus Rhenensibus, Alsaticis & Weteravicis; Adolpho Archiepiscopo Moguntino, & Sifrido supremo Ordinis Teutonici Magistro disceptatoribus, sexaginta florenorum millia fuere persoluta ad instaurandas arces, quas manus hostilis everterat. Pari ratione Principibus alijs damna à Civitatibus compensata. Extant apud Lehmanum tabulæ, anno M. CCC. XCIX. sextâ Januarij datæ, quibus initæ in Comitio Francofurtensi pacis conditiones fuerunt explicatæ.

Vitus Arenpeck in Chron. Bavar. Brunner. in Tutel.

XXIV.

RELIQUIÆ MONTIS SANCTI REPERTÆ.

Ad annum octogesimum octavum pertinent incrementa Boicæ pietatis, cui inter homines instaurandæ, neque musculi ministerium Deus est aspernatus. Latebat in Montis Andecensis Ædiculâ nobilissimus sacrorum lipsanorum thesaurus, quem Majorum cura, ne bello raperetur, abdiderat, oblivio posterorum & incuria sic neglexerat, ut vix ulla ampliùs ejus extaret memoria. Conditorium nulli observatum Aræ suberat, à quo mus chartam protraxit, in quâ sacra pignora erant descripta. Jacobus Dachaverus Franciscani Ordinis ad aram faciebat, cùm scheda mure trahente emersit in lucem. Cepit bonum sacerdotem cupido ejus inspiciendæ: inspexit, legit indicem sacrarum opum, quas Christiana pietas habet in summo pretio. Quò decentiùs atque ad posteritatis fidem celebriùs eruerentur, res fuit delata ad Boios Duces, qui ipsi voluerunt adesse testes, quando, egestâ humo, eductæ fuerunt in apertum. In his reperta capsella plumbea, quæ ternas victimæ Eucharisticæ formas prodigijs celebres complexa, complures alias Divorum reliquias habebat circumfusas. Duces tot læti divini favoris pignoribus, Bonifacium IX. Pont. qui Urbano VI. anno octogesimo nono, Idibus Octobris defuncto, ad IV. Non. Novembris electus successerat, de totâ re per litteras edocent. Bonifacius eorum felicitati gratulatus, quò faceret eam communem & publicam, eximijs gratijs promissisque mortalium

EARUM CULTUS.

studia, qui expiati illa cœli munera veneraturi essent, accendit. Cùm montis Andecensis, quem post hæc Sanctum dixerunt, Ædicula esset angustior, quàm ut confluentis multitudinis pietatem caperet, sacer iste thesaurus Monachium fuit deportatus, donec augustius templum, quod in eodem monte parabatur, assurgeret. Ne interea piorum affectus tepesceret, anno M. CCC. XCII. quot hebdomadibus, à jejunio verno ad Augustum usque, divinæ hostiæ cæteráque lipsana spectaculo exposita, non unius provinciæ incolas ad se attraxêre. Tantus fuit con-

concurſus, ut ſubinde ſexaginta hominum millia in cenſum venerint, & ſæpe modius unus, ſtipes ſacras in arâ ab expiatis offerri ſolitas, non ceperit: Miraculi inſtar fuit, altiſſima pax viarúmque ſecuritas, mutuâ animorum conſenſione ſancita, Deo tutante viatores, ne quis eorum religioni obex poneretur, aut intercederet divinis honoribus. Memoriam Indulti Pontificij in hunc uſque diem anniverſariæ Nundinæ, Jacobeæ dictæ ab indulto, propagant in urbe Monacenſi. Reliquiæ ſuo Monti reſtitutæ magnâ peregrinantium frequentiâ & pietate hodiéque coluntur. Dult.

Vixerant hactenus in hæreditatis communione, Provincijs nullo diſcrimine ad omnes ac ſingulos citra partitionem ſpectantibus, Boici Duces Joannes, Stephanus, ac Fridericus. Nec malè id ceſſerat, quamdiu res æquali jure fuere diſpenſatæ, neque cauſa diſſenſionis interceſſit. Bellum quidem cum fœderatis urbibus diuturnum ſic eos continuit, ut velut in communi periculo, conſilia, opes, operámque jungerent: quod enim uni deceſſiſſet aut acceſſiſſet, omnium detrimentum commodúmve cenſebatur; atque tum vel maximè aſtricta debet eſſe conſenſio, cùm eam neceſſitas & cauſa communis vel inter invitos connectit: Attamen rebus jam quietis ſinguli ſua attentiùs cœpêre æſtimare, ſibíque ac poſteritati velle proſpicere. Nec verò fuerat uſque eò accurata proventuum diviſio, quin aliquid diſparitatis contigiſſet: Et quia Joannes erat Fratribus pacatior, eóque nonnihil ab ijs neglectus, ſentiebat neſcio quid detrahi de magnitudine non opum tantùm, ſed etiam de ſplendore ſuæ dignitatis, quam rebus omnibus meritò credebat eſſe præponendam. Quare, ne minor eſſet Fratribus, ab ijs popoſcit, vellent tandem dare operam herciſcundæ hæreditati, & ijs quidem pactis, quæ neque læderent charitatem, neque potentiam Boici nominis minuerent: enimverò invitum, niſi lex aliqua peculiari ratione aliud jubeat, qualis nulla à Fratribus obtendi poterat, cogi non poſſe, ut maneat in communi hæreditatis poſſeſſione. Cùm nihilominus cunctarentur, Joannes Monacenſem Regiam occupat, non invitis civibus, qui ſuavitate morum capti, ipſius imperium fraterno præoptabant. Quæ res fratres ad æquitatem adduxit. An.M.CCC XCII. X X V. Boiariæ Duces Provincias partiuntur. inter se dissident.

Ergo volentes nolentes inſtituêre Provinciarum partitionem. Diribitores adhibuêre ex equeſtri Nobilitate quatuor ſupra viginti; è civitatibus viros ſedecim. Nobilium hæc nomina. Albertus Abenſpergius, Georgius Waldeckerus, Conradus Preiſingerus, Ottho Pienzenauerus, Suicardus Gundelfingius, Joannes Jagermaiſterus, Ulricus Leuchteneggerus, Chriſtianus Frauenbergius, Thomas Preiſingerus, Henricus Smeiherus, Rudolfus Preiſingerus, Arnoldus Camerius, Theodoricus Hœchſenackerus, Wilhelmus Waldeckerus, Henricus Camerbergius, Joannes Greifius, Warmundus Pienzenauerus, Ulricus Dorerus, Theodoricus Stauffius, Hilspoltus Camerius, Stephanus Gumpenbergius, Wilhelmus Machſelrainius, Joannes Dorerus Hornſtainius, & Joannes Pflaumdorfius. Stephano in ſortitione obtigit pars media Superioris Bayariæ, Ingolſtadium videlicet, Ratenberga, Smidelberga, jus in Liechtenwerdam, Kuffſtainium, Kitzbihela, Tierberga, Steinium, Clinga, Wildenwartum, Hadmansperga, Waſſerburgum, Schwaba, Ellenkovia, Fridberga cum Ponte Lycio & vectigali, Aichacum, Schrobenhuſium, Altonismonaſterium, Cubacum, Ainlinga, Fanum Leonardi, Schildberga, Dourſperga. Raina, Neoburgum, Gerolfinga, Kelchinga, Chunſtanium, Gaimershaimium, Graispacum, Manheimium, Hutinga, Sueviwerda, Hilpolſteinium, Freimſtadium, Landecka, Halenſteinium, Stoſſenberga, Hochſtetta, Lauginga, Fayminga, Gundelfinga, Gienga, Hagela, Stauffa, Wartenſtainium, Weiſſenhornium, Puecha, Wolffsberga. Ex Archiv. Elect. X X VI.

Duci Joanni obvenit pars altera, eâque princeps primæ Bavariæ, Monachium, Aurburgum, Falckenſteinium, Aiblinga, Tœlzium, Mittenwaldæ telonium, Wolfertzhuſium, Grunwalda, Starnberga, Weilhaimium, Balla, Schongavia,

XXVII. gavia, Peitengavia, Landſperga, Menshinga, Meringa, Schwabeca, Rietten-burgum, Tahenſtainium, Egersberga, Vychuſium, Weichſium, Suburbium Ratisbonenſe, Ratisbonæ telonium, inſula Danubiana, quicquid in iſtam civitatem & Burggraviatum Rietenbergenſem Domui Bavaricæ juris eſt, Hirſchbergenſis Dynaſtia, Vohburgum, Sigenburgum, Neoſtadium, Pferinga, Præfectura Gaymershaimenſis, Pfaffenhovium, Geiſenfelda, Hochenwartum, Mainberga, Dachavium, Haimhuſium, Reginoſtauffium Schwainkendorfium, Luppurgum, Lengfelda, Calmunzium, Schmidmulium, Velburgum, Hembaura, Leutmanſteinium, Rudenium.

Avent. lib. 7. pag. 803. Duci Friderico, ex cujus potiſſimum ſententiâ partitio confecta eſt, ceſſit Inferior Boiaria, unáque regio, quæ erat addicta Batavis. Pars iſta cæteris longè fœcundior, & populi frequentiâ numeroſior. Ejus caput Landishuta. Acceſſere Hala dives inexhauſtâ ſalis ſcaturigine; Traunſteinium, Burghuſium, Brunovium, Oetinga, Troſtberga, Rieda, Roſenhaimium, Mosburgum, Ardinga, Ottofelda, Pfarkirchium, Biburgum, Dorfena, Neoforum, Rotenburgum. Ut portionum inæqualitatem compenſaret, fratribus octona florenorum millia in annos ſingulos addixit.

Factâ diviſione, tergemini fratres perpetuo ſe fœdere obligârunt ad mutuam concordiam & defenſionem, eâ lege, ut eorum nemo cæteris inconſultis aut nolentibus quicquam belli indiceret, nemo poſſeſſiones ſibi addictas, aut deinceps acquirendas, cuiquam daret pignori, alióve pacto alieni juris faceret; ſi

PACTA FAMILIÆ. cui vendendi aut oppignorandi foret neceſſitas, Fratribus venderet, ijs verò emere detrectantibus, tum demum ex eorum & Ordinum conſilio ac voluntate, liceret de venditione aut oppignoratione cum alijs rite paciſci. Fas eſſet nihilominus eorum cuilibet, de ſuis poſſeſſionibus, ad uxoris uſus, & pias cauſas diſponere.

XXIIX. Quod ſi eorum quiſpiam abſque legitimo filio decederet, ejuſce ditiones præſentes ac futuræ ad fratres ſuperſtites eorúmque hæredes tranſmitterentur, ſalvâ dote & alimentis filiarum, ſi quæ defuncto ſupereſſent. Diſertè pacti ſunt in poſtremum ita ſervare quæcunque Boicæ dominia, jura, ac provincias, ut nihil earum à Boico nomine ac Principatu divelleretur, quicquid ſecus fieret, hoc irritum prorſus eſſet atque inane. Quòd ſi eorum aliquis Bachavium, Spitzam, aliáve bona Auſtriacis oppignorata, Decumas Hailbrunenſes, Rottenfelſenſe Caſtrum, Gmundam, Iochſpergam & Landam pignori eximeret, is teneretur cohæredes in poſſeſſionis conſortium, ſolutâ redemptionis portione, admittere. Quòd ſi quæ deinceps controverſiæ inter dictos fratres orirentur, tertio cuipiam litis amicè componendæ foret arbitrium; aut ſi id detrectaret, diſſidentium ſingulos, tres ex ſuis nominaturos, quorum ſententiâ res finiretur. Atque hæc quidem in tabulas, prid. D. Catharinæ, menſe Novembri fuere relata. Verùm, quibus ex rebus credebatur naſcitura concordia, crevêre diſſenſiones. Acriora nunquam ſunt diſſidia, quàm ubi fratres certant de pari imperio. Facit & accendit odia parilitas natalium, & proinde creſcens in alterutros deſpicatus.

Stephanus quarto poſt diviſionem die, Monachio digreſſus, Ingolſtadij

XXIX. Dominatûs ſui ſedem poſuit: Monacenſes, præſente Friderico, in verba Joannis jurârunt. Uterque clanculum, inſcio atque excluſo Stephano, cui minùs

RURSUS MUTUÒ DE HÆREDITATE PACISCUNTUR. erant addicti, familiæ pacta mutua condidêre, quæ res Boicæ multùm erat profutura, ſi Friderici hæres Georgius Dives proximo ſæculo conventorum memor his & prioribus pactis ſtetiſſet. Relatum enim Joannis & Friderici conſenſu fuit in tabulas, ut cujus ſtirps legitima abſque liberis maribus deficeret, ſuperſtitis mares poſteri, ex aſſe, defuncti hæreditate potirentur. De Stephani Principatu minùs fuit laborandum, quippe cujus propago, in Ludovico Gibbere, anno M· CCCC. XLV. penitus exareſcens, vacuam hæreditatem fratrum poſteritati reliquit.

Joannes porrò, quò certius ſuis filijs Erneſto atque Wilhelmo addictas ex partitione Provincias, & ſi quas præterea ſors aliquando eſſet datura, aſſereret,

non

non imprudenti consilio, Ordines omnes, Antistites videlicet, & qui sacerdotes alij ad Provinciæ Comitia spectabant, tum Proceres, Equestris dignitatis homines, ac cives, Monachium accersitos, jussit in filiorum verba jurare, ne qua lis, ipso in fata concedente, de domo hercíscundâ nasceretur.

Anno proximo Fridericus prid. Non. Decembris Landishutæ vivere desijt, non sine suspicione propinati Pragæ toxici. Eò Sophiam neptem Joannis Fratris filiam duxerat, Wenceslao Cæsari dandam in manum, & in malè fortunatum Joannæ Alberti Boio-Hollandi filiæ defunctæ thalamum successuram. Id paranymphi officium suscepit eò libentiùs, quòd sibi videretur in Wenceslai benevolentiam nupero pacificationis congressu penetrâsse, eóque futurus esset gratior sponsæ adventus. Verùm non perinde domum redijt incolumis, atque abierat; sed quæcunque demum ægritudinis causa intercesserit, fatiscentibus paulatim ex isto itinere corporis viribus, elanguit, Henrico filio adhuc tum impubere, cum matre Magdalenâ Barnabovis Mediolanensis filiâ, sub fratrum superstitum tutelâ relicto. Quæ res Joannem atque Stephanum arctioris amicitiæ vinculo debebat colligare, malè dudum cohærentes distraxit. Utriusque nihilominus auctoritate Henrici tutela stetit, sed non sine simultatibus, quæ deinde in aperta odia eruperunt.

FRIDERICI OBITUS.
AN. M. CCC XCIII.
XXX.

Hoc ipso anno 17. cal. Julij Straubinga de cœlo tacta conflagravit: incendio media pars superfuit quidem, sed civis unius domus medijs erepta flammis, ostendit, curæ esse Deo illorum vota, qui se résque suas cœlitum patrocinio commendant. Civem illum se vidisse memorat Andreas Ratisbonensis presbyter, nomine Jordanum Ulrici, ætate venerandum, atque D. Petri Principis Apostolorum cultui singulari pietate addictum. Habebat ille in civitatis umbilico, prope turrim, ædes bene magnas, tectas scandulis ligneis, versus Austrum, ex eâ parte, quâ flamma grassabatur. Servabat domi suæ D. Petri iconem, quò frequentiùs sibi revocaret in mentem honores suo tutelari devotos. Ut discrimen advertit ignis sævum in modum per tecta proserpentis; En, inquit, magne Patrone, magna tui patrocinij necessitas; nisi ades hodie propitius clienti, tuæque imagini, domus tibi addicta & imago perijt. Utramque habe tibi commendatam, & si tuum clientem amas, serva utramque. Cum dicto, humani inops auxilij, excedens domo, nullâ præterea usus industriâ, se recepit in cauponam, in quâ mulsum venale, communis incendij spectator futurus potiùs, quàm restinctor. Mirum dictu, cælestis ignis sic depastus est totam eam regionem, in quâ bonus senex suum habebat domicilium, ut ne unica quidem domus maneret intacta, præter illam unicam, quam D. Petri protectioni supplicis fiduciâ devoverat. Joannes & Stephanus Boicæ Duces, Henrici ex Friderico fratre Nepotis tutores, tametsi privatim minùs inter se cohærerent, tamen mense Februario, Landishutæ, Provinciarum Ordines pupillo fidem jurejurando spondentes audiere; at cùm simultates non modò non posuissent, sed novis indies odijs accenderent, singuli ad potentiam fœderibus firmandam erant seorsim intenti. Joannes, inconsulto fratre, cum Austriacis defensionis societatem inijt, ad quam etiam traxit Galeacium Mediolanensem Vicecomitem, Elisabethâ hujus Nepte Ernesto filio desponsâ, acceptísque in dotem septuaginta quinque ducatorum millibus. Pupugere hæc Stephanum, quòd se videret à Fratre negligi, & angebat metus, ob novorum fœderum accessionem, à quibus cernebat se exclusum. Eundem stimulabat Ludovicus filius acris Princeps ingenij, neque minùs quàm parens Joanni Duci patruo suo infensus. Is Gallicâ affinitate ex Annæ Borboniæ nuptijs præfidens, cùm Bertholdum Frisingensem Episcopum fœderis cum Austrijs icti fuisse auctorem pariúmque accepisset, vindictæ cupidus, fidem Weinmanni Frisingæ Prætoris promissis expugnat, eóque trahit perfidiæ, uno duntaxat conscio, ut civitatis, neque situ, neque armis aut arte munitæ, proditionem pacisceretur. Dictum erat Christi nascentis celebre pervigilium, cùm civibus pietati operam navantibus, Ludovico ejus invadendæ copiam faceret.

And. Presbyter.
STRAUBINGÆ CONFLAGRATIO.
DOMUS INCENDIO EREPTA MIRACULO.
XXXI.
AN. M. CCC XCIV.

Bertholdo perfidia ubi ſuboluit, confeſtim ſuam Duci Joanni ſalutem commendat, queritúrque, ſe ob ejus amicitiam præſtitáque officia, ab irato Nepote peti ad vindictam. *Brunner. Tutel.* Joannes de periculo factus certior, adeſt in tempore, præſidióque urbi impoſito, proditorem conjicit in vincula, ut de eo capitali lege ageretur. M. CCC. XCV. *Aventin.* Ludovicus, quaſi injuriam accepiſſet, hoc ipſo quòd eſſet ab injuria prohibitus, Neoſtadium Joanni contributum vi invadit ac diripit octavo Idus Januarias, civium compluribus interfectis. XXXII. Tantam ajunt fuiſſe prædam, ut ſignatum aurum argentúmque non numero, ſed galeis dimenſum, inter raptores divideretur. Cætera ſpolia plauſtris impoſita, Ingolſtadium evecta. Joannes cum Erneſto filio correptis viciſſim armis, Aichæ Stephaneæ ditionis obſidionem admovet, & ſemel iterúmque ab oppugnatione repulſus, exuſtis moletrinis, caſtra ad Fridbergæ locat, eáque potitus, vicos ſuburbanos militi permittit diripiendos. Sic ivere in orbem clades, donec anno cum ſeſqui menſe circumacto, homo privatus Joanni Duci auſus eſt negotium faceſſere.

Hartmanno Onſorgio Toparchæ Wellenburgenſi erat dividiæ neſcio quid, cum Püttrichio Joannis cliente. Litis facturus compendium, diem dicit Püttrichio, in Provinciali Sueviæ prætorio. Onsorgii in Joannem Ducem insolentia. *Brun. in Tutel.* Hic cùm vadimonium non obiret, Onſorgius à Suevo Prætore non rei tantùm bona impetrat, ſed eorum etiam, qui tecto ſibi obnoxium hominem recepiſſent, ulláve re adjuviſſent. Püttrichius inter hæc Monachij fuit diverſatus, & verò etiam obſonavit. Quamobrem Onſorgius fretus Prætorijs tabulis, auſus eſt hoſpitalitatem iſtam velle in Principis clientelis ulciſci. Reipſâ finitimos Boicæ agros, è ſua Toparchiâ, quovis hoſtilitatis genere vexare non deſtitit, donec Jodocus ipſius filius cum prædonum globo incidit in Joannis copias. Ab his captus ductúſque Landſpergam, vitam libertatémque mille ducentis florenis pactus, datis vadibus, dictáque die, quâ ſe ſiſteret, è carcere dimittitur. XXXIII. Credebatur fidem eſſe præſtaturus: verùm nec illi fides nec voluntas ſervandæ pactionis. Ut tamen perfidiam tegeret, uſus eſt inſulſo vaframento. Monachium clàm atque inobſervatus irrepit, indéque pariter erepit ad ſuos. Tum obtendit, ſe utique rediiſſe & liberaſſe fidem. Iſta nequitia Auguſtanos tam ægrè habuit, ut, rati id genus fraudis, in Germano homine, velut publicum crimen à quovis eſſe vindicandum, Joannis Ducis ſuóque nomine, Wellenburgo, patriâ nebulonis ſede, ſolo æquatâ, captum reúmque perfidiæ, capitis condemnârint. Filij periculum (cùm ſupplicium differretur) patri inſolentes ſpiritus excuſſit, docuit tendere manus ſupplices, lytróque repræſentato, filij vitam redimere. Annales Auguſtani arcis Wellenburgicæ everſionem aliâ de causâ, ad annum milleſimum quadringenteſimum ſextum differunt. Privatum id fuit & levioris momenti negotium, publicum eſt, quod ſequitur, & quod aliquid contulit ad brevem ſaltem Boicæ tranquillitatem.

An. M. CCC XCVI. Pax inter Stephanum et Joannem. Annus agebatur nonageſimus hujus ſæculi ſextus, cùm Boij Fratres pernicioſarum diſſenſionum pertæſi, veriti, ne in graviora Boicæ damna deſinerent, redierunt ad priſtinam animorum conſenſionem. Hanc quia ſuſtulerat Provinciarum diviſio, invidiæ mater & æmulationis, earundem conjunctio optimum viſa remedium, quæ pacem redderet, ſopitáque diſcordiâ, Provincias à graviore partium contentione bellóque domeſtico tutas præſtaret. XXXIV. Eapropter delectis è Provinciali Nobilitate decem Proceribus detulêre controverſiarum arbitrium, Provinciiſque, quas fuerant partiti, denuo conjunctis, pace compoſitâ, *Lit. Monachij datæ 2. April.* veterem charitatem, integrârunt, non multò poſt Joanne è vivis ſublato, denuo diſſuendam. Obijt Joannes anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, Auguſti die octavo, duobus filijs Erneſto atque Wilhelmo relictis, Princeps juſti amans, quietus, ſatórque Boicorum Ducum, quos in hodiernum diem cœlum dedit, dabitque (ita voveo) ſera poſteritas.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS II.
LIBER VII.

Domesticæ Ducum Bavariæ lites. Bella civilia. Nobilitatis Boicæ & Civitatum conspirationes in suos Principes. Schisma extinctum. Aliquot Ducum Boicorum mortes. Wenceslai Cæsaris abdicatio. Ruperti, Sigismundi inauguratio. Alberti electio. Varia Concilia. Bellum Tirolense, Hussiticum. Elisabetha Boica Regina Franciæ. Decessus stirpis Boio-Hollandicæ, résque inde secutæ. Externa memorabilia.

HAud multò post Joannis excessum, Boiorum Ordines in Ernesti & Wilhelmi Fratrum verba jurârunt, impetratâ vicissim priscarum legum ac prærogativarum, more gentis, per solennes tabulas, confirmatione. Quieta hæc atque ex omni parte pacata imperij initia nihil minùs præ se ferebant, quàm belli sementem & præsagia gravissimarum turbarum inter cognatos Principes: nec ortum fuisset quicquam ejusmodi, nisi ira & facilis ad res novandas ambitio, concordiam evertisset. AN.M.CCC XCVII. *Avent.* I.

Nondum erat obducta belli, à Ludovico adversus Joannem suscepti, parùm honesta cicatrix, sed adhuc opportuna renovando vulneri, tum ex odij malè sanati memoriâ, tum ob diluendæ ignominiæ cupidinem, cujus scintillæ latebant adhuc sub doloso simulatæ benevolentiæ, quæ amicitiæ pestis est, cinere. Tametsi enim hoc ipso anno, inter Joannem Monacensem & Stephanum Ingolstadij Duces res sic erant compositæ, ut nil dissidiorum reliquum esse videretur, tamen Ludovico Barbato Stephani filio altè hærebat memoria nuperæ dissensionis, ac cupiditas rerum novandarum. Prima lis fuit de finibus hæreditatis. Ne res statim ad arma veniret, fecit Ernesti & Wilhelmi Fratrum moderatio, NOVA DISCORDIARUM SEMENTIS. *Andreas, Prunner in Tutelar.*

ratio,

M. CCC. XCVIII. *Tabulæ dat. Frisingæ Anno 1398. 10. Martij 21. ejusdem. Aichæ & 6. April.*

PACTA PACIFICA.

II.

ratio, quæ Ludovico Martem spiranti persuasit, mallet controversiam virorum sapientum arbitrio permittere. Utrorumque ergo voluntate factæ induciæ, delectique æquitatis interpretes deni è Nobilitate, totidem ex ordine civitatum, quibus bini Principes à partibus optati præsiderent, eâ lege, ut, quicquid ij decernerent, hoc ratum foret & immotum, & quæ partium, eorum sententiam detrectaret, Monacensis & Ingolstadiensis civitatum ditionúmque adhærentium jure ac possessione ex conventæ pœnæ pacto exciderer. Intercessit & aliud pactum, quo conventum 8. Id. April. inter discordes Principes, ut Conradus Preisingius Monacensem novam urbem, (quam depositi conditione custodiendam acceperat) Stephano & Ludovico Ducibus Ingolstadiensibus sine morâ traderet, si Ernestus & Wilhelmus Fratres arbitrorum judicio repugnarent. Lecti ejus compositionis Præsides Rupertus Elector Palatinus, quem paulò pòst Imperatorem videbimus, & Eberhardus Comes Wirtenbergiæ. Hi Geppingæ ipsis D. Udalrici ferijs pronuntiârunt, Ernesto & Wilhelmo Fratribus paternæ hæreditatis integram possessionem jure quo optimo sartam tectámque esse oportere, restitutis etiam, intra dies quatuordecim, terris ac proventibus, si quos Stephanus aut Ludovicus ex illorum ditionibus avertissent. Et quia Ludovicus & Ernestus, irâ stimulante, verbis acerbioribus ultro citróque jactis, ad arma mutuásque cædes venerant, utrique quies indicta & injuriarum oblivio. Cùm

AN. M. CCC XCIX.

id Decreti, recrudescentibus subinde odijs, minùs observaretur, anno nonagesimo nono, Rupertus, sub vertentem Decembrem eos jussit, nî parerent, Ratisbonam cum quatuor duntaxat Nobilium & equitum quinquaginta comitatu concedere, & sub honestâ custodiâ litis finem præstolari. Quæ res effecit, ut trimestres inducias pacti, Rupertum & Fridericum Norimbergæ Burggravium, suarum controversiarum sequestres, dicerent.

RUPERTI PALATINI SENTENTIA.

Secuta hinc Ruperti sententia 5. Id. Janu. anni sæcularis quadringentesimi supra millesimum, cujus hæc fuere præcipua capita: *Ernesto ac Wilhelmo Boicæ Ducibus paterna hæreditas quieta, prout Geppingæ nuper constitutum, relinquitor. Captivi ultro citróque sine lytro dimittuntor: damna bello illata sarciuntor, nisi si quæ arces aut munitiones solo sint æquatæ; qui milites incendijs sunt grassati, plectuntor, aut à læsis veniam obtinento. Fœdus à Ludovico cum Monacensibus adversus Ernestum & Wilhelmum Fratres initum, rescinditor. Qui Monacenses cives à Magistratu sunt proscripti, suisque fortunis spoliati, à judice Heidelbergæ ad eam rem delecto, juratóque audiuntor, quiq; fecêre injuriam seu reus sive actor, dictatam pœnam luunto: Stephanus & Ludovicus possessiones Ernesto ciúsque fratri ablatas restituunto: oppigneratas redimunto, nisi aliud libero partium consensu statuatur: quæ à Stephano & Ludovico in Superiore Boicâ sunt coëmpta, cum Ernesto & Wilhelmo, ubi pretij semissem repræsentarint, communes habentor.* Plura sigillatim ad reducendam concordiam decreta, jussique Duces armis positis, ab omni deinceps hostilitate abstinere. Attulêre hæc quietis aliquam speciem, quæ non multò pòst in novum belli incendium erat degeneratura.

III.

FAX NOVI BELLI.

Faces subdidit inveterata ira Warmundi Pienzenaviæ stirpis, rerum gestarum gloriâ opibúsque incliti. Erat Duci Stephano in flagrantissimâ gratiâ, & tantâ sapientiæ opinione, ut nihil propè esset, quod non impetraret rogando, aut suadendo non evinceret. In hujus odium Ernestus olim incurrerat, non satis animo secum reputans, istius sortis ministros, periculosiùs propè, immo plerumque nocentiùs, quàm ipsos imperantes offendi, quippe qui quò magis sunt in gradu ancipiti & præcipitio propiores, eò ferunt ægriùs, vel levi manu impelli suam dignitatem. Privatæ Warmundi offensioni causam dederat Ernesti dolor, quòd Stephanus Ratenbergense nobile oppidum Warmundo pignori addixisset in vicem Kitzbielæ ignobilioris, quam Pienzenavius pignoris nexu antea tenuerat. Ea enim Magnatum est infelicitas, ut cùm sint publicæ æmulationi expositi, non tam numerentur eorum de Principe merita, quàm donativa, clientelæ, honores, potentia, & fortunæ alia adminicula, tametsi ipsi se, res

EIUS OCCASIO.

suas,

suas, laborésque, pro salute publicâ & dominantis obsequio, ex asse devoveant. Ernestus igitur istam Rattenbergæ pignorationem, Principatûs imminutionem interpretatus, Warmundo exprobrat, causatus, id esse publicæ rei detrimentum, quod lege corrigi oporteat. Hic modestiæ, & quæ semper irato Principi debetur, reverentiæ immemor, suum jus responso ferociori ausus tueri, ilicò juvenilem Ernesti manum sensit ultricem inverecundæ defensionis, plagâ ferro acceptâ, eâque tam luculentâ, ut, cùm profundiùs in animum, quàm corpus descendisset, major ejus vindicandæ, quàm sanandæ cura Warmundum incesserit, in omnem reponendæ ignominiæ occasionem intentum. M. CCC. XCVIII.

Ita, quæ ubi frenos excussit, nihil moderatum gerit, nihilque animo versat præter crimina & atroces ulciscendi artes, eò semper fiebat acerbior, quò per longiores moras evadebat magis obstinata. Ea non antè Warmundo cavernosos nocendi modos inculcare desijt, donec viam monstravit, stravitque, Ernestum unàque fratrem insigni Principatûs parte evertendi. Telam orsus est à Monacensium, qui jam à nupero cum Ludovico fœdere parùm fidos se præstabant, alienatione, conflatâque apud nimiùm credulos adversus utrumque Principem invidiâ, quæ suo tempore desijt in apertam perduellionem. His ad audendum, si quando sors ferret, sensim comparatis, Stephanum & Ludovicum Duces aggressus, ostendit se, pro eo, ac ipse debeat, in tam beneficos Principes obsequio, rem dissimulare non posse spectantem magnopere ad utriusque incrementum, quod prò monitore sibi semper sit futurum, & æternâ lege publici decoris, summæque, quæ spectari possit, utilitatis. In ea quidem verti nonnullum proximi sanguinis detrimentum, sed cuique res proprias quàm aliorum debere esse, ut propiores, ita potiores: penes Stephanum, extincto fratre, jam residere supremam totius Boicæ domûs majestatem; Ipsi velut ætate maiori, sapientiâ, rerum usu, & auctoritate illustriori, haud dubiè Joannis filios primas debere: ad eum spectare, cum honore præcipuo, sedem principem universi dominatûs. Eam herciscundæ familiæ legem majorum exemplo constitutam, citra crimen negligi non posse, nedum violari, sine manifestâ labe supremæ in universâ familia dignationis. Hoc ipsum sentire Optimates urbis Monacensis, & queri non immeritò, se, unàque secum, vetustam Boicæ Regiam, suâ velut sede moveri, dum ab alio quàm natu meritisque grandiore Boicæ capite occupatur. Idcirco tendere manus supplices, & non tam rerum quàm honoris sui damna deprecari: Nihil non fore promptum, sed prona omnium studia, si modò Stephanus jubeat, utatúrque voto paratissimæ ad quosvis ipsius nutus civitatis. IV. WARMUNDI MOLITIONES.

Accepta hæc lubentibus auribus animisque, à Principibus, non incautis modò, sed etiam lætis, non defuturum sibi aliquod juris simulacrum, quòd suis molitionibus adversus geminos Fratres, postquam ea consilia maturvissent, posset cum aliquâ specie æquitatis obtendi. Hæc est mortalium imbecillitas, quàm ficta perinde titillant atque sincera, modò affricentur volentibus, & ad fraudem suâ jam sponte apertis. Hæc consilia per triennium clàm agitata, anno sæculi proximi secundo venêre demum in lucem, cùm Ludovicus Stephani filius Monacensium ope, Ernestum & Guilielmum Monachio ejecit. Neque enim Aventino, temporum ordinem miscere assueto, fides est, cùm eorum exilium refert in annum nonagesimum octavum. Errorem arguunt tabulæ ab Ernesto & Guilielmo Monachij consignatæ, tertio anno, qui quadringentesimum primum præcessit. V.

Inter hæc Albertus Boiariæ Dux, Ludovici Imperatoris Nepos, ante patrem Kelheimij naturæ concessit, anno M. CCC. XCIX. 13. cal. Febru. Princeps benignus & singulari in subjectos clementiâ. Vitâ defunctus, sepulchrum nactus est Straubingæ in medio choro templi Patrum Carmelitarum. Joannes ejus frater aditâ Boici Ducatûs Straubingæ possessione, ejusce gubernandi curam Henrico Nothafsio, viro manu consilijsque eximiè prompto, cujus operâ magnis *Arenbeck.* AN. M. CCC XCIX. ALBERTUS DUX STRAUBINGÆ MORITUR. *Chron. Belg.*

gnis in rebus usus etiam est in Belgio, demandavit, séque penè totum Hollandiæ cæterísque Belgicæ hæreditatis Dynastijs impendit.

VI. Wenceslai Cæsaris abdicatio.

Cùm Germanici Imperij, totius adeò orbis Christiani interesset cœlum ad consilia, quæ parabantur, habere propitium, ad placandum Numen Bonifacius Pontifex indixit Jubilæum seculare, in annum proximè sequentem, quo simul Wenceslai Imperatoris exauctorationem Imperij Electores Principésque dedêre confectam. Ejusce decernendæ causas jam memoravimus, vitam videlicet flagitiosam, & supinum Romani Imperij per summam ignaviam neglectum. Ejus abdicandi potissimus author fuit Rupertus Bavariæ Dux, Comes Rheni Palatinus, Sac. Rom. Imp. Septemvir. Comitio eam ad rem Lonsteinij, quod superius nuncupatur, indicto, convenêre die Septembris vigesimâ Joannes Archiepiscopus Moguntinus, Fridericus Archiepiscopus Coloniensis, Wernerus Archiepiscopus Trevirensis, & Rupertus, quem dixi, Comes Palatinus, multi prætereà Principes. Accusationis hæc fuere capita. Quòd Wenceslaus Januensem civitatem acceptâ pecuniâ, ab Imperio divulsam alieni juris fecisset: quòd injussu Principum Mediolanenses Vice-Comites Ducum titulis & Lombardiæ dominatu auxisset: quòd beneficiarias Imperij ditiones alijs donatas, in perpetuam liberæ conditionis proprietatem vertisset. Quòd sævijsset in homines innocentes sacri juxtà ac profani ordinis, è quibus aliquos per summum nefas propriâ etiam manu & per ludibrium occidisset, concremâsset, aquis præfocâsset, exquisitis tormentis excruciâsset: quòd vias terrâ ac fluminibus à prædonibus obsessas non repurgâsset: quòd nudas membranas rasásque sigillo Majestatis obsignatas, venales fecisset: quòd fœdus cum Rege Poloniæ Paganis addicto, contra Teutonici Ordinis Equites in bello Prussico junxisset: quòd absque omni causâ homines ad suum tribunal vadimonium obire, solâ extorquendæ pecuniæ libidine, coëgisset: quòd Pragensem Academiam, vexatis, proscriptis, spoliatisque viris litteratis ac nobilibus, in meram propè solitudinem redegisset: quòd fœdis immersus amoribus & perpetuæ ebrietati, Regni curas susque déque habuisset: quòd frequenter à Principibus, palàm ac privatim de his admonitus, omnem bonæ frugis expectationem pertinaci vecordiâ frustrâsset: quòd neque in extinguendo Ecclesiæ dissidio, neque in opprimendis Wiclefi erroribus, Turcísve aut Tartaris arcendis ab orbe Christiano, quicquam operæ vel curæ posuisset: verbo, quòd nihil Principe dignum, sed indigna exempla per omnem flagitiorum licentiam edidisset. Quibus ex causis, dictâ vulgatâque in ipsum abdicationis sententiâ, Septemviri Rupertum Bavariæ Ducem Comitem Rheni Palatinum Regem Romanorum dixerunt. Qua in re eluxit mira divinæ justitiæ dispositio, quæ simul Caroli IV. Wenceslai parentis iniquitatem & filij scelera, ulta est, authore & instigatore Ruperto, cujus familiæ, depulsis Ludovici IV. Imp. posteris, Septemviratum Carolus affixerat. Sic hoc ipsum, quod ad stabiliendum in Domo Luxenburgicâ & filij sui capite Imperij diadema usurpârat injustè, id justè Deus ad vindicanda Wenceslai flagitia æternámque ignominiam convertit. Alter Electoratus à Ludovico Brandeburgico & Ottone Boio ad Sigismundum Hungariæ Regem violenter traductus, tam nihil Wenceslao suffragatus fuit, ut Sigismundus fraternæ abdicationi operatus potiùs fuerit, quàm repugnârit. Ita Wenceslao Septemviratuum alter nihil prorsus profuit, alter obfuit quàm plurimum. Verùm ipse, quâ erat socordiâ, quasi hæc sui nominis & Majestatis damna non sentiret, nihil movens aut motus (quoad licuit) mansit Bohemiæ Regno contentus. Cæterùm Rupertus non Aquisgrani, ut voluit Arenbeckius, sed Coloniæ Agrippinæ Imperij insignia accepit, ab Aquensibus non admissus, sive quòd Wenceslai exauctorationem non probarent, sive quòd discordibus votis, quemadmodum Gerardus de Roo ad hunc annum memorat, fuisset electus. Nam Fridericus Brunsvicensis, quem Siffridus quartum nominat, ante Rupertum fuerat optatus: sed imperio non fuit potitus, injuriâ sicariorum, à quibus non multò post electionem fuit è vivis sublatus.

Margin notes: *Trithem. in Chron. Sponheim.* — Causæ abdicationis. — M. CCCC. — VII. — Rupertus Palatinus Dux Bavariæ Cæsar eligitur.

latus. Præcesserat quoque Ruperti inaugurationem Jodocus Princeps Moraviæ, quem Septemviri suffragijs ad Imperij fastigium designarant. Hic, sexto post Comitium mense, fato concessit, & consentientia Septemvirûm vota Ruperto reliquit.

Gliscebant inter hæc apud Monacenses proximæ in Ernestum ac Wilhelmum Duces rebellionis præludia. Tres è civibus, Thomas Hardfolkius, Conradus Trienerus, Vlricus Stromairius accendebant non optimè jam affectam multitudinem. Antequam flamma erumperet, in eo conatu deprehensi, cùm causâ ab urbis Prætore, intimo & extimo Senatu, à trecentûm virûm consilio in Curia Civitatis cognitâ, tentatæ apud cives seditionis fuissent convicti, securi percussi meritas suæ perfidiæ pœnas dederunt. Tabulæ damnationis extant in membranis Chartophylacij Monacensis. *Tres conjurati Monacenses à capite plexi.*

VIII. *Principes à Ludovico Landishutano Monachio senatus factione ejecti.*

Quod crimen Senatus in tribus conjuratis damnârat, idem in suos Principes ausus est altero post anno patrare. Corruptus etenim Warmundi Bienzenavij artibus, non modo conjuravit in Ernestum & Wilhelmum legitimos Principes, sed ijs ex urbe per vim ejectis, Ludovicum Ingolstadiensem Stephani Ducis filium alieni dominatûs incubatorem admisit. Etenim nihil pensi habitâ sententiâ Ruperti, de fœderis cum Ludovico Barbato initi rescissione, Monacenses aliud pepigerunt cum Stephano, jurejurando polliciti, se in Stephani, & post Stephanum, in Ludovici filij auctoritate semper futuros, ubi Stephanus effecisset, ut juratæ Ernesto & Wilhelmo fidelitatis religione solverentur, si vel partitione provinciæ justâ arbitrorum æstimatione, Monachium in suam redigeret potestatem, si juratus promitteret, se Civitatem nulli alteri transscripturum, sed ejus jura, consuetudines, immunitates, tribuum prærogativas, publicis tabulis firmaturum. Stephanus hisce legibus assensus, solenni diplomate anno hujus sæculi secundo, civitati spopondit, se eas sanctè servaturum. Quæ res cùm geminos Principes, quorum salus dignitásque agebatur, tempestivè advertisset, de injuriâ apud Rupertum Cæsarem conquesti, mandatum Norimbergæ datum tertiâ Dominicâ dierum esurialium impetrârunt, quo jubebatur concordia, ex norma placiti Heidelbergensis, quod superiori anno ipse pronuntiaverat, servari. M. CCCC. I.

IX.

Nihilo seciùs Monacenses Ludovici Barbati molitionibus incitati, Ernesto ac Wilhelmo civitate per tumultum ejectis, sese totos, ex pacto jam dicto, Stephano ac Ludovico committunt, Conrado Preisingio in nova Principum regia, quam sequestri nomine jam quinquennium occupabat, relicto. Principes mirum quantum istâ exacerbati injuriâ, Landishutam se receperunt ad Henricum Patruelem, omnia experturi, priusquam ad extrema belli remedia veniretur, rati, ut in civilibus discordijs evenit, quicunque demum belli exitus foret, neutri partium fore fortunatum, sed pari ferè utrinque damno infelicem. M. CCCC. II.

Accessit & hoc incommodi, quòd cùm Rupertus Cæsar anno superiori, sub exeuntem Autumnum, Galeacio Mediolanensi Regulo indicto per litteras bello, in Italiam profectus, improsperâ usus fortunâ, rebus Italicis esset intricatus, etiamnum procul absens, cum fructu implorari non poterat; cùm ipse clade affectus à Galeacio, desertus à Coloniensi Archiepiscopo, & Leopoldo Duce Austriæ, qui maximam partem copiarum cladi superstitem, in Germaniam reduxerant; minimè adjutus à Bonifacio Pontifice, qui ipse egebat auxilio, modico ære aspersus à Florentinis, à Venetis destitutus, in præsens Imperij negotijs nihil opis adferre posset, hoc demum anno, sub vernum tempus, Germaniam, re infeliciter apud Italos gestâ, revisurus. Quamobrem Ernesto & Wilhelmo à nullâ re magis, quàm ab armis & amicorum subsidio confugiendum fuit ad pacis artes, delectis rursus arbitris viginti, qui seorsim de Principum controversijs, præter quindecim judices, qui de Monacensium secessione, causisque concitatæ in suos Principes rebellionis, cognoscerent. Legebantur interim in Austriâ & inferiore Boicâ suppetiæ, quæ vim saltem pro Ernesto ostentarent, uti quidem ostentârunt duntaxat, nullâ re præterea gestâ, quæ digna esset *Rupertus Cæsar rem gerit infeliciter in Italia.*

X. *Principum Boicorum controversiæ per arbitros deciduntur.*

ſet tanto ad vindicandam æquitatem apparatu. Dum enim de reducendo ad obſequium Monachio conſilijs & habendis delectibus laboratur, Ludovicus Barbatus, qui effracto Monacenſi tabulario, ſpoliato ærario, publicis inſtrumentis & gazâ, unà cum urbe potitus, paſſim dominabatur; Pfaffenhovium inſuper, quod in Erneſti fide manſerat, invaſit, & magna quævis Monacenſibus pollicitus, cùm eos grandi tributo emunxiſſet, in Franciam ad ſororem Reginam digreſſus, malam cauſam iniquóſque clientes ſub cultro reliquit.

LUDOVICI BARBATI FACINUS.

Stephanus ejus parens paulò quàm filius mitiore ingenio, cùm in rerum componendarum arbitros haud gravatè conſenſiſſet, hoc anno, 7. Idus Decembris, vulgatis per Boicam litteris, profeſſus eſt, nihil ſe juris poſcere, quò minùs eæ ditiones, quæ in poſtremâ Provinciarum partitione Joanni Fratri Monacenſium Duci obvenerant; Erneſto & Wilhelmo ejus filijs, legitimo hæreditatis nomine ſubderentur. Idem eodem loci 4. Id. Decembris, diploma edidit, quo factam cum Erneſto & Wilhelmo fratribus ditionum diviſionem confirmabat.

STEPHANI MODERATIO.

XI. M. CCCC. III.

Æqua fuere hæc & omni ſpe longè auſpicatiora pacis initia, cùm omnis primæ Boicæ nobilitas, civitates, oppida, ordines univerſi, anno M. CCCC. III. poſtridie Non. Januarias, Ingolſtadij edidêre in publicum tabulas ſeptuaginta ſigillis munitas, quibus edicebant, ſe omnes datâ invicem fide conſpirâſſe ad tuendam Boicæ ſuperioris factam inter Duces partitionem, adigendóſque ad officium Monacenſes, niſi ſponte lubentéſque ad Erneſti atque Wilhelmi obſequium obſervantiámque redirent. Poſtridie Stephanus Nepotibus, per publicas tabulas, addixit auxilium omnémque operam, quâ ijdem Monacenſes ſaniora edocti ad debitam ſuis Principibus ſubmiſſionem reducerentur; tertio pòſt die, addidit litteras, quibus Ingolſtadienſes juratæ ſibi fidej religione liberos fore pronuntiavit, donec civitas Monacenſis Erneſto Wilhelmo, ex ſolenni formulâ, debitæ ſubjectionis profeſſionem renovâſſet.

BOICÆ NOBILITATIS IN MONACENSES CONSPIRATIO.

Egregiam in eâ Principum pacificatione induſtriam adhibuit Fridericus Norimbergenſis Burggravius, Henrici Ducis Landishutani affinis ex nuptijs cum Eliſabethâ Principis hujus ſorore. Rebus ad eum modum compoſitis, reliquum erat, ut Monacenſes, à quibus exortum fuerat diſſidium, in pacis partem venirent. Verùm ſatis oſtendebant, ſe, niſi coactos, nihil pro communi quiete facturos. Etenim Senatus ſanctior, penes quem potiſſima ſeceſſionis culpa reſidebat, facinoris ſui pœnas veritus, deditionem detrectans, plebem nutantem adverſus Principes animabat, imprudente conſilio; quippe quòd deſperatis alioquin auxilijs ſolâ vulgi mobilis inconſtantiâ adverſus conſpirantes univerſæ Boicæ vires nitebatur.

MONACENSIS SENATUS CONTUMACIA.

XII. *Gaſteig.*

Fratres enim Principes contracto ex Provincijs exercitu, ad quem Henricus Landishutanus acceſſit, cùm leniora nihil apud pertinaces proficerent, urbi obſidionem ſtatuerunt admovere. Ergo caſtris ultra Iſaram in campo Gaſteigio, ubi hodie Leprodochium viſitur, locatis, per æneatorem deditionem poſtulant, ſeveriora minati, niſi cives quamprimùm imperata facerent. Ad eam denuntiationem concidêre promiſcuæ multitudinis animi; cúmque Senatus nondum reſipiſceret, factus eſt ad arma concurſus à conclamantibus, communem omnium ſalutem non eſſe paucorum obſtinationi poſthabendam. Qui erant audaciores, conglobati convolant ad portam Schiferinam (cui ad rei geſtæ memoriam, hodiéque Leo adpictus viſitur) fores effringunt, & Principes urbe recipiunt. Mox exercitus quaquaverſum infuſus per fora ac compita diſpoſitis ſtationibus, totâ civitate dominari, & portis præſidio occupatis, prohibere, ne quod pateat rebellionis authoribus effugium. Vetuit Principum lenitas, ne qua vis civium fortunis aut corporibus fieret, ſupplicio ad paucorum capita revocato, quorum ſanguine ad exemplum magis, quàm ad vindictam, publica perduellionis labes dilueretur. Senatores malè conſcij è latebris protracti in lucem: ex ijs deni capitali judicio damnati ac plexi, undecimus ſacerdotis veſte tectus, deceptis quæſitorum & excubitorum vigilijs, evaſit: duodecimus ſe de mœnibus demittens ſecuri caput ſubduxit. Nonnullos, quo-

MONACENSIS TUMULTUS.

CAPTI SENATORES.

Arnbeck. AFFECTI SUPPLICIO.

quorum insignior rebellio fuerat, Aventinus & Arenbeckius scribunt, ad gestandam per annum de collo restim fuisse damnatos. Plebi, quæ tempestivo obsequio erroris veniam meruerat, Principum clementia ignovit. Versis dehinc curis ad sananda patriæ vulnera, data fuit opera, ut cives imperantium moderatione convicti, agnoscerent, se sine ingenti crimine ab eorum fide imperióque discedere nequivisse. Fridericus Burggravius, discussâ civilis dissidij tempestate, inductâque præteritorum memoriâ, concordiæ etiam in posterum sarciendæ conditiones, Principibus non invitis, dictavit prid. cal. Junij. Quarum hæc summa: *Ernestus ac Wilhelmus Duces Monacensibus, eorúmque socijs, superiorum motuum gratiam faciant: captivi ultro citróque liberi nullo redemptionis pretio dimittantur. Loca ab alterutris bello occupata, citra moram redeant ad pristinos Dominos: Monacenses inposterum suis Principibus eorúmque hæredibus, utpote legitimis dominis, jurati obsequantur: Rerum capitalium & civilium judicia per civitatis Magistratum, more majorum in cives exerceantur: si qua adversus suos Principes Civitas Monacensis fœdera societatémve inivit, eadem ipsa revocet: Libera sint per superiorem Boicam civium Monacensium commercia: Excitatæ superioribus turbis adversus arcem sepimenta, aliave munitiones solo æquentur: Fossæ & aggeres occasione istorum motuum, præter jus à Monacensibus ducti intra extráque urbis pomarium, complanentur, salvâ deinceps in alijs fossis civitatis piscandi libertate: Tandem civitas universa novo jurejurando, stabilem inposterum fidem obsequiúmque suis Principibus Ernesto ac Wilhelmo polliceatur.* Id postquam sanctè Magistratus civésque præstiterant, Principes diplomate, Frisingæ 3. Junij dato, omnia Civitatis prisca jura, immunitates, ac prærogativas in priorem sedem authoritatémque reposuerunt.

XIII. *Brunner. Tutel. p. 338.* *M.S. ex Archiu. Elector.*

PACIS CONDITIONES.

XIV.

Portò, ne de finibus controversia denuò moveretur, Provinciarum partitionem, à Duce Stephano & geminis fratribus nuper novâ pactione firmatam, Barbatus Stephani filius tabulis, Aichæ 10. cal. Majas obsignatis, ratam habuit: unde colligo eum è Franciâ, pace jam cum Stephano compositâ, in Boicam revertisse, idque seriùs, quàm honestè arma posset pro Monacensium defensione, pro eo, ac in se receperat, induere. Ne tamen nihil obtinuisse videretur, ex Friderici Burggravij decreto, ipsi permissum Peisenbergam munire, atque ornare, quibus luberet, ædificijs, arcémque Liechtenbergicam in potestate habere, de quibus nominatim in anni nonagesimi secundi divisione nihil fuerat constitutum. Conventum quoque in commune inter Principes de jure venandi, constitutis limitibus, ultra quos retia septáque fas non esset feris tendere, tametsi eas ultrà insectari liceret. Eâdem Friderici Burggravij sententiâ jussi fuerunt Ernestus & Wilhelmus fratres Suicardo Gundelfingio Iglingense castrum restituere, unà cum censibus ex ejus latifundijs & subditorum ære collatitio acceptis. Quies ijs legibus sancita inter Patrueles tenuit, donec (ut suo loco recensebitur) Stephano Ingolstadiensi vitâ functo, Ludovicus F. Princeps inquies, redux è Galliâ, inveterato in Ernestum & Wilhelmum odio, in novas contentiones exarsit. Ad hunc annum refert Aventinus D. Iodoci Landishutanæ Ædis conflagrationem, ne sacris quidem ab incendio servatis. Monachij, templum D. Jacobi Angerinum, Sanctimonialium Ordinis D. Francisci, collapsum 5. Id. Octobris, quod quadrienni labore è suis ruderibus erectum, duodecies mille signatæ pecuniæ libris, in eam, quâ hodie visitur, speciem assurrexit.

LUDOVICUS BARBATUS PACEM COMPROBAT. *Tabulæ datæ 27. Octob. 1403.*

CONFLAGRATIO TEMPLI S. JODOCI LANDISHUTÆ.

RUINA JACOBÆI IN ANGER MONACHII.

Hoc anno Magdalena è Mediolanensi Vicecomitum stirpe oriunda, Henrici Landishutani mater, vivere desijt 16. cal. Augusti, Princeps famæ integerrimæ & singularis prudentiæ, cujus specimen dedit, cùm, extincto marito, vidua minorenni adhuc Henrico perfunctoriè admodum præstitam à Stephano Landishutano tutelam modestè toleravit, cùm, ipsâ prætermissâ, rerum summa, quod Principi fœminæ meritò dolere poterat, penes Gasparem Fraunhoferum, Erasmum Preysingerum, Joannem Closnerum, Sigismundum Assentalerum, & Georgium Ahamerum, resideret.

MAGDALENA MEDIOLANENSIS MORITUR. M. CCCC. IV.

XV.

M. CCCC. IV. *Clem. Sinder. in Chron. Stengel in Annal.* BOII PRINCIPES RURSŪ CUM AUGUSTANIS COLLISI. XVI.

Sub hæc tempora, Ernesto fratríque nonnihil intercessit dividiæ cum urbe Augustanâ. Senatus ædes Anselmi Nenningij, haud procul à sacello D. Ægidij deformârat, dejectâ turriculâ, mœnibus, uti videbatur, justo propiore. Quamobrem offensus Anselmus Ecclesiæ Cathedralis custos, Augustâ demigrans, in Principum Fratrum obsequia patrociniúmque concessit. Hominem iratum Augustani novo facto irritarunt, turri ante ejus domum, quæ ædificij luminibus obstrueret, vel frontem dehonestaret, excitatâ: Res exigui momenti propè abfuit à gravi contentione. Ernestus enim suo ministro vindicias postulanti laturus opem, jussit Augustanorum commercio manus injici. Factum initium à vecturis, quæ onustæ Venetis rerum promercalium viginti sarcinis, in Partenkirchensis exactoris potestatem venêre. Eæ detentæ, non fuere priùs Augustanis mercatoribus restitutæ, quàm lite cum Anselmo compositâ, pacem cum Principe integrarent. Ne solis mortalium dissensionibus stilum commodemus, juvat etiam nonnihil sacrorum hominum consensionem, castra, militiámque dare sub aspectum. Jucundum est, quod scribit Abbas Trithemius de revocatâ hoc anno vetere Castellensis religionis disciplinâ, in Boicæ Benedictina Asceteria. Aliquid remissionis irrepserat ex temporum injuriâ & inconstantiâ humanæ imbecillitatis, in cœnobiorum mores. Otto Castellensis Monasterij Antistes Diœcesis Eistadianæ primus se suósque reduxit ad priscæ integritatis severiorem observationem, tantúmque suo exemplo profecit, ut annis succedentibus, multa ejusdem instituti Monasteria, non in Boicâ duntaxat, sed etiam in Sueviâ pristino sanctioris vitæ splendori redderentur. Valuit ista pietatis instauratio ad centum propè annos, donec Castellensi disciplinâ (quod Trithemius deplorat) nonnihil labefactatâ, cætera Cœnobia, quæ à Castellensibus vivendi normam & exempla petebant, paulatim à severâ suarum legum religione, Præsidum licentiâ magis, quàm inferiorum errore, aliquammultum desciverant.

Trithem. in Sponheim. chron. REFLORESCIT PRISCA DISCIPLINA IN MONASTERIIS BENEDICTINIS.

JUDÆORUM CRUDELITAS

Per id temporis (nisi cum Joanne Steindelio malis ad annum hujus sæculi primum referre) Judæorum immanitas desævijt Diessenhovij, in quadrimulum puerum. Eum tribus aureis à Christianis emptum, exquisitis cruciatibus excarnificatum necaverunt: quam diritatem ne ferrent impune deprehensi cædis authores, parricidium expiârunt ultimis supplicijs.

M. CCCC. V. *Annal. Fland. l. 14. Meyer. in Chron. Fland. Magn. Chron. Belg. Albic. in Geneal. Andr. Presb. Vit. Arenbeck.* MORS ALBERTI HOLLANDI.

E Ludovici IV. Imperatoris filijs superfuit Albertus Comes Rheni Palatinus, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, & Seelandiæ, Frisiæ Dynasta. Ejus obitum adscribunt externi scriptores, anno quarto exeunti: domestici, si Gewoldum excipias, asserunt, annum quintum hujus sæculi, ultimum ipsi vitæ fuisse, tribuúntque pietatis singularem laudem & egregiæ mansuetudinis. Successorem in Belgicis Provincijs habuit Wilhelmum bellicosum & magni animi Principem, cui ferri rigor, armorum tractatio, auri nitore & rei augendæ curâ fuit (ita Belgicus author prodidit) haud paulò potior. A Carolo V. sapiente Galliæ Rege, militiæ cingulum, ante Dammum Flandriæ oppidum, sponsam verò Mariam ejusdem Regis filiam, in Franciâ, accepit. Ea cùm fato immaturo è vivis fuisset sublata, nuptum duxit Margaritam Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filiam, ex qua filiam unicam sustulit Jacobæam, de qua anno hujus sæculi vigesimo secundo multa occurrent, in annales referenda.

XVII. M. CCCC. VI. *Archiv. Electoral.*

Anno supra millesimum quadringentesimo sexto, uti ostendunt membranæ veteres, compositæ fuêre per arbitros nonnullæ lites de Provinciarum finibus, rursus excitatæ à Ludovico Barbato. Constat ex ijsdem litterarum documentis, Ernestum & Wilhelmum Duces, Henrico Landishutano suo patrueli, Vohburgensem Dynastiam, accepto pretio, transcripsisse salvo jure redimendi.

M. CCCC. VIII.

Altero abhinc anno, in compescendâ Landishutanorum civium conjuratione fuit laborandum. Etenim Henricus Dux secundæ Boicæ, cùm juvenis Friderico parenti successisset, rerum summâ Proceribus antè memoratis commissâ, Stephano patruo, nomine tenus tutoris ac curatoris munia sustinente, multa passim

ſim contra morem, jura & prærogativas civium Landishutanorum peccabântur, antiquatis immunitatibus, coacervatis Reipub. oneribus; & oblitteratâ propè ſuperiorum Ducum, Friderici præſertim, clementiæ & moderati imperij exiſtimatione, quâ ſervatâ leniuntur obſequia, neglectâ, aſperantur. Iis de rebus cives Rupertum Cæſarem appellârant, graviter queſti, opprimi jura antiquæ libertatis. Henricus accuſatione inſuper habitâ, indignatus, ſuum nomen tam odiosè deferri, quatuor Senatus primores, Fridericum Pelchingerum, Martinum Aſchium, Leonardum Koettenerium, & Joannem Mospurgium, qui concitatæ multitudinis anteſignani dicebantur, carceri mancipatos, móxque proſcriptos ac fortunis omnibus everſos, egit in exilium. Quâ re non exules modò, ſed Senatus quoque univerſus vehementer exulceratus, diſſimulato tantisper dolore, ubi tutum viſum eſt, clanculùm in commune ſuam infelicitatem cœpêre lamentari, dolere vicem oppreſſæ civitatis, non tam Principis culpâ, quàm acerbitate & licentiâ miniſtrorum; conferre capita, & rationes tum reducendorum in Urbem exulum, tum vindicandorum jurium & priſtinæ libertatis veſtigare. Itum denique in hanc ſententiam: Proſcriptos clàm revocandos, adhibitiſque in conſilij ſocietatem civium præcipuis, civitati, ſi jure nequiret, apertâ vi eſſe conſulendum. Id nonnemo circa D. Bartholomæi, Aventinus die tertio ante paſchales ferias geſtum, memorat. Miſſis igitur, qui exules revocarent, lubentes reduxere. Erant Theodorico Rækelio ædes mœnibus hærentes. Ad has nocte concubiâ proſcripti adfuere, & ſilentio, ſuperatis mœnibus, recepti; cum Senatu & conſcijs civibus de rei ſummâ in medium conſuluêre. Conſulentibus intervénit caſus haud abſimilis illi, qui olim Catilinariam conjurationem detexit. Rækelij conjugem, Fulviâ ne pilo quidem meliorem, quidam Palatinus Henrici Ducis miniſter nobilis Ulricus Ebram deperibat. Is domum admiſſus ab adulterâ, déque Senatorum civiúmque opertaneo cœtu edoctus, juratâ ſilentij fide, ad fores cœnaculi, ubi frequens Senatus civéſque coierant, adducitur: ſingulorum propè conſultorum vultu vocibúſque, quantum ſatis, exploratis, curriculo ad Regiam regreſſus, viſa auditáque pandit ex ordine Georgio Ahamero Aulæ Præfecto, & Sigismundo Affentalero: qui continuò facinus & proximum diſcrimen exaggerantes, ad Henricum Principem ingreſſi, conjurationem, & imminens, niſi mox eatur obviam, exitium trepidi aperiunt. Cives videlicet in Principis caput conſpiraſſe, proſcriptos retraxiſſe in Urbem, quæ tota paulò pòſt in armis átque Aulæ cædibus ſit futura, niſi confeſtim conjuratorum conſilia conatúſque occupentur: Principis ſalutem in celeritate conſiſtere. Jubet igitur Henricus famulitium aulicum armari, acciri è veſtigio, quicquid in promptu erat Palatinæ nobilitatis, convolari ad arma, citatóque agmine ad opprimendam conjurationem properari. Cum dicto itur in cives, ſenatu nondum ſoluto, qui improviſo armatorum adventu oppreſſi, & reſiſtendo impares, fugam & latebras potiùs quàm pugnam ſectati, domum clamoribus, civitatem tumultuariâ concurſatione implevęrunt. Pars ſaltu ſe libravere de mœnibus, complures noctis beneficio evaſère in abditos receſſus, pars capti, luminibus orbati, bonis fiſco addictis, cum uxoribus & liberis ejecti in exilium. In Leitgebium, alióſque lege capitali majorum more animadverſum. Ejuſce exempli fama propagata ad poſteros jactavit, Henricum, quoad vixit, ejuſce ſeveritatis ſolitum cum gemitu meminiſſe, cùm ingenium unà cum ætate eſſet mitigatum, & ab improbis conſultoribus expeditum. Certè ſumpto de conjuratis ſupplicio, ſi Aventino fides eſt, animum à facti tam triſtis recordatione avocaturus, Ratisbonæ ſecundùm ferias paſchales, ludis equeſtribus interfuit, ipſéque, Stephanus patruus ac Guilielmus patruelis, palmari decurſu gloriosè certavere. Tam rudis erat id temporis cultus religionis, quaſi id laxamenti genus inſignis eſſet ſpecies Chriſtianæ pietatis. XVIII.

M. CCCC. VIII.

XIX.

VARIÆ LITES COMPOSITÆ. *Archiu. Electoral.*

Non paucas hoc anno lites per Bertholdum Friſingenſem Epiſcopum & Fridericum Norimbergenſem Burggravium à Stephano & Ludovico filio, cæteriſ-

que Bavariæ Principibus delectos arbitros finitas, produnt veteres membranæ; in quibus hæ alicujus notæ. Atque inprimis quidem Duces sunt polliciti, se Ecclesiam Frisingensem & arcem suis immunitatibus ac libertati permissuros; temperaturos inposterum Principes à vi & damnis mutuò inferendis. Ernestum & Wilhelmum, ubi ter mille aureolos persolverint, arcem Aurpurgensem à Pienzenavio recepturos; insuetum vectigal, quod cœperat Kurnstainij exigi, esse abrogandum. Præterea Gaimersheimensem Dynastiam, Ernesto & Wilhelmo liberam à Duce Stephano oportere relinqui. Deinde Stimum id temporis oppidum (hodie pagus est) haud procul ab Ingolstadio, malè à Duce Ludovico fuisse Aulæ Richardinæ jurisdictioni tributum: nihil circa Landspergæ & Pfaffenhovij provincialia tribunalia esse novandum. Salis devehendi itinera, quæ à Novostadio Ludovicus Ingolstadium averterat, Oetinganam item Salinatorum viam, nihil ab usu pristino, posse jure removeri. Si quæ essent æris nomina, quæ olim Duces, imperio nondum diviso, fecissent, ea, quibus certa pignora essent opposita, dilui à pignorum hodiernis possessoribus oportere, quæ carerent pignore, in omnes, ex æquo, habitâ stirpis ratione, esse partienda: Ratenbergæ & Wasserburgi; de singulis dolijs unum duntaxat aureolum portorij nomine deberi à vectoribus.

XX. *Litt. datæ Frisingæ feria 2. post. fest. Inventionis S. Crucis. Frisingæ die eodem. Reichertshoffen.*

M. CCCC. IX. DUX LUDOVICUS REDUX IN GALLIAM, NUBIT ANNÆ BORBONIÆ.

Porrò Ludovicus Barbatus, domesticis curis solutus, in Galliam reverterat; sororis suæ Isabellæ Reginæ interpositione suísque meritis, Carolo Regi acceptus. Quò se Francicæ affinitati arctiùs innecteret, duxerat Annam Borboniam, viduam Petri Navarræ, qui Caroli Regis Navarræ erat germanus, è qua sustulit secúmque in Germaniam reduxit Ludovicum Gibberem Comitem Graispacensem, duobus alijs filijs in Galliâ fato immaturo extinctis. Annales Flandrici memorant, litem à Joanne Burgundionum Duce sequestro inter Joannem Brabantiæ Regulum & Guilielmum Bavarum Hannoniæ & Hollandiæ Principem, hoc anno fuisse compositam. Litis materia nata erat ex Joannæ Brabantinæ cum Guilielmo I. Boio Ludovici IV. filio nuptijs. Repetebat Brabantus septuaginta aureorum millia, dotem Joannæ profectitiam, quippe quæ nullos Guilielmo liberos dederat, eámque dotem hæreditate transmiserat ad Ducem Joannem. Pronuntiavit Burgundus secundum Brabantum, imperatâ dotis restitutione.

Annal. Flandria.

XXI. Cæterùm, Ludovicum præcipuo apud Carolum Franciæ Regem loco fuisse, vel inde apparet, quòd eum hoc anno, cùm ex intervallo Rex meliusculè haberet, inter præcipuæ dignationis Principes, festis Christi Natalitijs, festivo epulo consilióque, in quo de Regni ministris stabiliendis aut novandis constitutum, adhibuerit. Guilielmus Hollandus ijsdem rebus ex Regis voluntate scribitur, cum Biturigum, Burgundiæ, Borbonij, & Austrasiæ Ducibus, Rege Navarræ, alijsque novemdecim Principibus interfuisse. Unde colligere est, Abbatem Tritheimium huic anno malè adscripsisse Wilhelmi Hollandi obitum, quem meliores tabulæ multis adhuc annis superfuisse memorant.

M. CCCC. X. RUPERTI IMPERATORIS OBITUS.

Funestavit hunc annum mors Ruperti Imperatoris, Oppenheimij, 15. cal. Junij. Tumulatus fuit more regio, in æde S. Spiritûs, quam ipse, antequam ad Imperij fastigium ascenderet, construxerat Heidelbergæ, Princeps pace bellóque clarus, puræ religionis amator, justus, & bonis litteris apprimè favens, quibus perdiscendis Heidelbergensem Academiam condidit, dotavit, variísque privilegijs curavit exornandam.

SUCCEDIT SIGISMUNDUS.

Ruperto rebus mortalibus educto, Sigismundus Hungariæ Rex Caroli IV. filius, consentientibus Septemvirûm calculis successit, eo loco dignus; futurus dignior, si ad pacis artes, parem belli gerendi felicitatem attulisset. Fuit Wenceslao longè melior ab ipsâ pueritiâ. Regiam majestatem ornabat corporis proceritas, munificentia, linguarum multarum peritia, quâ omnes facilè sui ævi Reges antecellebat. Illud de ejus electione memorant. Cùm ad Augustalia Comitia ab Electore Moguntino, velut Elector Brandeburgicus vocatus accessisset, & regiæ ejus dignitati primæ dicendi suffragij vices essent delatæ, rogatus, quem nominaret?

naret? Me (inquit) ego novi, alios non item. Cùm nesciam, an quispiam alius æquè sit idoneus capessendo orbis imperio, in tantâ præsertim rei Christianæ, ob Pontificum multiplicitatem, agitatione, meipsum nomino. Mirati hunc Sigismundi candorem cæteri Electores, ejus votum communi assensu comprobarunt. Bonam certè operam in abolendo Ecclesiæ schismate locavit.

Respirabat à bellis civilibus Boica, cùm Ernestum ac Wilhelmum fratres unáque Stephanum patruum externæ turbæ, ad bellum cœptu pariter exitúque inglorium exciverunt. Belli incentivum ab Henrico Rotenbergico Caldariensi (id à vulgo nomen acceperat) Tirolensium Dynastarum locupletissimo. Magna illi potentia, multæ clientelæ, atque inter totius regionis optimates præcipua dignitas. Accedebat Friderici Archiducis, quem ab inopiâ procaces subditi, qui erant ex equestri præsertim & sacro ordine, Fridericum cum vacuâ perâ appellitabant, contemptus, semper infestus Principibus, miniméque gentium tolerabilis. Augebant Henrici fidentiam arcis Tirolis (unde regioni nomen) & aliorum aliquot locorum potentes Præfecturæ. Ne Fridericus suorum dicteria contumeliásque castigaret, obstabat ærarij vacuitas, quæ precariam Procerum opem exigebat potiùs, quàm vindictam, quæque faciebat, ut vanæ forent sine viribus iræ. Verbo, Principi non indecora modò semper est, sed & noxia paupertas, ea maximè, quæ nascitur ex indiligentiâ censúsque neglectu ac profusione. A Rotenbergico, quàm à reliqua Nobilitate, major erat metus, ut qui summo Magistratui absque collegâ impositus, maxima secum rerum momenta trahebat, inflabátque hominem supra sortis moderatæ modum, eorum exemplo, qui indigni insolentésque ad rerum culmen malè evecti, nec detrahuntur sine periculo, nec retinentur absque noxâ & vulgi obloquijs. Quicquid tandem dividiæ intercesserit (causam non produnt scriptores) Henricus exasperato in Archiducem animo, Ernestum ac Wilhelmum Monacenses, unáque Stephanum Ingolstadiensem Boios Duces, in Fridericum incitatos, ad inferendum bellum induxit. Enimvero ajebat adesse tempus vetera Boicæ jura vindicandi: memoriâ Boij Duces repeterent, quàm iniquè non ita pridem essent à Tiroliorum iustissimâ possessione dimoti: eam nullo jam propè negotio posse, si velint, recuperari, meliore jure quàm esset ablata: prona fore omnia & facilia: Fridericum exhausto ærario, ad bellum prorsus imparatum, & à suis, quibus esset odiosus, certò deserendum, levi operâ Principatu posse deijci: & se quidem rei bene gerendæ non mediocre momentum additurum. Plerasque enim regionis munitiones in suâ esse manu; ijs occupatis, cætera fore aperta: allaturum se præterea vires non contemnendas. Principes grandibus promissis passi se excitari, tam bellam occasionem minimè negligendam esse decernunt. Ergo arma expediunt, séque properè accingunt expeditioni. Iter ingressos monuit aliquis, caverent, ne alieno inhiantes, suo nido exciderent. Id Ernestus ad se potissimùm pertinere ratus, imperio militari penes fratrem relicto, nè quis domi tumultus, aut ab Austrijs irruptio, se absente, existeret, Monachium ad sua tutanda redijt. Stephanus & Wilhelmus per Oenanam vallem, ad Volterranum usque pontem, nemine obsistente, progressi, Halensium diligentiâ, qui pontem inciderant, retroacti sunt. Ne tamen nihil egisse viderentur, Mazenam Udalrici Freundspergij arcem tormentis verberare aggressi, illic quoque bimestrem operam perdidere. Fraude id contigit nonnullorum ex equestri ordine, qui Udalrico addicti, rem agebant lentè ac segniter adversus animosos propugnatores, qui nihil morati muri stragem, locum acriter tuebantur.

M. CCCC. XI.

Gerard. Rov. l. 4. Hist. Aust.

XXII.

TIROLENSE BELLUM.

EGESTAS PRINCIPIS NOXIA PUBLICO.

Arenbeck, Brunner in Tutel.

XXIII.

EXPEDITIO FRUSTRANEA.

Cùm Boij à suis proditi tempus sumptúsque perderent, Georgius Passaviensium Antistes ex vetustâ Comitum Hohenloënsium familiâ, rei componendæ opportunus sequester, biennes persuasit inducias Principibus non invitis. Friderico quidem, cui quies bello erat potior, Boijs verò dedecoris accipiendi velut certis, nisi quiescerent.

INDUCIÆ.

Sancitâ armorum cessatione, hieme jam appetente, Fridericus captum

Rotenbergium jubet in vinculis deduci Oenobriam ad Oenipontem, & haberi
M. CCCC. XI. in arctissimâ custodiâ. Dati captivo rerum capitalium quæsitores. Cùm perduellionis teneretur, percontantibus, ecquidnam esset, cur solus ipse, tot
XXIV. affectus beneficijs, tam inhumanam vicem, optimo Principi, nullâ re læsus reposuerit, ut ausus sit in eum externa arma concitare? Negavit se solum esse, qui Principem odisset; longè plures esse in eadem navi. Jussus consciorum nomina edere, complurium edidit. Cùm vocati constanter inficiarentur
Duellum Tirolense. se Principis odio imbutos, vel quicquam hostile insidiosúmve egisse, Henricus asseveravit, se singulos monomachiæ certamine, capitis sui periculo, convicturum, si per Principem id documenti genus probaretur. Ergo Princeps (quæ fuit istius ævi cruditas) facit singularis pugnæ potestatem. Pfandorferus unus è delatis omnium pugnacissimus primas sibi poscit partes vindiciarum; sed victus, & adverso vulnere ex equo effusus exanimis, cæteros suo casu exanimavit, ne ullus porrò vellet esse succedanea patriæ proditæ victima. Dedit nihilominus Rotenbergius pœnas suo sceleri, toxico, quod conjurati clàm propinandum curârunt, sublatus è medio. Fuit alioqui homo ferus, impius, adeóque crudelis, ut ne à matre quidem parricidales manus abstineret, quam fama vulgavit ejus ferro cecidisse. Fridericus ejus nece minimè tristis, omnibus ejus bonis in fiscum redactis, adeptus est rem haud modicam, quâ vacuam peram impleret.

Bellum repetitur. XXV. Cæterùm, sancitas in biennium inducias Boij Principes cum fide servavêre. Iis exeuntibus, Stephanus exercitu, ex delecto milite & centuriatis Provincialium cohortibus instaurato, bellum nihilo melioribus auspicijs repetijt. Et ipse quidem Ratenbergæ substitit: sed miles dejectis Tirolio rum, quæ castellatim pro tuendis provinciæ faucibus excubabant, præsidijs, per alteram Oeni oram progressus, in Halensi agro castra posuit. Est Hala oppidum salis proventu nobile Oeno adsitum. Cùm in ejus oppugnatione Boij nihil promoverent, iram verterunt in canales, quibus salsugo coquenda in sartagines derivatur. Iis concisis, nonnihil damni attulere obsessis, sibi nihil quicquam utilitatis aut gloriæ.
Pax componitur. Plus obfuere agrestibus, villis incensis, vexatísque varijs belli incommodis. Ne longiùs bellum inimicitiæque proveherentur, intercessit Eberhardus Kirchbergius Augustanus Antistes, quo arbitro pax convenit, quam non multò pòst Stephani mors est consecuta.

Litteræ ex Archivo Monacen. Anno undecimo hujus sæculi, feriâ quintâ post D. Martini, Ernesti & Wilhelmi decreto, civibus Monacensibus fuit indultum, ut, qui ex urbe cum familiâ commigrare aliò cuperent, id cum bonâ Principum veniâ ipsis esset integrum, eâ tamen lege, ut de suis rebus, tantum tributi penderent, quantum triennio sequenti à cæteris, qualequale id demum futurum esset, exigeretur. Unde colligo, jam tum alibi locorum in Germania receptum fuisse morem, qui hodiéque passim in usu est, ejusmodi pensionis ab emigrantibus in fiscum referendæ.

M. CCCC. XII. Secundum hæc Ludovicus Stephani filius, Isabellæ Caroli VI. Franciæ Regis uxoris frater, ingens vitæ periculum rerúmque adijt ex intestinis Domûs Au-
XXVI. relianensis & Burgundicæ factionibus, quas invidia primùm, deinde Ducis Aurelianensis Caroli Regis germani cædes conflârat. Juvat paulò altiùs causas repetere. Anno hujus sæculi septimo, Ludovicus Aurelianorum Dux, cùm ab Elisabethâ Boicâ Reginâ, ex puerperio decumbente, multâ jam nocte domum
Paul. Æmil. in Carol VI. rediret, occisus fuit. Percussores in ædes Burgundionis, cujus imperio scelus fuerat patratum, se recepêre, atque inde Attrebates. Auctor ignorari diu non
Ducis Aurelianensis à Joanne Burgundo patrata cædes. potuit, cùm non lateret inveteratum odium & ejus diuturna consilia, æmulum è medio tollendi. Igitur Joannes Burgundio cædis ministros secutus, armorum causam nactus, in Eburones exercitum duxit, suppetias Joanni Bavaro eorundem Antistiti, eo bello, quo diximus eum de refractarijs triumphâsse. Victor cruentâ pugnâ Burgundio, evasit Francis magis formidandus. Interea Valentina Ludovici interempti uxor, cum liberis parente orbatis, prensabat

Francos Proceres Regisque fidem assiduè implorabat, ne fratris sui cædem pateretur inultam. Joannes Dux, dicturus causam, Parisijs adfuit comitatu non inermi, sed qui par esset obsistendo, si quam vim adversarij molirentur. Et jam diu antè sibi Parisiensium & potentiorum Galliæ civitatum studia conciliaverat, specie impetrandi, ut tributis, quæ indies crescebant, levarentur. Apud Regem & Judices defuncti manes nomenque insectatus, postulabat, ut jure cæsus diceretur: eum enim à Pontifice postulasse, ut Rex, quem rationis usus frequenter deficiebat, velut regno inutilis, adinstar Childerici exauctoraretur. Arguebat Ludovicum, ope Valentinæ uxoris, per magica carmina, Regis mentem evertisse spe regni invadendi. Valentinam veneficij, maritum tentatæ Tyrannidis insimulabat. In talium scelerum noxios nullam vim cujusvis esse injustam: se, qui patriam Regemque vindicasset, triplici præmio remunerandum, gratia, honore, divitijs. Joannes cognomento Parvus, professione Minor, in cœtu Procerum, Rege præside, causam Burgundionis egit. Exitus fuit, ut causa quidem non probaretur, sed venia tamen Ducis potentiæ jam metuendæ daretur & delicti gratia fieret. Sed idcirco iræ animorumque certamina non fuere extincta. Varij rerum motus, hominum conatus multiplices, misera temporum conditio, qualem faciebat mens Regis vacillans, & sedes rationis labefactæ, Ducibus dissentientibus, pace incertâ, domestici belli expectatione, eâ rerum confusione, ut etiam lanij, cirori assuetum genus hominum, Lutetiæ, in partes Burgundionis reciperentur. Delphino nupserat Burgundionis filia. Quamobrem Burgundio tanti generi majestate, cui Regnum, Carolo extincto, deberetur, suas partes fecit firmiores, Regis Reginæque potens. Subinde bello in oppugnandis, propugnandisque Biturigibus accenso, solutáque obsidione, pacis nomen inter Burgundionem & Aurelianensem redintegratum, integris odijs. Carolum Aurelianum urebat, quòd Burgundo ejusque partiarijs prima regiæ munia regnique procuratio, exclusis ferè parentis sui familiaribus, paterent: nec poterat oblitterari patris nuper interfecti recèns semper memoria. Ad quemvis motum, prona omnia ad tumultus. Lanij Parisienses, Rege præter solitum laborante, arma corripiunt, fiuntque Delphino Burgundionis genero authores, regni procurationem ut arripiat, antequam Burgundo absente, eam Britannus & Biturix invadant: Contrà Comitis Armeniaci copiæ (novum factionis incrementum) Burgundo nituntur prævertere. Parisienses Biturigi infensi, ejus ædes in urbe regia deformant, Vincestrinas incendunt, Sequanæ pontes extra urbem dissolvunt, Corbelium præsidio muniunt: Regis edicto cavetur, nequis Armeniacis, sed omnes nomina dent Burgundo, eum non secus ac Regem colant & accipiant: tantum valebat popularitas ex tributorum speratâ minutione conciliata, & inita à Rege gratia. Hinc magnus ad Burgundi signa concursus: trahebat præterea è Flandriâ, rebus omnibus instructa selectissimorum armatorum supra viginti quinque millia; vires adjunxerant Brabantus, Joannes Leodiensis Antistes Bavaro-Hollandus, Sabaudus. Hanum oppidum ad Somonam expugnatum, direptum, crematum. Nigella, Roia, Channiacum deditione accepta: ingens rei bene gerendæ expectatio, quam corrupêre Gandavenses, ab exercitu, invito Duce, digressi, Flandri verò, ne seditiones moverent, ab eodem domum remissi.

M. CCCC. XII.

Rerum status in Gallia.

XXVII.

Annal. Flandr. l. 15.

XXIIX.

Hinc erecti Armeniacorum animi, qui sub signis numerabant, præter legiones, sex equitum millia, mirè avidi trahendi Caroli Regis in suam potestatem. Quam ad rem ex Claromonte Bellovacorum, movent in Parisios, Dionysij fanum & D. Clodoaldi pontem occupant: eorum Duces, Carolus, Philippus, Joannes Aurelianensis; Bernardus Armeniacus, Joannes Biturix, Carolus Albretus, Joannes Alenconius, regni hostes à Rege judicati, pugnam deinceps, si copia fieret, non detrectaturi.

Nihilo seciùs Burgundio à Ponte Isaræ, ubi per ternas hebdomades quietus tentatam à sicario necem evaserat, cum quindecim millibus Parisios,

pene-

penetrat, atque indè ducit in Armeniacos ad Pontem Clodoaldi. Hic commissæ acies, grandis clades illata Armeniacis: receptum dehinc fanum Dionysij: bini Duces Borbonij liberi, puer unus, alter virgo capiuntur. Comitatus Virtutum, Bononiensis, Ugellensis, Gamathius, Valesius, Cociacus Regi redduntur: in Ocitanis, Aquitanis, & Pictonibus fœdè vastantur Biturigis, Armeniaci & Allebretani regiones. Ludovicus Andium Dux Rex Siculus, ad Burgundionem accedit. Parisij hujus ope liberati, & prisco privilegiorum usui, quibus anno octogesimo secundo superioris sæculi, Regis edicto exciderant, restituti, Burgundionem, velut è cœlo lapsum numen, vindicem urbis, adorare, habere
XXIX. in amore flagrantissimo. Hæc ante annum duodecimum, qui totus abijt in seditiones & conflictus. Victi Armeniaci in Comitatu Alenconio, deinde in Vasconiâ, tum ad Stampas. In Pictonibus fusi Bituriges: Pictones ad Regis obsequium recepti.

Quibus cladibus ea factio mirè debilitata fœdere cum Anglis sancito, octingentos alarios, quater mille legionarios ab Henrico Rege acceperunt. His turbis subductus Burgundionis filius Philippus adolescens florentissimus, qui anno præterlapso Parisios jussu patris venerat. Eum comitata est Gandavum Michaelis nova nupta Caroli Regis filia. Obsidionem Avarici Biturigum, in quo Ludovicus Bavarus Comes Moretanius, Regi, qui in castris aderat, bonam navavit operam, secuta pax Antissiodorensis ob metum plerorumque Armeniacæ societatis capitum, qui in urbe premebantur à Rege, Delphini interpositu impetrata, juratáque sub ferias assumptæ Virginis. Fucus fiebat Regi ejúsque partiarijs concordiâ malè sartâ, exulceratísque Aurelianensium animis. Neque ideo à domesticis tumultibus quies fuit.

M. CCCC. XII.

Ludovicus Barbatus captivus periclitatur.

Rem præposterè, more suo, recenset Aventinus; Meyerus veriùs & meliori ordine. Parisij duodecim hominum millia conglobati, seditionem movent favente Burgundo. Capti complures præcipuæ dignitatis, atque in his Ludovicus Moretanius Bavarus Stephani filius. Pro illo utpote Reginæ germano, omnis primaria nobilitas collachrymans, apud furentem plebem intercessit: ipse verò Ludovicus nullius criminis sibi conscius, nihil deprecari, poscere, ut si quid compertus esset deliquisse, protinus tolleretur, sin esset insons, permitteretur uti suâ libertate. Ipsi conciverat Burgundionis odium amicitia Borbonici sanguinis. Hanc seditionem movere Laniones. Captivi Rex ipse & Delphinus jussi extra regiam habitare & custodiri, unáque Regina & Ludovicus Bojus. Capita conjurationis Burgundionis familiares, ipso authore: ad quem Delphinus, cùm caperetur; Tu, inquit, mi patrue, hunc quidem nobis ludum, sed cujus aliquando te pœnitebit. Lanij litteras Procerum manu signatas expresserunt à Rege, quibus vetabatur, ne seditiosis hæc factio fraudi aliquando esset, quan-
XXX. doquidem illa pro Reipublicæ salute fuisset. Multi ex urbe clàm profugêre. Captivorum alij in Sequana amne extincti, alij è vestigio, indictâ causâ, trucidati. Capita infixa hastilibus ludibrio exposita, cadavera acta in furcas.
Nata hinc perdendi Burgundionis consilia, Ludovico Andegavo, Siculo Rege, Carolo Aurelio, Philippo Ugellano, Philippo Comite Virtutum, Joanne Britanno, Arturo ejus fratre, Joanne Borbonio, Joanne Alenconio, Vernolio in ejus necem conspirantibus, & bellum Parisijs indicentibus, ni mox Regem captivósque libertati redderent; unde secuta pax Pontisarana, Rege, Reginâ, Delphino, Bavaro, Eduardo Ambaro in libertatem assertis. Mansere nihilo seciùs odia, æmulationes, ingens vindictæ cupido: gratia casta integráque sanciri nullo pacto potuit. Exinde factio Aurelianensis evasit potentior, permultis Parisiorum ad Delphinum deficientibus, perosis crudelitatem Laniorum, ipso Burgundo in Flandriam abeunte, regni administratione penes adversarios relictâ.

Pontoise.

Stephanus Dux moritur. *Aventin.*

Sub hæc ad Ludovicum è Boicâ adferuntur pullatæ litteræ de Stephani parentis obitu. Hic compositis in Bohemiâ Regis Procerúmque discordijs (si quâ uni

uni Aventino adversus aliorum silentium fides) reversus in Boicam, diem clauserat Schœnfeldij apud Lycatios, fueratque ibidem sepultus, sub exeuntem Septembrem. Accepto de ejus morte nuntio, Ludovicus è turbis Francicis se expedijt redux in patriam, cum multâ gazâ, Regis ac Reginæ dono, & quæstu suæ industriæ. Ejus pars visitur hodie Ingolstadij, & in sacrario Oetinganæ Virginis, reliquam Rupertus Palatinus bello, quod contra Albertum Sapientem gessit, suæ potestatis fecit. M. CCCC. XIII. XXXI.

Fuit alioqui Stephanus Princeps supra censum sumptuosus, ludis equestribus impensè deditus: unde haud exigua æris alieni nomina Ludovico filio luenda reliquit. Is ipse est, qui Mediolani in familiari sermone, quem cum Galeacio socero habuit, cùm Galeacius suam potentiam depellendis subjectorum insidijs opportunam referret, suorum amorem, omnibus armis valentiorem fideliorémque collaudans, dixit, se à suis Boijs sic coli & amari, ut ex ijs nemo unus esset, in cujus gremio non esset securam noctis quietem capturus; quod dictum, & Bojorum in suos Principes fidem, Galeacius vehementer fuit admiratus.

Hoc anno Sandorfij 9. cal. April. inter Almonem & Danubium, quà Boica Aquilonem spectat, in moletrinâ, natum informe monstrum, puella gemina, biceps, quaternis brachijs, manibus totidem ac pedibus.

Aventinus hoc anno Norimbergæ & Viennæ religiosas Scotorum familias proscriptas affirmat, Germanis in eorum sedes inductis. Verùm Andreas æqualis horum temporum, & Steindelius, id factum ad annum decimum septimum referunt.

Inter hæc concursus Oratorum totius nominis Christiani fiebat ad Cæsarem; quòd eum intelligerent suscepisse, & re ipsâ agere patrocinium concordiæ in Ecclesiam reducendæ. Consensu actum cum Joanne Pontifice, ut sine frustratione, omnium gentium votis, suam quoque voluntatem jungeret, Concilio Generali indicendo. Id enim vel faciendum, vel offendendum genus humanum. Quamobrem legit Joannes duos Cardinales, quos mitteret Legatos in Germaniam. His ediderat nomina urbium, quò placeret conveniri: sed ijs jam abituris, mutatâ repentè voluntate, libera ijs mandata impertitus; Ite (inquit) quod è fide vestrâ videbitur, facite: discerptísque, quæ scripta dederat, nominibus, dimisit. Eò visum Numen res tandem humanas benigno vultu respexisse, quas triplex divortium affligebat: Id Joannis factum non ipsi modò, sed terris omnibus saluti fuit, & magno ad tergeminorum Pontificum abrogationem emolumento: alioqui nullus futurus erat seditionum exitus, donec duraret de loco faciendæ pacis infinita contentio. Ergo delecta Constantia, miro Sigismundi Augusti gaudio, in cujus fide isthæc erat civitas. Haud erat dubium, Italicæ gentis Patres eò conventuros, & in authoritate Comitij futuros Gregorium ac Joannem utrumque patriâ Italum. Quò minùs de Benedicto foret spei, persuadebat ipsius pervicacia. Franci eum de sententiâ non moverant; Hispani pertinaciam fovebant. Sigismundum nihilominus, an augustæ suæ majestatis cohortatione & præsentiâ plùs esset promoturus, statuit experiri, ut ille totius nominis Christiani fidei se crederet. Perpauci Cæsares in bello, ut de hoste victoriam ferrent, tot labores adiêre, quot Sigismundus, bello ferè infelix, ut Ecclesiæ pacem constitueret. Quod mirere; Perpinianum se contulit, ubi ex composito, Tarraconensis Rex & Benedictus in colloquium congressi sunt. Actum cum Benedicto, ut quando tantus consensus humanæ gentis sine Numine esse non potuerit, ac jam certatim Constantiam Dei Ecclesia confluat, non alienum à suâ religione existimaret profiteri, se in authoritate totius Orbis Christiani futurum, id quod Joannes jam addixisset, Gregorius verò aut sponte, aut potentiâ conspirantis Ecclesiæ sit facturus. Jam septem annis superaverat Benedictus Lunensis septuagesimum, ac meritò credebatur id Deo, religioni, suæ canitiei & famæ posthumæ daturus, ne unus à posteris sacram Orbis universi tranquillitatem intercipere voluisse diceretur. Verùm ille, ut erat eru- M. CCCC. XIV.

XXXII.

Paul. Æmili. in Carol. IV.

CONCILIUM CONSTANTIENSE.

SIGISMUNDUS PERPINIANUM PROFICISCITUR.

XXXIII. eruditione & facundiâ insigni, quâ vel privatus nemini suorum temporum cederet, voce, lateribus, spirituque animi magnitudinem æquante, septem continenter horas suam causam oravit, tantâ contentione, ut Ferdinandus Rex, tædio longæ ac intempestivæ dictionis affectus, dicenti non modò non fuerit assensus, sed decreverit, eum deinceps in ordinem redigere. Orationis hæc summa fuit. Contendebat se enimvero esse legitimum Pontificem, ac si non esset, tamen solum ex omnibus Cardinalibus superesse, qui aut à Gregorio XI. indubitato Pontifice, aut à recentioribus Pontificibus sint donati Purpurâ: reliquos à controversi juris æmulis esse creatos, nec dici posse certos, sed ambiguos Cardinales. Quòd si sedes Pontifice vacet, si sit interregnum, si ex usu & dignitate sit rei Christianæ cedere Pontificatu, penes se unum ac nonnullos Canonicos Romanos, quos nominaret ipse, fore jus eligendi Pontificis. Cæsar Rexque Ferdinandus, nihil contra obstinatam orationem pugnandum rati, id duntaxat suasere: fideret suæ causæ, atque hæc eadem, quæ prolixè demonstraverat, vel ipse coràm, vel per Legatos Constantiæ peroraret: Si persuaderet, sanctiùs ac gloriosiùs Pontificiâ Majestate usurum, sin quid secus è re Christianâ decerneretur, & nova Comitia de eligendo Pontifice haberi placeret, ipsi non esse desperandum, cùm in ipso sint eæ animi pectorisque dotes, quas in Pontifice esse oporteat: haud dubiè futurum, ut Orbis terrarum consensu deligatur, aut, ut adversa omnia fingantur, fore, ut proximum à Pontifice venerationis & majestatis locum nactus, amplissimas perpetuásque legationes adipiscatur. Verùm expugnari dicendo non potuit, tam potens & insana fuit dulcedo imperandi. Rex suos edicto vetuit, sacra ab illo jura beneficiáque petere. Enimuero Constantiam omnino esse eundum, atque parendum Patrum cœtui. Sic re infectâ diremptum colloquium; Benedictus Paniseholam concessit, exprobrans Ferdinando, cum Regem se authore fuisse creatum: sui muneris esse, quòd à judicibus, se suasore delectis, pro ipso fuerit pronuntiatum; nunc pro summo beneficio, parvam gratiam referri. Hæc fuere Concilij Constantiensis præludia.

Petri de Luna contentiosa oratio.

M. CCCC. XIV. Cæsar Constantiam reversus, tam frequens reperit Concilium, ut velut classes essent faciendæ, divisis in quinque partes Patribus. Itali, Hispani, Galli, Germani, Angli, præcipuæ dignationis erant. In hos quinque cœtus suæ cujusque gentis Patres coibant, cæteræ nationes aliæ alijs harum adscribebantur.

XXXIV. Ex singulis classibus seni delecti, qui cum Cardinalibus Pontificem eligerent. Quòd alioqui tribus harum classibus generatim placebat, id reliquæ ratum gratúmque sanciebant. Joannes Pontifex, amicis licèt dehortantibus, eò se contulit. Gregorius Carolum Malatestam Legatum misit, cum liberis mandatis, quibus ei facultas júsque cedendi Pontificatu, dabatur. Is indutus Pontificis insignia, in augustissimâ sellâ consedit, ac velut Gregorij personam gerens, depositis sacris insignibus, relictâque sellâ, se abire Pontificatu professus est. Gregorio jus Purpuræ redditum, legatione Piceni attributâ, quâ, non multò pòst moriens, est defunctus. Joanni objecta crimina, quæ cùm non satis dilueret, unà cum Benedicto Sede Pontificiâ motus est. Otho Columna civis Romanus, anno ejus sæculi septimo decimo, Martinus Summus Pontifex dictus, quod D. Martini festo sit renunciatus. Joannes, antequam moveretur, cùm suam dignitatem in periculum vocari cerneret, noctu clàm ope Friderici Archiducis Austriæ, mutato cultu, Constantiâ aufugit, & ex fugâ retractus, quadriennio fere in carcere Heidelbergensi & Manheimensi à Ludovico & Ottone Comitibus Palatinis asservatus, ac dimissus post varios viarum errores, ultro tandem se ad Martini V. Pontificis pedes Florentiæ abiecit. Receptus in Cardinalium numerum, creatúsque Episcopus Tusculanus, post menses aliquot vitæ privatæ tædio, Florentiæ mortuus est, & honorificè tumulatus. In Constantiensi Concilio ad rogum fuere damnati, publicéque exusti Joannes Hus, ejúsque sectator Hieronymus Pragensis.

Martinus V. Pontifex creatur.

XXXV.

Arenbeck. Adfuere Concilio tres Boiariæ Principes, Guilielmus Monacensis, Ludovicus

vicus Ingolstadiensis, Henricus Landishutanus, multi præterea Germaniæ aliarúmque nationum tum Principes tum Legati. Eò traxit Bavaros non causa modò publica & Cæsaris reverentia, sed etiam rei privatæ ratio. Ludovicus Stephani filius Comes Moretanius redux in Boicam, vetera dissidiorum ulcera, quæ per ejus absentiam cicatricem duxerant, refricando, novarum turbarum periculum metúmque Patruelibus creare videbatur. Cognati Principes ejus consilia speculati, in eam venêre sententiam, illum insidiari tempori, lites serere, bellum meditari, proximo cuique imminentem, nullum carpendi vicinos fines, nullum ambitioni suæ finem modúmque positurum, donec crescendi spes aliqua superesset. Visum impendentibus malis à supremo Orbis Christiani Senatu & Cæsare petere remedium. In communem causam venêre Ludovicus Septemvir Palatinus, Joannes ejusdem frater, Ernestus, Wilhelmus itidem Fratres, Henricus Landishutanus eorum Patruelis, & ex hujus sororis nuptijs affinis Fridericus Burggravius Norimbergensis, confectísque tabulis sociandæ suarum fortunarum defensionis, pactum sanxerunt.

M. CCCC. XV.

Brunner in Tutelar.

FOEDUS PRINCIPUM BOICORUM ADVERSUS LUDOVICUM BARBATUM. *litt. an 1414. 17. April. Alia an. 1415 festo S. Kiliani.*

Discordiarum primordia (si Aventino credimus) data à quibusdam Boijs equitibus. In his Caspar Torringius, Wilhelmus ejusdem familiæ, Joannes & Ortulphus Laimingeri, Georgius & Sigismundus Fraunbergij, Ludovicus Pienzenavius, Wilhelmus Maxelrainius, Erasmus Geiskirchius, Wilhelmus Camerbergius, Georgius & Wernerus Waldeckij, qui inito inter se fœdere, legem Ottonianam, cæteráque privilegia, à Boijs Principibus concessa se tutaturos jurati, alios præterea equites ac cives Bavariæ, sibi conciliare, & trahere in partes sunt conati. Hanc conspirationem suis consilijs opportunam Ludovicus, specie quadam popularitatis sibi adjunxit. Exinde refodere nuperis pactionibus sepulta dissensionum nomina: superioris videlicet ætatis inter Boicos Principes, iniquam provinciarum divisionem; jactare affinitatem Francicam & adfutura auxilia: longum, quem sibi parasset, bellorum & pulcherrimarum rerum usum, præstantem prudentiam: aliorum genium atque ingenia aspernari, denique Henrico Landishutano diem ad Cæsaris tribunal dicere, postulatâ æquiore herciscundæ familiæ partitione, repetitóque annuo denûm millium drachmarum tributo, cujus pensitationem per viginti ipsos annos quærebatur fuisse neglectam. In tabulis anni M. CCC. XCII. octona millia à Friderico Henrici parente, ad coæquandas portiones, Ducibus Monacensibus & Ingolstadianis promissa fuisse reperio. Accusabat etiam Henricum violatæ pacis, quasi Georgium Gundelfingium grassatorem, patriæ hostem, in arcem Wolfsteiniam recepisset, unde Georgius finitimos incursionibus latrociniisque infestaret. Hæc civilis belli initia, tertio pôst anno in longè gravius certamen excreverunt, quod in tempore referetur.

CONSPIRATIO BOICÆ NOBILITATIS.

XXXVI.

Dum Sigismundus Imperator Constantiæ in pacandam Ecclesiam totus incumbit, Guilielmus Boius Hannoniæ & Hollandiæ Regulus, Lutetiæ Parisiorum operam dabat extinguendæ civili discordiæ, quæ totum Regnum in factiones distraxerat. Illuc reduxerat Joannem Delphinum unà cum ipsius uxore Jacobâ, quam unicam filiam Guilielmus Delphino nuptum dederat, extráque Gallicas turbas & malevolorum insidias simul in Hannoniâ, volente Rege Carolo & Elisabethâ Reginâ, educaverat. Reditum Delphini dissuaserat Joannes Dux Burgundiæ, vel saltem ut ne inermis & sine exercitu in Galliam rediret; quòd vereretur, ne, quemadmodum ipsius fratrem, natu majorem æmulorum sævities insidiosè extinxerat, eadem Joannem natu inter Caroli VI. filios tertium, odio Burgundici nominis, cui Joannes icto cum ipso fœdere haud obscurè erat addictus, tolleret: sed cùm, fratribus extinctis, jus regni Joanni obvenisset, diutius extra Galliam detineri non potuit, ne, si quid Carolo Regi humanitus contingeret, in tempore ad capessendum sceptrum non adesset, præberétque ansam Aurelianensium factioni, novi aliquid contra ipsius dignitatem moliendi. Agebat tum Delphinus annum plus minus vicesimum. Guilielmus ejus socer, cùm patrum in pacan-

M. CCCC. XVI.

GUILIELMUS BOIUS FRANCOS PACARE NITITUR.

XXXVII.

Ioan. Meyer l. 15.

candis Franciæ Proceribus proficeret, in frequenti eorum consessu professus est, se, si pax integra coire non possit, proximo quoque tempore Delphinum generum suum in Hannoniam reducturum. Nocuit id dictum bono Principi. Nam excitavit hostium vigilias, ne quà Joannes elaberetur. Eum Compendij socer reliquerat. Illuc frequentes, ejus honorandi causâ, commeabant Principes & junioris ætatis nobilitas, atque, ut fit, ad ipsius consuetudinem haud gravatè admittebantur. Tenuit ea familiaritas ad usque annum insequentem, quem Delphini mors fecit luctuosum. Guilielmus socer, haud ignarus, Proceres nuperi sui dicti libertate fuisse offensos, cùm operam etiam Parisijs perderet, essétque monitus, de se prava consilia agitari, clàm cum duobus duntaxat famulis Lutetiâ se proripit Compendium, ut Delphinum generum secum in Hannoniam reducat: sed reperit decumbentem, toto tumentem corpore, oculis suas velut extra sedes emergentibus, itáque laborantem, ut non nisi octiduum superfuerit. Mortuus est 14. cal. Maij. Genus morbi & fœdata corporis species toxici suspicionem movit. Quicquid in re fuerit, grande vulnus iste casus Caroli VI. Domui inflixit, tot sublatis liberis, quos ex Elisabethâ Boicâ tulerat. Guilielmus Hollando-Boius tantum ex generi morte hausit mœroris, ut paucis pòst diebus, pridie videlicet calend. Junias vivendi finem fecerit. Joannes Compendij in æde D. Cornelij martyris; Guilielmus Valencenis in PP. Franciscanorum sacello conditi sunt. Supererat Carolus natu minimus ex Caroli Regis filijs, qui in Regnum, demortuo patre, fuit suffectus. De Guilielmi successione dictum est superiùs.

M. CCCC. XVII. DELPHINUS GUILIELMI GENER EXTINGUITUR. M. CCCC. XVII. XXXVIII. GUILIELMUS MORITUR.

Cùm Boio-Hollandicam stirpem, solo Joanne Leodiensi superstite, fata paulatim ducerent ad exitum, Boici Patrueles Constantiæ, in celeberrimo totius Orbis theatro se ferro proscindebant & mutuis injurijs. Ludovicus Moretanius Dux Ingolstadiensis iræ impotens, cùm apud Sigismundum Cæsarem causam diceret, moderationis fines egressus, maledicentiæ frena laxavit in Henricum Ducem Landishutanum, insanis eum lacessens contumelijs, quas cordatus nemo toleraret. Ausus est adeò Henrici natales, quasi dubios & supposititiæ fraudis cavillari. A vindictâ in præsens abstinuit Henricus, reverentiâ sacræ Majestatis, & ne ipsius loci sanctitatem videretur violare: sed altiùs probra demisit in animum, quàm ut inulta vellet dissimulare. Dum coquit vindictæ consilia, & imminet occasioni, ea se ultrò dedit in manus. Ludovicus Epheborum solo comitatu stipatus, cùm cætera nobilitas adhuc prandio assideret, è convivio, cui Cæsar adfuerat, ex Georgij Hochenloi Episcopi Passaviensis, & Archiepiscopi Strigoniensis contubernio, domum rediens, Henrico iracundiâ pariter & armis instructo fuit obvius 12. calend. Novemb. Non sustinuit oris maledici conspectum patruelis iratus. In eum ense stricto delatus, plagas intentat. Ludovicus præsens animi, cùm nullus defensionis modus alius occurreret, ferrum Henrico extorquet de manibus, eo non impigrè usurus in suum invasorem, nisi fuisset prohibitus. Nam cædem parantem Henrici comites aggressi, quatuor saucium vulneribus, equóque effusum, solo affigunt semianimem. Mox unà cum Henrico dilapsi, fugâ sibi consulunt, rati, Ludovicum esse interemptum. Collegit tamen humi stratum servorum famulitium, domúmq; deportato chirurgorum operam admovit. Sigismundus Cæsar facinori iratus, extemplo jubet expediri equites, fugientem Henricum insectentur, captúmque reducant in Urbem: Guntherus Schwarzenburgius Prætor Cæsareus cum expedito equitatu ejus hæsit vestigijs. Henrico saluti fuêre Conradus Reisbachius, Georgius Burgauius, alijque Suevicæ nobilitatis equites, quorum ope insequentium celeritatem frustratus, evasit in Boicam. Cæsar vocatâ concione, gravissimis verbis de tam atroci audaciâ expostulans, Procerum sententiam antequam ipse quicquam decerneret, audire voluit. Nihil opus fuit longâ deliberatione, è vestigio vox omnium fuit Henrici factum damnantium, & Cæsarem orantium, ne mitiorem proscriptione sententiam ferret. Etenim manifesto crimine violatum esse jus asyli sacrosanctum: si talia impune liceant,

RIXA LUDOVICI BARBATI ET HENRICI LANDISHUTANI. Avent. l. 7. XXXIX.

nemi-

neminem, ne quidem ad aras deinceps fore securum. Commodùm istis diebus Fridericus Burggravius Norimbergius, cùm esset in flagrante Cæsaris gratiâ, Brandeburgico Septemviratu fuerat à Sigismundo donatus. Huic Henrici soror nupserat. Cùm Cæsar, urgente Comitio, Henricum, ut Reipub. hostem, pacis ac securitatis publicæ turbatorem, & reum læsæ Majestatis pronuntiaturus sederet, Fridericus humi fusus, prensare jamjam dicturi genua, pedibus advolvi, per sacra omnia orare, id daret modò sacra Majestas suæ clementiæ, ut ne Henricus damnaretur indictâ causâ, néve fratricida audiret, antequam constaret fratrem occidisse: nondum enim expirâsse Ludovicum, & ei spem convalescendi superesse: paucorum dierum comperendinationem lucem aliquam judicio allaturam. Plurimùm interesse, an percussor prior injuriam acceperit, an percusso nullâ re læsus manus intulerit. Cæsar memor, quibus maledictis Henricus à patruele fuisset provocatus, decretoriam sententiam distulit: Ludovicus verò, valetudine præter spem recuperatâ, Henricum homicidij absolvit, non absolvit animum desiderio ulciscendi. Ipsa mora lenijt iras Comitij ac severitatem, quæ tum maximè resedit, quando Ludovicus trium duntaxat hebdomadum curatione perfunctus, 3. Idus Novembris equo sublimis in publico apparuit, & delapsus in pedes, Martini Pontificis (qui electus solenni ritu, Cæsare & Friderico Austrio pompam honestantibus, ad Augustale templum ducebatur) supplex opem justitiamque adversus Henricum imploravit, repetitis palàm criminibus, quæ nuper ipsi coram Cæsare impegerat, ne tum quidem sui potens, doctúsque premere calumnias, quæ ipsum recens penè oppressissent. Pontifex supplici saniora precatus, in sacram ædem processit, Ludovicus à Cæsare jussus est abire domum, nec turbare intempestivâ quiritatione communem orbis Christiani lætitiam. XL.

In Bohemiâ per id tempus horrenda rerum facies. Nunciato enim Hussi & Hieronymi Pragensis supplicio, eorum sectatores, communi placito, annuos illis honores velut Martyribus, & sanctissimis olim Christi athletis consuetos decernunt, Catholicorum templa invadunt, partem suis declamationibus sacrisque temerant, partem diruunt, igne ferroque devastant. Nullum id ætatis regnum, totâ Europâ, templa habuit frequentiora, numerosioráve, si cum Regni non amplissimi finibus contuleris, nusquam fuere mole, magnitudine, ornamentis magnificentiora, quàm Boëmia non in urbibus tantùm, sed etiam passim per villas. Ex ijs, supra quingenta, direpta, incendio cremata. Eversa cœnobia ipsúmque Aulæ Regiæ, Regum mausolæis insigne monasterium. Sacerdotes, viri religiosi, sanctimoniales, ferro Hussitarum flammísque cesserunt. STATUS BOHEMIÆ. *Æneas Sylv. hist. Bohem.*

Eâdem tempestate cives Ratisbonenses Joanni Stauffio Dynastæ nobili bellum indixerunt, nondum extincto Civitatum adversus Nobilitatem odio. Faciendæ hostilitati selectæ Paschales feriæ divino cultui & mortalium paci sacrosanctæ. Obsedêre arcem Stauffij Ehrenfelsiam, & tridui oppugnatione occuparunt: Theodoricum Joannis patruum captivum duxerunt in urbem: egregiam videlicet crudi sæculi laudem! Bellum pax secuta, iræ positæ, & arcis occupatæ restitutio diremerunt.

Divinum Numen, hoc anno, luculento prodigio, quod non est illi absimile, quod ad annum M. CCC. LXXVII. recensuimus, asseruit honorem augustissimi corporis Christi in SS. Eucharistiâ existentis. Rem memorant tabulæ, quæ in sacello S. Salvatoris (quod vulgus à sacrosancto Christi sanguine nuncupat) ad posterorum recordationem fidémque miraculo faciendam avorum memoriâ firmatæ, in agro Erdingano prope Parochiale templum publicè exponuntur. Hoc ipso anno colonus aliquis, quem domi res angusta premebat, feriâ quintâ cœnæ Dominicæ, ad sacrum epulum ex legis Ecclesiasticæ præscripto accessurus, comitem vix nactus est notum municipem, hominem fortunæ mediocris. Hic collaudatâ divinâ liberalitate, quæ ipsius familiam, tametsi agrestem rerum necessariarum affluentiâ sustentaret; excitavit egentiorem, ut post XLI.

deploratam domesticæ sortis inopiam percontaretur, quânam industriâ vicinus ad istas opes emersisset, nec cæteris agricolis laboriosior, nec opulentiore latifundio. Deus, infert ille, quem in sanctissimo Sacramento domi meæ asservo, hâc me beat opulentiâ. O si pari me beneficio locupletet Deus, inquit miserandus homo, quàm libens ac venerabundus ego illum pariter sub sacri mysterij involucro reconditum sub meo Lare habuero! In his meditationibus uterq; se sistit sollenni sacrificio. Ut ventum est ad sacram Synaxim, Irus iste, in cujus animum socij dicta altè descenderant, divinæ mensæ accumbens, sumit quidem, sed non absumit sanctissimum Sacramentum, certus, illud domum referre. Verùm dum ad suos se refert, lætus pignore speratæ felicitatis, properanti elabitur divinissima hostia, eò loci, ubi hodie visitur sacellum S. Salvatoris, elapsáque posteaquam in aëre fluctuans se prensantis rustici manibus subduxerat, oculis quoque in terram demersa se subduxit. Res ut gesta erat, Erdinganum Clerum Magistratúmque non latuit: quocirca, sive ut offensum Numen placarent, seu ut Sacramentum inferrent in sacrarium, longo supplicantium ordine locum adeunt, Deúmque venerati, extemporaneam ædiculam è tabulis, prodigioso defossæ hostiæ vestigio imponunt. Exinde cœpit cœlestis Angelorum panis emergere specie quidem spectabili, sed quæ nullius, ne sacerdotis quidem manu se tangi pateretur. Hæc contigêre, dum Constantiæ Concilij Generalis Comitia haberentur, paucis antè mensibus, quàm Martinus V. Pontifex crearetur. Inde nata propagatáque religio ac frequentia populi ad spectandum miraculum, & exoranda à Deo beneficia confluentis, donec tandem Sixtus Tannbergius (qui anno M. CCCC. LXXIII. hoc est, quinquagesimo sexto pòst anno, Frisingensis Ecclesiæ infulam obtinuit) locum miraculis clarum ipse cum Cathedrali Collegio, & ingenti Cleri & supplicantis populi serie, hostiam sacram, tum adhuc aspectabilem, fuit coràm veneratus: quo ex tempore videri desijt, relictâ foveâ, in quam se depressit, quæ hodiéque sub altari superstes, suppeditat cineres visentibus crebro salutares, cùm tamen ipsa nihilo quàm antè capacior appareat. Post hæc Erdingani sacellum lateritium construxerunt, & dedicandum curârunt S. Salvatori.

M. CCCC. XIIX. XLII. *Steindel. Tegernse. Chron.* SYNODUS SALISBURGENSIS. Sigismundus Imperator, cujus ope factum, ut Pontificium tot annorum dissidium extingueretur, Concilio Constantiensi, cui ad finem usque adfuit, dimisso, reversus in Hungariam, Martini Pontificis concessione, è rebus sacris decimas accepit, gravia post hæc cum Hussitis certamina habiturus. Cæterùm, ut quæ optimè erant Constantiæ decreta, ad usum in Boicâ, totâque Salisburgensi Provinciâ, absque morâ redigerentur, Eberhardus Archiepiscopus, mox ut domum Constantiâ revertit, Synodum Provincialem coëgit, in quâ promulgatis Concilij Decretis, ea, quæ ad sanciendam morum disciplinam pertinebant, Suffraganeorum consensu, jussit per omnes Archiepiscopatûs Diœceses vulgari & sanctè observari. Hoc anno Monachium, princeps Boicæ civitas, igne concepto magnam partem arsit: flamma in binas regiones maximè grassata, Crackenaviam, & quam à valle nuncupant Thalensem.

M. CCCC. XIX. ZISCÆ INITIA. *alij Zisca.* Inter hæc, in Bohemiâ pessum ibat res Catholica. Wenceslaum Regem, olim Cæsarem, cujus oscitantiâ Hussi hæresis invaluerat, mors rebus humanis exemerat; cùm Joannes Zisco Trosnovius, nobili genere, censu tenui à puero in regis aulâ educatus, altero captus oculo, rapinarum avidus, Hussitarum contagione demens, collectâ hominum sibi non absimilium manu, quæ ad quadraginta armatorum millia mox excrevit, crudeliter cœpit in res hominésque sacros grassari. Sophia Bavara Joannis Boici Ducis Monacensis filia, Wenceslai vidua, *Æneas Sylv. c. 38. hist. Bohem.* immanibus Hussitarum turbis exterrita, Sigismundi Imperatoris opem implorabat, sed cùm ipse in Turcam bellum parasset, dilato Bohemiæ subsidio, movit in Baiazetem infortunato consilio, quo nec hostem depulit ab Hungariâ, nec Regnum fraternum tempestivè adjuvit. Interim arx Wissegradensis, urbs Pelzinensis à Ziscone sociisque fuerunt occupatæ. Quamobrem Sophia mirè anxia, ar-

cem

cem Pragensem & minorem civitatem, quæ arci adjacet, præsidio firmavit, pontem Moldavo impositum munijt adversus rebellium irruptiones. Ejus auspicijs Petrus Sternbergius apud Benedicti insulam æquo Marte pugnavit. Secutum est ad Pragensem pontem certamen, quo Hussitæ in suam potestatem redacto, decliviorem Pragæ minoris regionem sui juris fecerunt, Catholicis in superiorem partem receptis. Inde certamen instauratum. Conflictus, immanibus ausis, quinque ipsos dies, nullâ interruptus quiete, tenuit. Utrinque multi occubuere, magnificæ domus exustæ; prætorium inferius incensum atque deletum. Sophia, re supra muliebre ingenium probè gestâ, cùm Sigismundus jure quo optimo, suscepto Bohemiæ diademate, publica Regni munia adivisset, Posonium, eo suadente secedens, vitam suâ sorte dignam cum laude exegit; Tam verum non est, quod domestici scriptores ipsi impingunt, quasi ab Husso, qui à sacris illi confessionibus fuerat, in errores seducta, sectarijs adhæsisset, quos tamen ipsa, quoad licuit, armis & consilio acriter est insectata. Eam certè Æneas Sylvius laudat viro suo longè præstantiorem; quod temere assereret homo sapientissimus, si impiâ Hussi doctrinâ fœdatam novisset. Unde & meritò erroris arguas eorum calamum, qui Sophiam scribunt ob pertinacem Hussiticæ impietatis defensionem, Ducis Ernesti fraterno pugno vapulasse: quam calumniam refellunt Epistolæ, quas amoris plenas & optimæ mentis indices dedit ad Ernestum, quales læsa aut impia nunquam dedisset. Extant etiam supremæ ejus tabulæ ante mortem signatæ, quæ nihil spirant, nisi religiosum & consonum Catholicæ pietati.

SOPHIÆ BOICÆ ADVERSUS HUSSITAS CONATUS.

XLIII.

M. CCCC. XIX.

Cæteroqui res toto Regno variâ primùm fortunâ, tum Sigismundo reique Catholicæ adversâ gestæ. Albicus Archiepiscopus, infame exemplum avaritiæ, Conrado natione Westphalo Archiepiscopatum vendidit, ut privatam agens vitam, plus securitatis, minus haberet sumptuum. Emptor, ne pilo quidem venditore probior, rem Catholicam non neglexit modò, sed etiam prodidit per apertam ad Hussitas defectionem. Non lubet singula malorum prosequi, quorum aliquam synopsin edidit Dux Landishutanus pars ipse, & testis oculatus belli ante vigesimum hujus sæculi annum improsperè gesti, in litteris, è castris Pragensibus mense Iulio dedit ad Albertum Preisingium suum vicarium, & Conradum Geslarum Cancellarium. *Quinquies (inquit) Bohemiam sumus ingressi, toties copijs, impedimentis, tormentis, curuli apparatu, machinis, suppellectili, instrumento bellico, exuti. Calones plerique occisi, vel in fuga obtriti: toties, ne hoste quidem adhuc viso, nescio quo fato, turpiter terga vertimus.* Bohemi aucti Lituanorum atque Polonorum viribus, se, patriam, suáque sacra tutati, finitimas regiones Boiorum, Francorum, Turogorum, Misnensium crebris incursionibus infestârunt, cuncta cæde, flammâ miscuerunt. Sic iratum Numen sceleribus mortalium, victorias dabat impijs, impietatis & suæ & alienæ ultoribus.

XLIV.

Magnas Franciæ turbas, & Regis ac Reginæ Isabellæ Bavaræ trium filiorum orbitatem, excepit hoc anno cædes Joannis Ducis Burgundiæ. Factione Aurelianensi erectâ, discessu Burgundionis, & Caroli Delphini favore, cùm Franciæ mala aliquantum interquievissent, Armeniaci, qui in aulâ cum paucis, iisque novis hominibus, dominabantur, avaritiâ & fastu recruduêre. Sustulerant factiosi è templis ingentem pecuniam, quam Reginâ velut in asylo (ea temporum istorum erat religio) ingentem deposuerat. Illa indignatione accensa, simul caussata aulæ vitia, Turones secedit à marito Rege, unà cum Catharinâ Virgine filiâ. Mox Burgundionem evocat, qui valido exercitu, receptis aliquot oppidis, Sequanam traiecerat, prædicans, se rerum omnium, præterquam salis, immunitatem adferre, & finem miseriæ publicæ. His deliniti Carnutes & Tricasses mœnibus eum Reginámque recepêre. Normannia interim bello ardebat, Anglo, post occupatum Cæsaroburgum, Rotomagum, ejus gentis caput, obsidente. Crescebat indies factio Burgundionis. Joannes Villarius Parisios hostili manu noctu ingressus, Urbem, Regem, ac omnem aulam Burgundionis arbitrij fecit; Delphino ægrè

XLV. *Paul. Æmil. in Carolo VI.*

XLVI. no ægrè elapso. Eo tumultu occisus Armeniacus, & Erix juris dicundi Præfectus. Receptis Parisijs, res eò inclinabant, ut adversæ factionis hominibus nullus videretur fore malorum modus, nisi Burgundione extincto. Qui Delphini aures animúmque obsidebant, pervicerunt, ut Delphinus annum agens decimum octavum, Dúxque Burgundus cum denis omnino Comitibus, colloquij specie, tanquam de pace acturi, congrederentur, fide Principum. Ex composito conventum est in pontem Monterigolum subterlabente flumine. Ducem præstolabatur Delphinus intra septum, congressui præparatum. Ingresso Burgundioni & prono corpore salutanti: Bellè Cognate, gratissimus ades, inquit Delphinus. Adsum verò, infert Dux, ut Regis voluntate bonóque publico consilium de regni salute, atque inprimis de eijciendo Anglo capiamus. Atqui (ait Delphinus non esses tu bonus Abbas. Quid ita? rogat Dux. Quia, ait Delphinus, conventum non servas, cùm enim nuper fuissemus collocuti, conventum erat, ut utrinq; educeremus præsidia, quod à te non est factum. Id sanè, inquit Dux, per me non stetisse, testis est mea diligentia. Tum Delphinus, nihil ultrà dissimulans, stricto ferro, semel iterum; Mentiris, inquit, & pronuntiatâ cædis patrandæ tesserâ; Tempus est, exclamat. Hoc signo excitus Tanaquinas, Meyero Taneguyus, quem nocturno tumultu Lutetiæ prætorem Villariani urbe nuper eieceXLVII. rant, promptâ, quam sago tegebat, securi, Ducem mactatum sternit: Alius è percussoribus jacentis ventrem gladio transadigit. E Ducis Comitibus Archenbaldus Flussas, in prostrati corpus procumbens, ne congeminarentur vulnera, occiditur, vulnerantur alij; tum Ducis cadaver exanime, vestibus spoliatum, semel iterum per fusum è vulneribus cruorem raptatur, ut constaret, nihil ampliùs in eo vitæ superesse. Atque hæc quidem fuit cruenti consilij tragica catastrophe, cum percussorum dicto, asserentium; Ducis Aurelianensis olim Joanne authore interempti manibus esse parentatum. Jacuit totâ nocte, in loco, Ducis corpus: postridie tumulatum fuit in æde D. Virginis ante aram D. Ludovici. Facta illi sacra piacularia duodecim, pietate civium. Hæc Æmilius tribuit anno decimo octavo, meliùs Meyerus decimo nono hujus sæculi, cui adstipulantur publicæ pacti Meledunensis à Delphino & Joanne Duce signatæ tabulæ vigesimo nono Julij, anni hujus labentis: aliæque Monstrolij, ad Sequanæ & Jonæ confluentes datæ à Delphino eodem anno, decimo nono Septembris, quibus causam modúmque patratæ cædis in rem suam toti Regno explicavit.

Meyer. Annal. Flandr. l. 15.

JOANNES BURGUNDIÆ DUX NECATUR.

XLIIX. Tandem ut rerum Isabellæ Boicæ narrationi finem imponam, eas hoc loco exequar. Philippus occisi Ducis filius acerrimum paternæ necis ultorem se præstitit. Id præsagierunt sapientiores Delphini asseclæ, qui conjurationis ignari, spectaculo patratæ necis adfuerant, ingentes Gallico Regno calamitates ex eo facinore ominati. Enimvero Philippus cum Anglo, qui Rotomagum septem mensium obsidione faméque domuerat, fœdus icit, cunctáque prona reddidit ad victoriam. Habebat in sua potestate relictum à Joanne patre Carolum Regem, Reginam, & Catharinam filiam. Hâc usus opportunitate, Regi persuasit, edicto Carolum Delphinum exhæredem scriberet, jusq; Regni Catharinæ filiæ, ac per ejus nuptias Henrico Regi Angliæ addiceret. Philippum adiêre Legati Francicarum civitatum, quæ in Regis & occisi fide fuerant, eique omnes obsequium atque operam sunt pollicitæ, non secùs atque olim ejus parenti. Pactis deinde cum Anglo inducijs, habitísq; totâ Flandriâ delectibus, Philippi auspicijs, Joannes Dux Luxenburgicus exercitum ducebat, capit Roiam, arcem Muniensem in Ambianis. Ipse Philippus Crespiacum occupat, diripit, nudátque murorum ambitu. Hinc profectus Tricasses, Regem isthic agentem inducit ad fœdus cum Henrico Anglorum Rege, qui cum sedecim armatorum millibus advenerat, faciendum, & Catharinam filiam eidem unà cum coronâ Gallicâ, excluso Delphino, omníque virilis sexûs Capetanâ stirpe, despondendam. Tum Meledunam, Montem Argium, Meldas, Compendium munijt præsidijs, séque Biturigibus validis septus copijs continet: Captum Montrolium Anglis transscribit, Villanovam,

FOEDUS PHILIPPI BURGUNDI CUM ANGLO.

MALA CONSEQUENTIA.

novam, ad amnem Jonam, multis cæsis captísque invadit. Parisijs interea præerat Thomas Dux Clarentiæ Henrici Regis germanus: Philippus Comes Fani Pauli Ambianis & Picardiæ. Henricus Anglus unà cum Rege Carolo ac Philippo Lutetiam ingressus, acceptúsque ingenti gratulatione, rebus in Franciâ compositis, relictóque fratre, qui præesset, trajecit in Angliam, lætitiâ & Catharinam uxorem Londini, cum longè maximâ celebritate festâque, Reginæ donat insignibus. Pugnatum inter hæc ad vicum Bogiacum Marte Anglis adverso. Eo prælio cecidit Dux Clarentiæ. Hâc clade acceptâ, Henricus cum viginti octo circiter millium exercitu Calesiam appulsus, captâ Centulâ, movet cum Philippo in Cœnomanos. Tum Philippus diversis ab Anglo castris, à suis magnam partem desertus, cum quingentis, quos in acie retinuit, fortissimè pugnans, insignem de hostibus victoriam ad Vimiacum reportavit. Angli è diverso invasêre Druidum civitatem, Vindocinum, Bogencium, Rogemontem, Ligniacum, Meldas, Delphino pugnam continuò detrectante, eóque tandem redacto, ut totâ propè Francorum nobilitate ad Henricum Anglum deficiente, amissísque magnam partem locis munitioribus, pauca superessent, in quibus pedem figeret. Quod ejus mala aggerabat, Rex & Regina uterque parens erant in Anglorum potestate. XLIX.

Sub hæc moritur Henricus Angliæ Rex, cùm nondum ageret ætatis annum quadragesimum, filio vix bimulo hærede, ex Catharinâ Francicâ, relicto. Eum post tres & quinquaginta dies secutus Carolus VI. Galliæ Rex diem clausit Lutetiæ, ad D. Dionysij illatus. Delphinus filiorum postremus, susceptis mox Regni insignibus, parùm abfuit, quin aliquorum conspiratione Lutetiam reciperet. Avarici Biturigum degenti natus filius, è Mariâ Ludovici Andegavensis filiâ, quæ res ejus factionem affecit ingenti gaudio. Ausi denuo ad Cravantum Martem experiri, magnam cladem à Burgundis accepêre, ter mille in vestigio cæsis aut captis. Vix quicquam intercessit temporis, cùm reparatis viribus, bis Anglos cecidêre, semel ad Gravellam vicum, pòst in Andegavis. Dux Betfordiæ Anglus pro Henrico defuncti Regis impubere filio administrabat Franciam, usque eò laceratam, ut profligatis colonis, extinctísque diuturnâ calamitate, universæ regiones à Ligeri usque ad Sequanam, atque inde usque ad Somonam, à Sequanâ usque ad Ambianos & Abbatis Villam per Sylvanectenses, quáque porrigitur Gallia versus Hannoniam, tristem solitudinis faciem agris cultore destitutis referrent. In urbibus magna rerum inopia. Pugnatum aliquoties fortunâ Francis ferè adversâ, donec Carolus Rex VII. cùm humana deficerent, è cœlo adjutus, per Joannam, quam vocant Aurelianensem virginem, Lotharingicam puellam patriâ Domprinienſem, fortunæ erigendæ initia accepit. Eâ ductrice Angli depulsi Aurelijs, Rex Rhemos ad sacram unctionem perductus, atque exinde Anglorum res retrò lapsæ in deterius. Cæsi sæpius, & velut infausto afflati sidere, Rhemos, Catalanum, Tricasses, Compendium, Bellovacum, Laudunum, Suessiones, Carnutes, aliásque civitates coacti deserere. Exinde Melodunum ad Sequanam à Rege recuperatum, Princeps Arausiacus prælio victus ad Augustodunum, Compendium Burgundi obsidione liberatum, Burgundiones & Angli cæsi in Catalaunis. Post diversos conflictus, cum Philippo Burgundiæ Duce composita pax Atrebatensis, mirè res Anglorum in Galliâ labefecit, Ambianis illicò & Atrebatibus ad Regis fidem redeuntibus, Burgundionum ad eam diem invisum nomen, faustum, felix, Francis effectum, & sublata offensarum factionum memoria. Hæc omnia Elisabetha Boica Regina mater Caroli VI. vidua cùm spectasset, anno hujus sæculi trigesimo quinto, Lutetiæ, in ædibus Fani-Paulini cal. Octobris fato functa est. Quamdiu fuit in potestate Anglorum, duxit vitam planè ærumnosam. Sepulchrum nacta est ad D. Dionysij, nullâ pompâ, sed instar privatæ fœminæ: tantæ fuere Anglorum sordes, & Caroli VII. filij, in cujus potestate Parisij non erant, impotentia. Ejus gener Philippus Burgundio, uxore Michaelide licèt demortuâ, regias ipsi fecit exequias, L.

ELISABETHA BOICA REGINA FRANCIÆ MORITUR.

Atrebati, in templo D. Vedasti, quibus ipse pullatus incessit, cum ternis Principibus, multísque Proceribus. Probæ Reginæ famam ausi sunt aliqui scriptores Anglorum & Aurelianensium partiarij, temere incessere, quam longè meliores vindicârunt. Primi dederunt vitio, quòd Burgundionis usa esset auxilio: atqui auxilium poscebant injuriæ illatæ ab Armeniacis, peculatus, & quod Æmilius non dissimulavit, aulæ vitia. Rebus propè omnibus ab Armeniacis ipsâque libertate spoliata, à vilibus homuncionibus, qui Regis delirio abutebantur, velut in ergastulo arctè ac ignobiliter tanta Regina habebatur: unica ipsi spes in Burgundione, cùm Carolus Delphinus Armeniacorum fraudibus occupatus, nihil ipsi posset opis adferre. Atqui per aliquid temporis his erepta angustijs secessit à marito: eam oportuit secedere, si voluit recuperare libertatem; nam ne Rex quidem ipse corpore aut mente liber erat, sed totus quantus in suorum & stirpis Regiæ hostium potestate.

Eius fama defenditur.

LI. Talibus hominibus Elisabetha se vitámque suam non poterat credere, qui autores necis duorum filiorum Joannis & Ludovici Delphinorum, morte per toxicum propinatâ, habebantur. Ausi eam sunt triobolares quidam litteratores insimulare fidei conjugalis non satis castè servatæ. Verùm id falsò, absque judice, indictâque causâ, quam nefarij homines, qui in ejus exitium conspirârant, non neglexissent, si vel veri umbra fuisset, quâ levissimum ejusce criminis vestigium in hominum oculos proferre, eámque publicè exosam, tandémque regij thori exortem (quod ipsis erat in votis) reddere potuissent. Sponte sanè à marito non recessit, sed abstracta fuit per Joannem Ducem ab indignissimâ servitute depeculatorum, ab insidijs hominum formidabilium, qui regio sanguini non pepercerant, quíque jam Carolum filiorum Regis postremum formabant ad inferendam necem Joanni Burgundo, ex quâ tot malorum iliades in Franciam universam provenêre. Sed quid illud, quòd Catharina Regis filia nuptum data Henrico Anglorum Regi, abductáque in Angliam Elisabethâ non prohibente? quòd eidem, dotis loco, prolique ex ea nasciture addicta Regni Francici corona, jus sceptri? quòd accensum Caroli Regis edicto exitiale bellum? quòd Delphinus proles regia exhæres pronuntiatus connivente matre Isabellâ? Nuptiæ non ab Isabellâ conciliatæ, sed ab ijs, quibus captiva nequibat obsistere magis quàm Rex Carolus, qui non suo, sed alieno ductu arbitrióque regebatur; tolerandum fuit miseræ, quod non poterat evitare.

LII. Edictum, tabulæ exhæredationis non Isabellæ voluntate, sed Regis nomine vulgatum, quo jubebatur Carolus Delphinus regno abstinere, exhæres esse, eo quòd cæde Joannis Burgundi paternam iram accendisset, ansámque dedisset calamitatibus, quæ Franciæ fortunam evertissent, nisi meliore fato Deus afflictam erexisset. Franciæ mala nemo graviùs tulit sensitve, quàm Isabella, quæ, quocunque res inclinaret, habebat causas dolendi; eò quòd hinc de alterius prolis gloriâ ac salute, indè de alterius ignominiâ atque interitu ferociter ageretur. Profectò, si numerosa proles Regnorum felicitas est ac firmamentum, Elisabetha undecim liberorum mater, Regnum Franciæ felix firmúmque reddiderat, si per factiones felici esse licuisset. Edidit illa Carolum, Ludovicum Ducem Aquitaniæ, Joannem Ducem Turonensem, Carolum Regem VII. Regni de Anglis vindicem, quinti desideratur nomen, ex cujus partu Elisabetha decumbebat, cùm Ludovicus Dux Aurelianensis Lutetiæ trucidaretur. Filias dedit Mariam Possiacensis asceterij decus, Joannam nuptam Duci Britanniæ, Michaelidem Philippi Boni Ducis Burgundiæ conjugem, Isabellam desponsam Duci Britanniæ, Mariam nuptam Wilhelmo Duci Bavariæ & Hollandiæ Comiti: Catharinam Reginam Angliæ, quibus affinitatibus nullæ esse poterant Franciæ Regno honorificentiores. Apud æquos authores, quibus nihil lubuit scribere ad gratiam vel odium, Elisabetha laudem tulit modestiæ ab ambitione & sævitiâ prorsus alienæ: præbuit ipsa toti orbi specimen invictæ in adversis rerum acerbissimarum tolerantiæ, quæ habet virtutum omnium coronidem & absolutionem. Sufficit audire Gaguinum de ea sic pronuntiantem: *Moritur* (inquit) *Isabella Caroli VI. uxor,*

Io. Tilius, in Carolo V. Henninges in Geneal.

Guaguin. lib. 10. in Carol. VII. Io. Tilius in Carol. VI.

VI. uxor, fortunis (si Reginam consideres) tenuis & pauper. Quippe quæ sub Anglorum principatu degens, eorum arbitratu vitam agebat, privatæ fœminæ non absimilis, patientissima quidem & ad temporis qualitatem se accommodans, nullâ re magis irritata, quàm quòd Carolum Regem, ejus filium incesto concubitu natum, Anglus diffamabat. Diffamabat videlicet alieni Regni incubator, quo firmiùs, diffamato Carolo, suam usurpationem, cœlo invito, & bonæ tandem causæ patrocinante, stabiliret, tam crudelis in matrem, quàm injustus in filium, in utrumque per summam calumniam contumeliosus. LIII.

A rebus Francicis & Isabellæ Reginæ vindicijs, revertimur ad Boicæ propiora. Tres Boicæ Principes Henricus Landishutanus, Wilhelmus, & Albertus Ernesti filius, anno vigesimo, in Bohemiâ infortunatam operam Sigismundo Cæsari, adversus Ziscонem (qui ab oppido Thabore, recens per Hussitas constructo, suos asseclas Thaboritas nominari voluit) locavere. Hussitæ Pragenses, cognito, Sigismundum cum exercitu imminere, arcem Visegradensem arctâ obsidione cinxerunt, Urbis plateas catenis munierunt, & à Thaboritis impetrârunt auxilium. Sigismundus contrà castris ad Wenceslai arcem locatis, Thaboritas oscitanter vigilantes in castris, extra urbem per Michalionem noctu oppressit, felici in primis omine, si secunda respondissent. Verùm Thaboritæ civibus potentiores, occupato Pragensium imperio, mutatis Magistratibus, explosisque avitæ religionis asseclis, in urbe dominantes, Sigismundo, cum non exiguâ clade, à Pragæ minoris & novæ civitatis oppugnatione rejecto, vix iniquis conditionibus inducias permisêre, quibus urbem ad capessendum Regni diadema, cæteráque regiæ inaugurationis insignia posset inire. Non multò pòst Visegradensi munitione fuit exutus, tametsi centum quinquaginta armatorum millia, potiorem partem à Martino Pontifice sacri belli nomine coacta, sub signis haberet. In his erant Albertus Dux Austriæ Sigismundi gener, Bavariæ Duces & Saxoniæ, Misnenses Marchiones & Brandeburgici, unà cum Patriarchâ Aquileiensi.

M. CCCC. XX.

EXPEDITIO BOHEMICA INFELIX.

CONIURATIO IN DUCEM LANDISHUTANUM.

Boios Duces, ex infausto bello domum reversos, excepit domestica tempestas. Ea ante sexennium conflari cœperat à fœderata pleráque Boicæ nobilitate, antesignano Gaspare Torringio jurato Henrici Ducis Landishutani inimico, quòd nostrum ævum in homine privato, pro seditione haberet. Fœderi nomen dederant Ludovici Duces Ingolstadienses, Barbatus parens & filius Gibber, uterque memor rixæ Constantiensis, acceptorum ab Henrico vulnerum, eoque hostes capitales. Fuit pessimi apud Principes exempli, popularibus Duces accessisse, ad quas exterminandas, velut ad commune restinguendum incendium, omnes, qui umbram amant veri Principatûs, suam operam conferre oporteret, ne tandem, quod popularibus conspirationibus ferè est propositum, jugo excusso, plebéque ad pileum libertatis vocatâ, sacrosancta Regum Principúmque potestas vertatur in perniciosam multorum capitum damnationem. M. CCCC. XXI. LIV.

In vulgus eruperat conjuratio, nec latebat Henricum Ducem, cui non erat difficile conjicere, se peti, de suo capite habita esse Comitia, eóque partium consilia potissimùm spectare, ut, cùm primùm conjuratis foret opportunum, eum niterentur evertere fortunis omnibus, ipsóque tandem Principatu. Quamobrem, ne imparatus atque periculi incogitans obrueretur, primùm belli subsidia comparare, non parcere ærario, quod habebat opulentum ex longâ parsimoniâ, quâ sibi non opes modò, sed etiam Divitis nomen comparârat. Præsens id fuit ad res subitas præsidium, quod serò nimis & odiosè conquiritur ex lentis populi collationibus, quando malum moræ impatiens præsentanea remedia exposcit. Sapiente præterea consilio (quod pro tutando principatu primarium & propè caput est) curæ fuit adjungere sibi amicos Principes velut in rem periculúmque commune. Adiunxit Ernestum & Wilhelmum patrueles Monacenses Regulos, Fridericum è Burggravio Norimbergensi Electorem Brandeburgensem sororis suæ maritum, virum pacis bellíque studijs insignem. Ad

HENRICI APPARATUS.

hos adscivit Joannem Ambergensem, ex Rheni Comitibus Palatinis, Ruperto Cæsare natum consobrinum: ex Oettinganis præterea nobilissimos Dynastas, geminos Ludovicos cum Friderico. Vult Aventinus, nullo omnino teste, Sigismundum Cæsarem Ludovico Ingolstadiensi auxilia addixisse; sed certè nulla præstitit, Bohemico bello sat superque occupatus; nec credibile est addixisse. Ejus enim partes erant, ejusmodi factiones extinguere, quod mox videbimus eum fecisse. Andreas Ratisbonensis, ut à Frehero est vulgatus, nihil narrat ejusmodi; pugnas tamen & Urbium obsidiones cladésque non silet.

HENRICUS NEOSTADIŪ MUNIT.

LV. Rebus amicísque ad eum modum comparatis, Henricus Neostadium, haud procul Abenspergâ, medio inter Ingolstadium & Ratisbonam intervallo, firmat copioso milite. Hinc in Ludovici fines crebræ præsidiariorum excursiones, prædæ, agrestium vexationes, armentorum abacti greges. Inter primos hostilia experti sunt Echardi, è nobili Muckentalerorum familiâ, coloni, vastatis prædijs, villis direptis, alijsque belli incommodis. Ergo implorat Echardus fœderatorum fidem, nec frustra. Mittitur extemplo, parata ad expeditionem, armatorum manus. Ne ferias diu ageret, effecêre Hilaria, quæ Neostadij liberaliter diebus antecineralibus agebantur, civibus juxtà ac præsidio in luxum & Bacchi Orgia effusis. Insanitum est in multam noctem ab ebrijs & omnis periculi securis; tum vigilijs remissè dispositis, corpora ad quietem composita, Echardus interim pervigil, præstolabatur haud procul, dum altum silentium somno vinóq; sepultam lasciviam indicaret. Dormiebant oppidani in utramque aurem, cùm ipsis cineralibus, sub solis ortum in civitatem Echardus irrumpit, passim stragem semi adhuc sopitorum edit, domus omnes diripit, & ingenti potitus prædâ, injectis facibus urbem incendit.

Henricus, cognitâ suorum clade, paria facturus, cum validis copijs involat in Ludovici Provinciam, Paibrunnam prope Monachium, & Toringense castrum, in Noricis, vi captum solo æquat, eruta ex ipsis fundamentis saxa, ne quid superesset, Burghusium avehit, vertitque in propugnaculum, quod novam Toringiam voluit nuncupari. Tum ex Norico progressus in Vindeliciam, Aulam Richardi, Hangelam, Goltham, Ingelam, sui juris facit: Retenecam conjicit in bustum. Ex aliâ parte Ernestus & Guilielmus, castris ad Fridbergam positis, semestri obsidione cives ad deditionem compellunt, arce in hostium potestate relictâ: Fridericus verò Brandeburgicus cum Oetinganis Sueviæ Dynastis, Monheimium invadunt. Ambergensis Palatinus multa Ludovici oppida partim diruit aut deformat, partim redigit in suam ditionem: Bernsteinium apud Nariscos exscindit; Hersbrucum, Weidam, Freistadium, Hilpolsteinium, Lauffam, Holensteinium, Flossam, Hohensteinium expugnat. Denique multas urbes, plurima oppida & castella, uno quasi impetu Ludovico eripiuntur. Aventinus sex urbes, totidem vicos numerat & castella octodecim, alij longè plura. Andreas Ratisbonensis innumera incendia memorat utrinque excitata: tam insana fuit istius ævi sævities.

BELLUM IN LUDOVICUM.

LVI. Dum hæc patrantur, Werdea Suevorum, quæ Ludovico Ingolstadiensi ex familiæ partitione suberat, à Boijs ad Imperij Civitates deficit, cùm centum quinquaginta tres annos in Boiorum Principum ditione fuisset. Eam Conradinus

LVII. II. Friderici II. nepos Ludovico, cognomento Severo, multo auro vendiderat, anno millesimo ducentesimo sexagesimo octavo. Ipsis dein D. Baptistæ ferijs Henricus Landishutanus, copijs cum Ludovico & Friderico Oetingensibus conjunctis, castris haud procul Rainâ ad Lycum positis; latè omnem circa regionem, Neoburgum usque, igne deformat, Burghaimium vi capit & expilat, ne à sacris quidem ædibus temperans. Pôst, Lyco Thirhaupti transmisso, Schwabecam, Turckheimium subigit: deinde superato ad Werdeam Danubio, Dapsheimium, Reinertshusium occupat. Secuta ad quintum decimum cal. Augusti Graisbachij obsidio. Id dum ab Henrico Landishutensi & Oetingensi premitur, Ludovicus, tot cladibus frenos injecturus, obsessis ducit suppetias. Cùm

sine

sine vi in mœnia nequiret irrumpere, jámque starent hostes in acie, qui venientem exciperent, explicatis utrinque castris ventum est ad manus. Certatum magnis animis, & nutante victoriâ, in Henrici acie cecidit Fridericus Oetinganus, ejus frater Ludovicus captus, haud paucis ab utraque parte interemptis. Eorum casus cæterorum animos acuit ad vindictam. Ergo conglobati, factâ in Ingolstadienses impressione, profligato equitatu, centum viginti in loco opprimunt, cæteros in fugam conjiciunt, quartóque obsidionis die, Graispachio potiuntur. Henricus hac usus fortunâ, victorem exercitum duxit per Aquilonarem Boicam, Haitingum, Gamershaimium; Gensbergam occupavit, Sanderfdorfium exussit; dehinc Neostadij transmisit Danubium, & Oeni finitima pervagatus, decimo octavo cal. Decemb. Wasserburgum arctâ cinctum obsidione, summâ vi est aggressus. Habebat urbs propugnatores imperterritos, ipsâque loci naturâ & opere sic erat munita, ut non levi brachio posset superari. Stitit illa Henrici fortunam non munimentis tantùm, sed etiam hiemis intempestæ beneficio. In ejus oppugnatione mensis absumptus, jactæ mille trecentæ sexaginta è muralibus tormentis pilæ saxeæ in obsessos, qui pari conatu & alacritate fortium defensorum officio egregiè fungebantur.

LUDOVICUS CÆDITUR.

LIIX.

Dum Henricus Wasserburgum obsidione premeret, Ludovicus Ingolstadiensis obsessos laxaturus, delectas ex universo milite copias, in Monacensem agrum immisit. Hostis irruptionem, pagorum incendia, villæque passim accensæ prodiderunt, attonitâ ad dirum spectaculum universâ civitate. Duces Ernestus, Guilielmus, & Albertus Ernesti F. capto in arenâ consilio, movendum esse in grassatores decreverunt. Mox cives jussi arma induere, atque militi sociare manus. Extemplo cohortes centuriatæ ad sua signa concurrunt, & pugnam rogantes, suos Principes ad vindicandam communem injuriam turmatim sequuntur. Hostis in Allingensi pago digestus in ordinem, & pugnæ copiam facturus, venientes fixo pede præstolabatur. Dies erat postremus hebdomadis, in quam D. Matthæi festum inciderat, quique sacer D. Mauritio ejúsque commilitonibus solet haberi. Signis collatis, cùm dubio Marte acerrimè pugnaretur, Albertus, juvenili ardore primæ velut militiæ facturus experimentum, infert se in confertum globum, ubi plurimùm acies laborabat. Dum pugnat fortissimè, hostis acriter incumbens, à suis propè desertum circumventúmque jubet ferociam ponere, séque ac suam libertatem permittere fortiori. Filij periculum Ernestum patrem advertit, non avertit generosum animum, quò minùs vacillanti prælio simul & Alberto succurreret. Clavâ pro ejus ævi more armatus, viâ factâ per stipatos hostium ordines, irrumpit in medium agmen, cum quo Albertus jam non pro victoriâ, sed retinendâ libertate pugnabat. Parùm aberat, quin ab injectâ manu teneretur, cùm Ernestus, datâ hinc & inde strage, instantes velut afflatos fulmine dispalat, atque uni, qui cæteris audacior Albertum urgebat, clavâ, quam eo die multo tinxerat sanguine, supremum capitis discrimen intentans, prædam excussit. Tum acie restitutâ, cùm nemo esset, qui ruentis manum sustineret, pugna recruduit, tandémque post atrox pertináxque certamen, cùm hostis, labefactis ordinibus, ad fugam spectaret, victoria Ernesto in manus convénit, quàm multis Ludovicianis in loco obtruncatis, dilapsis alijs, captis ducentis, quos vinctos victor ante se egit in Urbem, lætissimo Monacensium spectaculo, plausúque multitudinis universæ. Victoriam Ernestus nec sibi nec suæ fortunæ retulit in acceptis: totam facti gloriam Deo voluit transcribi, útque extaret æternum grati animi ad posteros monimentum, sacellum Hofflachij non longè ab Eitinga & Pufpergo voluit excitari in loco certaminis, attributo sacerdoti stipendio, qui propitio numini epinicia sacro Eucharistico in posterum celebraret. Ea clades Ludovici spiritus haud parùm compressit, jussitque pacem, cujus mentionem adhuc fastidierat, proniore studio respicere, fastu posito contemptúque patruelium, quos ad eam diem fuerat aspernatus.

M. CCCC. XXII.

PRÆLIUM ALLINGENSE.

LIX.

Trithem. Chron. Sponheim. ad an. 1422.

Commodùm evénit, ut Sigismundus Cæsar, qui civili bello turbari Germaniæ

niæ quietem, viréſque averti à bello Bohemico gravatè acceperat, pridie quàm prælio decerneretur, Ratisbonam, facturus Comitia, cum conjuge & Branda Legato Pontificio appelleret. Iſthic de pugnæ eventu factus certior, ne latiùs malum ſerperet, ilicò Duces de pace belliquc cauſis acturos, ad ſuum tribunal Ratisbonam citavit. Ad dictam diem obivêre vadimonium omnes, pæter Ludovicum, quem non multò antè Norimbergam Cæſar fruſtra evocârat. Tanta erat forum detrectantis pervicacia. Cæſar, contumaciam ratus non ferendam, iterato mandato jubet adeſſe, vel paratam proſcriptionis ſententiam expectare. Hac demum territus denuntiatione, ſe ſtitit Sigiſmundo, multa de Henrico Landishutano, de Ducibus Monacenſibus, déque eorum fœderatis conqueſtus, repetitis priſcorum diſſidiorum nominibus, atque inprimis ignominiæ in ſacris Orbis Chriſtiani Comitijs, haud pridem, Cæſare non ignaro, acceptæ, neque uti popoſcerat, adhuc juſto ſupplicio expiatæ. Patrueles è diverſo expoſtulare, tabulis demonſtrare, probare teſtibus, & nondum reſtinctis Boicæ buſtis, illum ad eam diem fuiſſe Boicorum bellorum turbinem, patriæ facem, oſorem tranquillitatis, nunquam quietum, aliarum ſupra alias diſcordiarum ſatorem, & cognato ſanguini, fortunis, exiſtimationi, per ſummam injuriam perpetuò infeſtum. Genium tumultibus natum factúmque vel ex hoc prodi, quòd icto cum parte Boicæ nobilitatis fœdere, ſubjectos ſpe belli ſocialis adverſus dominantes armârit, venerítque velut caput in partem ignobilis & omni Principe indignæ conjurationis. Adverſus tot injurias, patriâ incolumi, ſalvóque Boici nominis honore, defenſionem omitti non potuiſſe, ſed faſtum arrogantiámque, quam è Galliâ attulerat, naturâ ipſâ & ratione dictante debuiſſe retundi.

Duces Sigismundo belli rationem reddunt.

LX.

Clarior fuit iſta accuſatio Cæſari, qui pleraque hæc jam antè habebat perſpecta, quàm ut oſtenderet, ſe in Ludovici cauſam eſſe propenſum. Legatus Pontificius rei componendæ medias partes ſapientiſſimè ſuſcepit & ſuſtinuit. Cùm Ducum iræ nonnihil poſuiſſent, & Ludovicus ſequiora formidaret, animo haud paulùm mollito, Cæſari factus ſupplex, ſe in ejus authoritate fore ſpopondit, quicquid tandem de propoſitâ lite decerneret; cæteroqui pacem ſe deinceps culturum. Cæſar inducias in quadriennium indixit, Ludovico tantiſper juſſo exceſſe Bavariâ, donec controverſiæ de patrimonij & Provinciarum finibus, arbitrorum judicio, terminarentur. Armis inter hæc Duces abſtinerent, paci ſtuderent, captivos utrinque redderent, ſiquid in poſterum litis incideret, jure, non bello diſceptarent. Ludovicum, quò minore dedecore eſſet extorris, Cæſar ſecum in Ungariam, honoris ſpecie, abduxit. Bello hunc in modum ſopito, pax Boicæ fuit reddita, poſt ſeſquiennem inquietem. Non quievit tamen Caſpar Törringius, auſus Henricum Ducem in jus, quod dicunt Weſtphalicum, accerſere. Grandis in cliente, adverſus Principem, protervitas. Judicium non detrectavit Henricus, ſed in jus cum Friderico genero Brandeburgico cùm ambulaſſet, Törringius vadimonium deſeruit. Quamobrem extemporaneâ judicum ſententiâ fuit Henrico addictus, ut velut in perfidum, perduellem ac contumacem more majorum, ſicubi ejus copiam nanciſceretur, animadverteret. Henricus verò & Fridericus in ſubdialem iſtum conſtitutæ à Carolo Magno juriſdictionis Senatum fuere recepti, cùm laude prudentiæ & integritatis, quæ in Weſtphalico iſto tribunali à primâ ipſius inſtitutione requirebatur. Cùm enim Saxones à Carolo Magno triginta trium annorum bello victi ſæpius, ſæpe fœdifragi, pacem fidémque mutabilibus indies cauſis abrumperent, ſedibus pars exacti, vel traducti ſunt in varias Franciæ & Germaniæ colonias, cavere oportuit, ne longo terrarum intervallo diſcreti, deinceps cum ijs, qui domi remanſerant, facilè vel impune novas molirentur factiones. Quam ad rem in Senatum lecti è Germanis viri ſanctiſſimi, penes quos vitæ neciſque eſſet poteſtas, ut, quos comperirent nocentes, factioſóſve, abſque judiciorum ambage, afficerent ſupplicio. Id tribunal à Ruperto Cæſare, emendatâ judiciorum ratione, anno milleſimo quadringenteſimo quarto temperatum, deſcriptúmque per capita, ac demum à Maximiliano

Induciæ a Cæsare imperatæ.

LXI.

Judicium Westphalicum.

LXII.

miliano Imperatore, anno millesimo quingentesimo secundo, omnino sublatum: cùm annos triginta supra septingentos tenuisset cum multis Germaniæ incommodis; uti tabulæ, linguâ patriâ, Monachij, in bibliothecâ Electorali exaratæ, meminerunt.

Hoc anno Jacoba Boica Guilielmi Boio-Hollandi filia, cujus superiùs natales retulimus, vivo adhuc marito Joanne Duce Brabantiæ, in thorum induxit Hunfredum Glocestriæ regulum, Henrici V. Regis Angliæ germanum, quæ res miros dedit sermones & sementem haud paucarum dissensionum. Quoniam ad eam non est reversura oratio, conjiciam in hunc locum, quæ sparsim dicta, narrationis filum interciperent. Jacoba desponsa primùm fuerat Galliæ Delphino, eóque è vivis sublato, Joanni Duci Brabantiæ Antonij Burgundi filio, anno hujus sæculi decimo octavo. Verùm cùm ejus thalami eam pertæduisset, haberétque virum exosum, conquisivit omnes divertendi vias, caussata, se invitam Joanni nupsisse: intercessisse sanguinis propinquitatem, quæ vetuisset matrimonium esse sacrosanctum: alia præterea excogitavit, quæ mens à marito aversa dictabat: re autem verâ odium erat viri, quem gratiâ corporis, ingenij præstantiâ, valetudinis firmitate, cæterísque animi morúmque ornamentis destitutum ipsa despiciebat. Ergo animum adjicit ad Hunfredi nuptias, easque celebrat regio apparatu. Super hæc Joannes Jacobæ patruus vitâ, seu fato, seu, quod plerique volunt, veneno exuitur. Hæredem ille non Jacobam ex fratre neptem, sed Philippum Bonum Burgundiæ Ducem scripserat, nepotem ex sorore Margaritâ. Eò factum, ut deinceps ex Bavaris Principibus nemo Hollandiam, Seelandiam, Hannoniam, Frisiam assereret. Nihilò seciùs Jacoba suam caussam non deseruit. Adfuit ex Angliâ cum Glocestrio, stipata quinq; armatorum millibus. Prælio victa captiváque in Flandriâ, animo tamen invicto, elapsa è custodiâ, anno vigesimo sexto prid. Non. April. Gaudanis, & Hollandis Aquilonaribus opitulantibus, ausa rursus hostem lacessere, obsidione tentat Hornas & Harlemium. Hîc loci Prætorem agebat Joannes Uckerkius. Ejus filius octingentorum suppetias adducens, ex insidijs à Jacobâ interceptus, haud procul Lugduno-Batavorum victus, amissis plerisque militum, cum ducentis ægrè evadit. Jacoba victrix se Gaudam recipit amicam civitatem, cum quâ, Viana, Montfortum, Narda, Werda, Trajectenses, & Transisulani conspirantes concursu ad Alfam facto, medio ferè itinere inter Leidam, Werdam ac Gaudam, pulsis Harlemijs, Amstelredamijs ac Leidensibus insignem victoriam antè retulerant.

Pont. Heut. in Philip. Bono. Meyer. in Annal. Fl. Meyram. an. 1437.

JACOBÆ BOIO-HOLLANDÆ FORTUNA.

LXIII.

LXIV.

Philippus interea copias augebat, acceptis è Burgundiâ, ductore Auranti Principe, mille ducentis alarijs, accedentibus quoque Picardorum ac Flandrorum delectibus, quibus Sevenbergam trimestri obsidione coëgit ad deditionem. Parabat è diverso Glocestrius, quantas poterat, Jacobæ suppetias, cùm, cognito, Martinum Pontificem damnatis, quas ipse inierat cum Jacobâ nuptijs, pro Brabanti matrimonio pronuntiasse, dimissâ Jacobâ, Eleonoram natalibus longè imparem, duxit in Angliâ. Mense Aprili anno millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, legitimus Jacobæ maritus, nullis susceptis liberis, moritur: ita Jacoba uno eodémque mense bis vidua bellóque implicata, cum longè potentiori hoste committitur. Nondum tamen animo concidit adjuta ab Huccijs, perpetuis Cabeliavorum adversarijs utrísque factiosis, qui complures jam annos Belgium mutuis cædibus, rapinis & tumultibus fœdaverant. Adiverat Philippus Hannoniæ administrationem, cùm Dordracum, Leida, Harlemium, Delfij, Hagacomitis, Roterodamum, Ambsterodamum, Schidamum, Horna, Batavorum potentissimi cum aliquot munitis castellis, qui à belli exordio ipsi paruerunt, initâ conspiratione, ejus dominatum excutere moliuntur. Quamobrem haud pauci capite minuti. Ad cætera Jacobæ infortunia accessit, Guilielmi Brederodij, qui illius nomine Huccios regebat, clades mari accepta ab adversâ factione, amissâ potissimâ navigiorum & classiariorum parte,

te. Venit ipse captivus in manus Burgundionis. Batavorum complures, fortunæ variantis auram secuti, à Jacobâ defecerant, vixque erant præter Gaudenses & Schonhavios, qui in ejus fide perstarent, innatâ multitudinis urbanæ levitate, quæ lucris affixa & commercijs, facilè sua confert studia in partem potentiorem, unde plus spei & commodorum. Ergo Burgundio Jacobam Gaudæ sedentem obsidione pressam & à suis desertam adigit, ut pacem ab hoste oraret. Ea sancita anno vigesimo octavo, consensu Procerum Ordinúmque Huccianæ factionis, his conditionibus: *Si Iacoba sine liberis decesserit, Philippus ipsius ex asse hæres esto. Idem omnes Iacobæ ditiones interim administrato: Iacoba citra Philippi consensum ne nubito.* Pace vulgatâ, hæreditariæ Jacobæ regiones juratæ in Philippi regimen concessere. Sopitæ Cabelliavorum & Hucciorum discordiæ.

LXV. Franciscus Borsellius à Philippo datus erat Hollandis, qui vicarium exerceret dominatum. Hunc quinto, postquam pax convenerat, anno, Jacoba pactorum & suæ claritudinis oblita, maritum accepit. Burgundus, id factum sui quoque sanguinis & violatorum pactorum injuriam interpretatus, cum sexcentis equitibus in Hollandiam proficiscitur, captúmque Borsellium, Ripelmondæ, conjicit in vincula, sparso, datâ operâ, rumore, capite expiaturum audaciam, quòd cliens se impari matrimonio, Patronæ Dominæque, suo injussu junxisset. Jacoba hac perculsa denuntiatione, certa posthabere omnia suis affectibus, metuénsque marito, pacem rursus orare, omnem movere lapidem, quò Borsellium periculo eximat. Sequestrem egit Fridericus Comes Meursius, eóque rem adduxit, ut Philippus hisce legibus denuo transigeret: *Iacoba ac Borsellius, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ ac Hannoniæ gubernatione abstinento. Donec ipsi supererunt, portoria, ve-*

LXVI. *ctigalia ac titulum Comitatûs Osteruantij dominijque Vornani retinento. Si Philippus Iacobam, liberis non relictis præcesserit, Iacoba integro plenóq; jure omnium suarum regionum possessionem, ac deinceps legitimi ejus hæredes habento. Liberi è Iacobâ & Borsellio nati, in omnem Iacobæ hæreditatem succeduntо.* Exinde Borsellio in ordinem equitum aurei velleris adscito, Philippus abductâ secum Jacobâ, ab Hannonijs, Hollandis, Zelandis ac Frisiis, accepto sacramento, pro domino agnitus, revertit in Artesiam. Tandem Jacoba, anno trigesimo sexto, fato concessit, Philippo omnium, quas domus Boica, in Belgio, jure quo optimo centum admodum & quatuordecim annis, tenuerat, Provinciarum hærede relicto; Ducibus Boicis ne verbo quidem, quod constet, inofficiosa pacta accusantibus.

M. CCCC. XXIII. *Chron. Tegernseen. Steindel.* Serpebat in vicinia cancer Bohemorum, jámque Ratisbonam irrepserat, authore Henrico Ratgebio Gothano presbytero, quem lues Bohemica sic corruperat, ut neque eam celaret, neque curam amitteret ejus prolatandæ. Verùm tempestivâ Episcopi vigilantiâ deprehensus, damnatúsque, frequente ad spectaculum populo, palàm, pro summæ ædis foribus, exauctoratus, execratúsque, à civili magistratu vivus flammis ultricibus culpam luit, quod olim post ejuratos errores veniâ donatus, ad priorem insaniam redijsset, cum indocili prorsus obstinatione.

M. CCCC. XXV.

LXVII. DIVISIO BOICÆ STRAUBINGANÆ. Provincijs, quas tenuerant Boij Duces in Belgio, eâ, quâ dixi ratione ad Domum Burgundicam devolutis, supererant in secundâ Bavariâ regiones, quæ Alberti Boio-Hollandi hæredibus obvenerant, quæque Joannis Bavari olim Leodiensis Antistitis morte, inter superstites Boicæ Duces erant dividendæ. De ea divisione quinque annis inter hæredes lis fuit, quæ demum, auctore Sigismundo Cæsare, finem accepit. Ludovicus enim Ingolstadiensis Ducum natu maximus, ætatis prærogativâ sibi stirpis Boio-Hollandicæ hæreditatem ex asse conabatur asserere, & invitis patruelibus inducere Italorum, Hispanorum, Gallorúmque morem, Principatum familiæ capiti adscribentium, exclusis ætate minoribus. Et verò se jam à Cæsare solenni formâ jus ac possessionem beneficiariam istius Provinciæ accepisse: neque immeritò; Bullam enim Caroli IV. auream vetuisse, ne Principatus in varias partes secarentur. Contrà hæredes cæteri negabant, id juris apud Germanos esse receptum, pares omnes, pari portione hæreditatem adire

adire consuesse, nullâ habitâ ordinis nascendi aut annorum ratione: singulis nationibus suas esse leges, se, cùm Germani sint, Germanico jure, Majorum exemplo usuros. Causâ ad Friderici Marchionis Brandeburgici, Joannis Palatini Septemvirûm, & Ludovici Comitis Oetingani arbitrium delatâ, cùm ipsis non liqueret, esséme hæreditas in stirpes an capita dividenda, pronuntiarunt, in tres portiones esse dirimendam, quarum una Ludovico Barbato Ingolstadiensi, altera Henrico Landishutano, tertia Ernesto ac Wilhelmo Monacensibus cederet: quòd si tamen hi probarent, sibi quid ultra trientem deberi, semissem enim poscebant, id ex Ludovici & Henrici trientibus esse supplendum, & ope communi, à Monacensibus Fratribus, & Henrico, Ludovicum esse cogendum, ne futuræ juris definitioni obluctaretur. Cùm id decretum partibus non satisfaceret, Joannes Septemvir Palatinus, Joannes Episcopus Eistadiensis, & Ludovicus Oetinganus censuerunt, Cæsarem velut Dominum in eâ controversiâ, quæ circa Imperij clientelam versaretur, adiri oportere. Cæsar bello & rei publicæ procuratione occupatus, causam remisit ad Moguntinum Electorem, qui convocato Septemvirûm Comitio, non modò Boicos Principes, sed etiam Cæsaris mandatarios, & Albertum Archiducem Austrium, filium ac hæredem Alberti IV. & Joannæ Alberti Senioris Boio-Hollandi filiæ, qui etiam litem ad se quoque pertinere credebant, disceptantes audiret. Lecti præterea viginti quinque ex tribus Boicæ ordinibus sequestres, qui litem inspectam componerent. *Tabula data an. 1428. Amberga mense Septem.* *Litt. dat. Noribergæ an. 1426. mens. Maio.*

Sed peculiare Ludovico & Ernesto erat dissidium; quod jam in bellum & hostilitates eruperat, locis aliquot Ludovico ademptis: quam rem Ludovicus manere nolebat inultam. Cùm non veniretur ad concordiam, denique Sigismundus Imperator anno vigesimo nono, mense Aprili, Presburgi rem in publico consessu disceptatam sic definivit, ut non obscurè litigantium exertationes castigaret. Nam primò Ludovicum ac Ernestum cum fratre pacem publicam contra Imperij leges turbâsse pronuntiavit, vetuitque ultrà jus armis quærere, sed ablata restituere, captivis damnisque utrinque remissis. Deinde, quando jam sæpius Boici Duces suas Provincias Imperio beneficiariæ clientelæ nexu devinctas, inconsulto Imperatore, contrà ac jura volunt, essent partiti, atque insuper belli calamitatibus insigniter minuissent, eas dixit Imperatori commissi lege esse apertas: nolle tamen se uti summo rigore, sed tum turbatæ pacis pœnam, tum beneficiariæ legis severitatem ex merâ clementiâ remittere, probare factas hæreditatis partitiones, & clientelaria jura impertiri. Et quandoquidem quaterni Duces ad unum stema pertinerent, jussit Cæsar Joannis Boio-Hollandi hæreditatem, quæ in secundâ Bavariâ ipsis obvenerat, secundum capita in quatuor partes dividi, ex sententiâ viginti quinque Diribitorum, quos ipsi Duces jam antè delegissent, idque intra bimestre ante ferias nascentis D. Joannis Baptistæ. Quæ autem partium se huic sententiæ vel refractariam, vel æquo remissiùs obsequentem viginti quinque Provincialium judicio præstaret, eadem non modò inferioris, sed etiam omni superioris Boicæ jure excideret, ac simul incideret in Cæsaris indignationem, & pœnas Cæsareo arbitrio dictandas. Paruêre Boici Principes. Ludovico cessit Schardingæ Tetrarchia: Ernesto Straubinga cum annexis: Wilhelmo Dynastia Kelheimensis: Henrico Vilshoviensis dominatus, Landavium, aliæque insignes Satrapiæ: Alberti Austrij nulla fuit habitâ ratio, eò quòd jus fœmineæ stirpis à matre Joannâ Boio-Hollandicâ obtenderet, quod in beneficiarijs clientelis, præsertim cùm masculi superessent, locum habere non poterat. *Lis Ducum Bavariæ.* LXIIX. *Sententia Sigismundi.* *§. 1. de Feud. fœm. Ludov. Roman. consil. 367. Guil. Benedict. in c. Raynutius.*

Hoc anno Otto Mosbacensis, Ruperti Cæsaris filius, Joannam Henrici Landishutani Ducis filiam nuptum accepit. Ex eâ suscepit quatuor filios, Ottonem, Rupertum Episcopum Ratisbonensem, Albertum, & Joannem. M. CCCC. XXIIX.

Binas id temporis equestres sodalitates exortas meminit Andreas presbyter, alteram ab insignibus unicornis Poclariam, alteram à Grypho nuncupatam. Ludovicus Ingolstadianus per ætatem & alternantes rerum variarum eventus, LXIX.

ſolito mitiora edoctus, primus condendi templi Mariani, quod in ſtructuram elegantem Ingolſtadij aſſurrexit, author, memórque ævi futuri, in eo ſibi tumulum optavit, additis ſuo ſumptu aliquot ſacerdotijs, quò decentiùs & cultu frequentiore ſacra curarentur.

M. CCCC. XXIX. TABORITÆ RURSUS GRASSANTUR. LXX. Dum in Boicâ de divino honore & templis ornandis laboratur, Thaboritæ ad generis humani perniciem nati, in varias Provincias graſſati ſunt. In Sileſia quinque haud contemnendas civitates vi captas exciderunt, nullo ætatis, ſexûs aut dignitatis diſcrimine. Reverſi in Luſatiam ac Miſniam, crudelem in modum ſævierunt. Excurrêre etiam in Boicam. Jam September properabat ad exitum, cùm in agrum Cambenſem de improviſo irrumpentes, civitati ſtruxêre inſidias. In eas delati cives, magno numero occubuerunt, complures fuerunt in captivitatem abrepti. His ſucceſſibus tumidi facinoroſi homines, non multò pòſt reverſi, ſuo more prædis agendis, incendijs, & latrocinijs Provinciam reddebant infeſtam; cùm centuriati ex Cambenſibus & finitimis incolæ, junctis viribus in campum progreſſi, hactenus invictos auſi ſunt prælio laceſſere. CÆDUNTUR A BOIIS. Pugnam non detrectavere ſui fiduciâ & continuo victoriarum ſucceſſu præfidentes. Collatis igitur ſignis, Boij ferocientibus audaciam propitio Numine excuſſêre, reportatâ inſigni victoriâ, in cujus partem venere agreſtes, quorum fortitudo in eâ pugnâ egregiè emicuit. Wilhelmus Dux Monacenſis in ſceleratum hoſtem exercitum comparârat, jámque erat in procinctu, ut caſtra moveret in Bohemiam; verùm à ſuis, & Boicâ nobilitate prohibitus, cùm ipſe expeditioni adeſſe non poſſet, nihilominus copias ſub vicario juſſit in nefarium hoſtem proficiſci. Ivêre menſe Novembri magnis animis, & onuſti palmis multíſque ſpolijs, cùm vices Bohemis ferro & igne repoſuiſſent, domum redière.

M. CCCC. XXX. Anno ſequenti Thaboritæ, domi ſecuri, rurſus excurrerunt in Miſniam, Franconiam, & Boicam, tantúmque paſſim terrorem intulêre, ut agris à colono deſertis, arces & caſtella defenſore vacua, ipſis, nemine prohibente, paterent.

Fridericus Marchio Brandeburgicus, memor, nihil admodum aut perparum adhuc cum efferatâ ſectâ eſſe profectum, enixè contendebat, ut viri doctrinâ & ſanctitate præſtantes cum Huſſitis venirent in amicam de religione concertationem, ratus, rationum momenta quibusvis telis fore adverſus errores valentiora.
LXXI. Eâ de re litteras dedit ad viros virtute ſapientiâque inſignes. Verùm judicatum, iſtius modi diſceptationem nihil opis eſſe obſtinatæ genti allaturam: quòd ſciretur, vix ullo unquam fructu cum tali cerebroſorum hominum genere, de rebus fidei ſuſcipi privata certamina, nec eſſe credibile, ſubmiſſuros cervices, unius pluriúmve virorum quamlibet eruditorum piorúmve argumentis, quorum tanta ſit arrogantia, ut ne totius quidem Eccleſiæ putent eſſe cedendum. Ita Friderici ſtudium laudârunt ſapientes, conſilium non probârunt.

Interea Civitates Bohemis viciniores, in firmandis mœnibus novíſque munimentis impigrè deſudabant. Inter cæteros, Ratisbonenſes, ut foſſas ampliarent, & pontem lapideum, per quem trajectus eſt in Bohemiam, propugnaculo & idoneis operibus tutarentur, ædes, quantumvis ſacras ac nobiles, quæ in ſuburbio vel obſtabant recenti molitioni, vel ex propinquitate credebantur mœnibus obfuturæ, ſolo æquandas curarunt.

M. CCCC. XXXI. LXXII. Alias hæreſis Huſſiticæ expugnandæ machinas paravit Martinus V. Pontifex, indicto Concilio Generali ex Conſtantienſis Decreti præſcripto, quo fuerat conſtitutum, ut poſt finem ejuſce Concilij, aliud Ticini poſt quinquennium, eóque peracto, aliud poſt ſeptennium haberetur alibi. Bullam ediderat Martinus calendis Februarij, quâ Baſileam ſacroſanctis univerſæ Eccleſiæ Comitijs deſtinaverat; cùm 10. cal. Martias, rebus humanis exemptus, magnum ſui deſide-
MARTINI V. PONT. EXCESSUS. rium Orbi Chriſtiano reliquit, poſteaquam D. Petri ſedem tredecim annos, menſes tres, dies duodecim, rebus piè, ſapienter, fortitérque geſtis, cum piorum approbatione tenuerat. Supremus Patrum Purpuratorum ſenatus ipſis Martij calendis

lendis Romæ sacrum Comitium ingressus, tertio pòst die Gabrielem Codulmerium tit. S. Clementis Cardinalem, natione Venetum, Eugenij IV. nomine, Pontificem renuntiavit.

Fuit inter primas Eugenij curas Juliano Cæsarino Cardinali demandatam à Martino V. belli sacri & Concilij Basileensis procurationem comprobare. *Litt. Eugenij 3. Maij data Romæ.*

Agebat eo tempore Sigismundus Cæsar Norimbergæ Imperij Comitia, quibus præsens Julianus, Pontificis mandata exposuit. In Thaboritas, Orebitas, Orphanos, monstrosam Hussi progeniem decreta fuit, communi omnium Germaniæ Principum voluntate, expeditio. Ei præfectus Fridericus Marchio Brandeburgicus: adiuncti Albertus & Christophorus Palatinus Boicæ, & Fridericus Saxoniæ Duces. Joannes item & Albertus Brandeburgenses Principes. *Nonnihil variat Andreas Presbyter.* Præter hos Herbipolensis, Eistetensis Episcopi; societas Suevorum S. Georgij, & Imperialium civitatum. Auxilia miserunt Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis Archiepiscopi. Confluxit ad quadraginta millia equitum, minor peditum numerus. Improspera rursus fuit ista cruce signatorum expeditio. LXXIII. Direptis duntaxat incensisque aliquot villis ac oppidis in Bohemiæ finibus, sive proditio fuit, sive metus inanis, totis castris trepidatum, & priusquam hostis ullus appareret, sublatis repentè signis, non expectato ductorum imperio, multi etiam projectis armis, rapido cursu fugam maturavere, amissis impedimentis, quæ venêre in hostium manus. RURSUS IMPROSPERE MOVETUR IN BOHEMOS.

Albertus Austriæ Dux, Sigismundi Regis gener, omissâ Præzoroviæ oppugnatione, post auditam Germanorum fugam, per Moraviam infesta signa circumferens, supra quingentas villas ferro & igne delevit: oppida complura vi capta diripuit; Hussitarum ingentem multitudinem cecîdit, & Moravos in sua verba & Concilij Basileensis authoritatem adegit, pollicitos, se in ijs, quæ ad fidem religionémque spectarent, in sacri Basileensis Comitij potestate futuros. ALBERTUS AUSTRIUS FELICITER BELLAT IN MORAVIA. LXXIV.

Ernestus Bojus, id temporis, voluntate Sigismundi Cæsaris, Joanne Episcopo Zagabriensi comite, Legatus proficiscebatur in Lithuaniam, ut Vitoldo gentis Duci, qui Christiano ritu ablutus Alexandri nomen nuper acceperat, coronam noménque regium ferret, fœderis cum Cæsare initi & belli socialis pignus: verùm Ladislaus Poloniæ Rex Vitoldi nepos, Regis dignitatem patruo invidens, Legatos aditu Lithuaniæ prohibuit. *Andr. Presb. And. Brunn. in Ernesto.* ERNESTI DUCIS LEGATIO IN LITHUANIÂ FRUSTRATA.

Inter hæc Concilio Basileensi datum est initium vigesimâ tertiâ Julij. Sigismundus Cæsar, cùm ipse ob Italicam profectionem adesse non posset, Guilielmo Bavaro Ernesti germano suas vices commisit. Erat Guilielmus Cæsari inprimis acceptus, & Imperij Proceribus gratissimus, ob præclaras virtutes, quibus se eousque commendabat, ut eum Principes regno destinarent, si quid Sigismundo humanitus contingeret. Niderus illum vocat patrem pauperum, Religiosorum omnium tutorem: Vitus Eberspergensis tantam in eo laudat virtutum absolutionem, ut ejus vitæ nullum crimen, nominis existimationi nullus nævus potuerit inspergi. GUILIELMUS BOIUS CÆSARIS VICARIUS. *Nider lib. 2. Formic. c. 4.*

Is præclarè suo functus est munere. Concilium ad 17. cal. Junias, anno quadragesimo tertio solutum est, cùm duodecim propè annos tenuisset. Illud Eugenius Pontifex Maximus sæpius dissipare conatus est, sed in cassum. Pattres etenim, cùm suam authoritatem Sedi Romanæ anteferrent, Eugenium ausi sunt exauctorare, & Felicem Sabaudiæ Ducem sufficere. Ita Concilium, quod felix habuerat initium, Felice adscito, felicem non habuit exitum: neque enim Felix pro legitimo Pontifice fuit habitus, & Eugenius dignitatem retinuit, & Lateranense Concilium complura Basileensis capita damnavit. LXXV.

Hoc ipso anno, sub medium Septembrem, Hussitæ rursus in Boicam irrumpentes, prope Oreswangam Erasmi Sattelbogeri villas direptionibus, incendiisque vastârunt. Coloni conglobati, ut accepta damna ulciscerentur, & imminentia prohiberent, nihil dubitârunt prælio cum grassatoribus decernere. Juvit divina manus agrestium fiduciam, quæ Principum gloriosos apparatus ferè *And. Presb.* HUSSITÆ IN BOICA PROFLIGANTUR.

 adhuc

adhuc destituerat. Mirum dictu, Bohemorum sagittarij, telis in cassum emissis, unicum è Boijs sauciârunt, ne uno quidem interempto, non secùs ac si Numen omnem Hussitis industriam, vim omnem missilibus ademisset. Nihilò plus in eo conflictu valuit eorum equitatus. Cessit ergo, cœlo propitio, semiermibus colonis victoria, nullo prorsus è suis desiderato, cæsis ex hoste quàm plurimis. Bohemi reparatis viribus, sub exeuntem Septembrem regressi in Boicam, agrum Schonseæ finitimum direptione, ferróque deformârunt: in eorum numero censebantur avitæ fidei desertores, qui retento adhuc Catholico nomine, Hussitis permixti, eâdem, quâ ipsi crudelitate, detractâ fictæ pietatis larvâ, sæviebant.

LXXVI. Ernestus Dux, qui id temporis Straubingæ degebat, cognito nebulonum adventu, crebris colonorum nuntijs excitatus, copias è Provincialibus centurijs, tumultuariâ festinatione contractas in campum vix eduxerat, cùm grassatores illi nuperæ cladis non immemores, veriti, ne denuo à Boijs vapularent, in Herciniam refugerunt. Sic vicit Ernestus citra pugnam. Ne aliàs nomini Christiano inter Bohemos periclitanti ferret suppetias, turbæ domesticæ ab inquieta nobilitate potissimùm conflatæ obstiterunt. Sæpe per litteras est conquestus, se, cùm maximè vellet, ne arma contra externum hostem indueret, suorum improbitate prohiberi.

Arenbeck. Vitus Ebersberg. M. CCCC. XXXII. *Andreas hoc connubium refert anno sequenti.* GUILIELMI BOII NUPTIÆ. MORS ELISABETHÆ ERNESTI UXORIS.

Guilielmus interea Boiorum Dux Cæsaris vices gnaviter obibat Basileæ cum magnâ omnium Ordinum approbatione; quamquam non deerant turbæ, quas Basileenses nonnulli, Hussi contagione infecti (quod Julianus Legatus Pontificius in ipso statim Concilij limine Eugenio significavit) sacro ordini, religiosis præsertim, infensi, subinde in advenas movebant, rati, se eâ ratione cœtum disturbaturos. Dum isthic agit Guilielmus, Margaritam Adolphi Cliviæ Ducis filiam Principem octodecennem sacro sibi thori fœdere conjunxit in celeberrimâ sacrorum Antistitum & magnorum virorum frequentiâ. Dum hæc festivè agerentur, Elisabetha Barnabovis Mediolanensis Vicecomitis filia, Ernesti uxor, aulam Boicam luctu implevit, Princeps bene morata & suo parenti longè absimilis. Dedit illa marito Albertum Boicæ imperaturum, Beatricem nuptam Hermanno Comiti Ciliæ, pòst Joanni Ruperti Imperatoris filio; denique Elisabetham primùm quidem Adolfi Ducis Juliacensis, deinde Hessonis Comitis Laimingensis conjugem.

M. CCCC. XXXIII. *And. Presb.*

Is, quem dixi, Dux Joannes Comes Palatinus, unà cum filio Christophoro Hussitis castrum Reichensteinium in Bohemicâ sylvâ excussit, quod ipsi non multò antè proditione occupaverant: Ne inde agro vicino suis excursionibus ac rapinis pergerent esse infesti, Joannes arctâ cinctos obsidione, post acrem oppugnationem, cùm de eo diutius propugnando desperarent, coëgit ad deditionem, adulto Septembri. Vix loco excesserant, cùm suorum aucti suppetijs pedem retulere in Boicam, multò quàm antè ferociores, tantâ in colonos usi crudelitate, quantâ raró aliàs. Joannes, qui tantisper Norimbergam secesserat, sub signis non habebat ultra ducentos equites, & è colonis aliquot centurias, vim, si humana spectes, hosti longè imparem. Nihilo tamen minùs fretus ope Numinis justæ causæ adfuturi, non dubitavit cum aliquot millibus congredi. Cœlum cum ejus fiduciâ visum conspirare. Collatis enim signis, Bohemos tantâ animi fortitudine excepit, ut cæsis plus mille quingentis, nobilem victoriam reportârit, decem duntaxat è suo numero desideratis. Egregiam isto conflictu navaverunt operam Henricus Pflugius Joannis Legatus, & Joannes Zengerus miles septuagenarius, Wilhelmus Paulstorferus signifer supremus, hoc ipso digni, qui cum honore posterorum memoriæ commendentur.

BOHEMI IN BOICA SÆVIENTES PROFLIGANTUR.

HUND. IN METROP.

Sub id temporis castrum Werdense, quod ab Episcopatu Ratisbonensi avulsum, multis antè annis, in alienas manus venerat, reductum est in statum pristinum, beneficentiâ Ducis Guilielmi Boici. Fuerat olim inferioris Bavariæ Ducibus, deinde Henrico Nothaftio Ducatûs Straubingensis administro, pignoris jure attributum, in vicem triginta quinque aureorum millium. Id nuperâ

Pro-

Provinciæ partitione sortito obtigit Duci Guilielmo, qui redemptum solutúmque nexu Nothaftij, Episcopatui reddidit, donatis è capitali summâ decem florenorum millibus. Quod beneficium ut æternæ memoriæ Conradus Episcopus consignaret, jussit annis singulis, sub Maij calendas, in æde Cathedrali, solenni ritu pijs Guilielmi manibus sacro Missæ officio parentari.

Parem laudem id temporis non tulit Ludovicus Ingolstadiensis, nondum positâ dominandi immoderatione, quâ nihil tetrius effica ciúsve ad conciliandum vicinorum odium & rerum novandarum cupiditatem. Cùm Sigismundus redux ex Italiâ Basileam venisset, Ludovici patrueles, Oetingani Dynastæ, Sueviæ Toparchæ, Præfecti Brandeburgici & Norimbergici limitis, Eistattensis, Ratisbonensis & Passaviensis Antistites, centum equestris ordinis proceres, viri fœminæque Deo sacratæ, Cæsarienses, Schirenses, Understorffenses, Geisenfeldenses, Hohenwartenses, Angerinæ, convexere plaustra accusationum, quibus Ludovicum arcessebant injuriarum, eò maximè, quòd aucupum hospitationibus, venatorum vexatione ac concussionibus, canum & accipitrum multitudine, præbendísque alimentis, non modò colonorum inopiam vexaret, sed etiam melioris sanguinis homines, dicatásque Numini familias, contrà ac fas esset, penè opprimeret. Auditæ à Cæsare criminationes, præteritorum factorum memoriam renovârunt. Dies Ludovico dicta per Antistitem Cæsariensem, à quo jubebatur ad causam dicendam intra mensem adesse. Ad eum à Sigismundo præterea cum mandatis missus Marchio Badensis, qui suaderet moderatiora, illúmque ad facienda Cæsaris jussa componeret. Lavingæ sunt congressi. Badensis nihil fecit reliquum ad deliniendum Ludovici animum mirè in accusatores accensum: verùm tam nihil obtinuit, ut Cæsari retulerit, Ludovicum alioqui humanum & popularem, non potuisse permoveri, ut se Augusto tribunali sisteret. Cæsar, qui tum Ulmæ erat, rei indignitate offensus, consilium capit de Ludovico proscribendo, quo fulmine nullum videlicet esset aptius ad excutiendam immorigero contumaciam. Simul Basileenses Patres Ludovico sacris, tanquam Ecclesiasticæ libertatis violatori interdixere, utque animadverteret, rem agi seriò, Cæsar in pervicacem & declaratum Reipub. hostem arma decrevit. Tot machinæ fregêre tandem animum obstinatum. Suo enim & rerum suarum discrimine territus, à demissione & modestiâ, cui minimè assueverat, consilium tametsi durum ac difficile, mutuatur, & supplicis habitu Cæsaris ad pedes prostratus, clementiam veniámque implorat, impetrátque, sed non sine rerum suarum detrimento. Nam inprimis, quam ipse olim Sigismundo grandem pecuniam mutuò dederat, syngraphâ oblitteratâ, remissísque pignoribus, oportuit condonare: præterea Werdeam Sueviæ, urbem Boicæ ditionis, quæ ad civitates Imperiales defecerat, omni pristinæ conditionis nexu in omnem posteritatem solvere, non sine nocumento, quod pertinebat ad Boicam Domum universam: denique polliceri, se circa cæteram litis æstimationem in Cæsaris authoritate futurum. Res subinde ex Sigismundi voluntate Ratisbonæ fuit composita ijs legibus, ut Ludovicus illata Sacerdotibus locísque pijs damna sarciret, læsam sacrorum immunitatem officiosâ satisfactione compensaret, & de cætero ab ejusmodi factis abstineret: quæ universa ipse syngrapho stipulatâque obligatione firmavit.

LXXVII. Querelæ de Ludovico Barbato. *Aventin. Lib. 7.*

M. CCCC. XXXIV.

And. Presb.

LXXVIII. Compescitur a Cæsare.

Hæc dum agerentur, infestum Hussitarum agmen in Boicam effusum, Waldsachsense Monasterium diripuit. Timebatur, ne ea res pacis, quæ cum Bohemis tractabatur, consilia turbaret: verùm Cæsar in præsens sapienter iram pressit, ne compellatis quidem de acceptâ injuriâ Bohemorum Legatis, existimans dissimulari oportere, quæ neque castigari poterant, nec opportunè accusari.

M. CCCC. XXXV.

Annum hujus sæculi trigesimum quintum Guilielmus Ernesti frater suâ morte signavit. Diem obijt 3. Idus Septembris, Adolpho nondum bimulo, & Wilhelmo posthumo relictis. Adolphus duos annos patri superstes fuit, Wilhelmus

Guilielmus Ernesti frater vita defungitur.

LXXIX.

mus ne hunc quidem annum absolvit. Deo visum tam probi parentis sobolem maturè cœlo transcribere.

Interea Guilielmus, Constantiensis cœtûs, vice Cæsaris, tutelam gessit in tertium annum, tantâ ordinum omnium approbatione, ut cùm Sigismundi expectationi præclarè respondisset, illum censuerit Sueviæ Præfecturâ & viginti trium aureorum millibus, regio, uti ista ferebant tempora, donativo, esse remunerandum. Eum laudavit Sigismundus à præclara immotæ fidei constantiâ, à singulari circumspectione & providentiâ, quemadmodum tabulæ loquuntur, quibus Cæsar illi sacri istius Comitij protectionem commisit. Phœnicem inter Principes fuisse necesse est, si Vitus Eberspergensis verè de illo scripsit, sic eum satisfecisse rigidissimis etiam censoribus, ut ne unus quidem fuerit, qui eum ullius *criminis, maculæ, defectûs, aut negligentiæ* insimularet. Jam retuli, eum pronis Electorum Principúmque votis Imperio fuisse destinatum, si Sigismundo Cæsari foret superstes. Monachij apud maiores sepulchrum est nactus. Non multò pòst Margarita uxor, filia Adolphi Ducis Cliviæ, ipsum est secuta.

M. CCCC. XXXVI. LXXX. *Tritheim. Chron. Sponh. ad an. 1435.* JUSTITIÆ EXEMPLUM. *And. Presb.* Ernestus Guilielmi germanus, hoc anno, exemplum edidit posteritati memorandum. Albertus ejus filius juvenili abreptus cupidine, mulierculam, Agnetem Bernauerinam nomine, deperibat, patre chirurgo Augustano, solâ formâ & veneris lenocinio commendabilem. Ernestus parens eam juvenis cœcitatem ferebat indignissimè, quòd mulieris irretitus amoribus, à nuptijs suo genere dignis abstraheretur, & quod caput est, sibi à Deo indignationem, ab hominibus infamiam consciscerct. Passim enim jactabatur, ignobili mulieri, non secus ac justæ conjugi consuescere, adeóque invito etiam patre, ad legitimum thorum destinare. Reipsâ jam illi arcem donârat. Non dissimulaverat iras Ernestus, sed sæpius monuerat, uti resipisceret, cessarétque, tam fœdo ignobilíque consortio animum genúsque suum inquinare. Cùm surdo cecinisset, & anno trigesimo quarto, Ratisbonæ, ludi equestres haberentur, verbis castigatum, verberibus etiam, iratus multavit. Frustra hæc fuerunt, & jam eò processerat mulierculæ audacia, ut se Boiorum Ducis conjugem profiteretur. Cùm Albertus peregre abesset, Ernestus eam jubet Straubingæ à Senatu conijci in vincula, ac quæstionem de ejus moribus, ex lege, per Magistratum haberi. Illa proterviùs ausa respondere, aquis præfocanda ultimo capitis supplicio Prætoris sententiâ addicitur. Ergo de ponte Straubingensi, duodecimo Octobris præcipitatur in Danubium. Eam ferunt chartæ Ratisbonenses ripæ adnatasse, & lamentabili voce opem implorasse civium; sed à carnifice longurio depressam perijsse. Id ubi rescivit Albertus, dolore amens, versus in furorem, aliquot dies insaniendo consumpsit. Pòst ad mentem reversus, cùm profusè suis amoribus lacrymans parentasset, juravit, se nec patri nec patriæ parsurum, donec Agnetis suæ necem vindicasset. Hinc iræ & ingens discordia: Alberto ad supplicium poscente nobiles, aliósque, qui parenti authores fuissent Agnetis extinguendæ; Ernesto contrà parato filij insaniam castigare. Cùm tamen Alberti ira resedisset, agnossétque anteactæ vitæ errores, non invitus judicibus & suasoribus pacem concessit, patris verò æquitatem est veneratus: impetravit tamen, ut expiandis amasiæ manibus sacellum, in quo ipsa sepulta est, extra Straubingæ mœnia ad D. Petri templum, addito perpetuo sacerdotio, extrueretur. Visa nonnullis est Ernesti animadversio justo acerbior: sed quidni offensi numinis & suæ familiæ causam vindicaret? Quid si merus fuerit pellicatus? quasi verò Principi non licuerit in pellicem auditâ causâ, Prætoris edicto curare animadverti? Jussit Deus Num. 25. 4. cùm filij Isräel cum filiabus Moab essent fornicati, Moysen *tollere cunctos Principes populi, & suspendere eos contra solem in patibulis*, ut publico magnatum supplicio promiscua multitudo territa, desineret fornicari. Statuit Ernestus exemplum in sequiore sexu, & tollendo meretriculam, ostendit, quâ severitate in istam gentis humanæ pestem sit utendum. Si

LXXXI. omnes Principes similem animadversionem adhibuissent, non irrepsissent in optimas

timas familias tot labes natalium & spuria vitulamina, quæ nec agunt altas radices, nec sinunt nobilissimum sanguinem incorruptâ sobole propagare. Quid si nuptiæ clancularuiæ intercessserint? Atqui de ijs non constabat, tametsi metueretur: sed licet intercessserint, non fuerunt tamen innocentes, quas tot legum præjudicia damnârunt, nec à pœnâ immunes, sed hoc ipso nocentiores, quòd inviro patre, cum insigni nobilissimæ domûs injuriâ fuissent contractæ. Tales quidem id temporis ligabant conjuges, sed non solvebant culpam aut patriam potestatem, quò minùs irasceretur, puniret, & illustrissimæ stirpis intaminatam claritudinem ad posteros transmitteret. Tergeminum fuisset scelus, nupsisse clàm, nupsisse patre invito, nupsisse toto cœlo impari, & probrosæ maculæ periculum in honoratissimam familiam invexisse; cujus sceleris non maritus modò, sed uxor quoque rea fuisset & particeps. Nec verò injustum erat, obgravissimas causas ignoscere Alberto, eò potissimùm, quòd in eo solo ac unico spes stirpis Ernestinæ superesset, & de Agnete utpote vili capite, pœnam sumere. Hæc in gratiam Trithemij, qui parùm benignè de Ernesti severitate videtur judicasse, cùm scribit, *Omnes clamâsse, malè fecisse patrem, quòd tam pulchram, innocentem, filioq; suo super omnes dilectissimam juvenculam, amoris causâ occidi jussisset, cùm multi olim nobilissimi Reges & Principes, virtute vel amore perurgente, sibi ex humiliore genere civium aut rusticorum, sine confusione desumpsissent uxores.* Quâ in censurâ, quot ferè verba, tot lenocinia, ad deturpandum honestissimum sanguinem: tot illectamenta ad contemnendam patriam potestatem, tot incentiva ad laxanda frena cæcis amoribus. Quod Theodosius, quod alij Principes in eo genere fecerunt, id neque clancularié, neque ex fœdâ libidine, neque reclamante majorum imperio, neque prævio pellicatu fecerunt. Magna vis patriæ necessitudinis, magna Principis authoritas in personam subditam, qualis erat Agnes. Grave exemplum Clotharij, qui Grannij, filij contumaciam igne est ultus, cùm eum unà cum uxore & liberis scamno alligatum, per lictorem jussit exuri. Nec illaudata severitas Hermanni Ciliæ in Carinthiâ Comitis, qui teste Sylvio, Veronicam filij Friderici pellicem in profluentem abiecit & suffocavit. Ernesto hanc debet gratiam Domus Boica, quòd nobilissimum genus, nullo contaminatum sequioris affinitatis, alióve natalium nævo, hodiéque ducat à summis & præclarissimis totius Europæ majoribus, serie non vetustâ magis quàm incorruptâ. Albertus istâ patris cautione redditus prudentior, Annam Brunovicensem illustrissimam & regiâ formâ Principem, sibi Monachij festâ totius Boicæ acclamatione & publico Ecclesiæ ritu, matrimonio junxit. Prioribus nuptijs, sed infœcundis duxit Elisabetham Wirtenbergici Comitis Eberhardi filiam.

LXXXII.

Æmil. in Clothario. Ammoin. de Gest. Franc. cap. 3. Guaguin. lib. 1 c. ult. & l. 2. c. 1.

Inter hæc Ludovicus Ingolstadiensis Leonardum Laymingium Passaviensem Episcopum armis lacessebat, è præsidio Schardingano & arce Kinigstainiâ. Damna reponebat Episcopus, agri Schardingensis direptione & incendijs: delirabant Reges, plectebantur Achæi. Intercessêre pacis pararij: hostilitas suspensa: partium voluntate delecti sequestres, qui ex æquo & bono litem diremerunt.

HOSTILIA INTER LUDOVICUM BARBATUM ET EPISCOPUM PASSAVIENSEM.

Vix ea tempestas desierat, cùm nova longè tetrior inter patrueles est exorta. Indictæ fuerant à Cæsare Sigismundo quadriennes induciæ Ludovico Barbato Duci Ingolstadiensi & Henrico Landishutano. Cùm earum finis appeteret, Henricus cum Friderico Brandeburgico, Joanne Palatino Ambergensi, Ludovico, Udalrico, Guilielmo Dynastis Oetingensibus, cum Leonardo Passaviensi Episcopo, recentium damnorum nondum oblito, fœdus adversùs Ludovicum instaurat. His adjungit proximas Imperij civitates, Rotenburgum, Suevo werdam, Nordlingam, Dunckenspilam, Weissenburgum, Popfingam. Res nondum eruperat in apertum bellum: Duces Sigismundi Cæsaris reverentiâ, qui pacem utrisque indixerat, se nihil hostile moliri profitebantur. A nobilitate & partiarijs certamen exortum est. Ji velut injussu Principum de privatâ causâ

Avent. lib. 7. And. Presb.

LXXXIII.

NOVUM INTER PATRUELES BELLŨ.

causâ rixabantur, & paulatim non magnis initijs Martem lacessebant. Antesignani fuere Henricus Nothaftius & Georgius Hartenbergius. Res illis erat de decimis Cholnbacensibus. Ex tam parvâ scintillâ tantum incendium. Decimas Hartenbergius ex sententiâ Eugenij Pontificis, Concilij item Basileensis, & Ratisbonensis tribunalis auctoritate obtinuerat: Nothaftius vim juri objiciebat. Principes, quibus alioqui jam manus pruriebant, suæ quisque ditionis factioni se adjungunt, causati, sua permultum interesse, ne subjecta nobilitas acceptâ injuriâ, & quod consequens est, Provinciæ vires opprimantur. Henricus ergo Dux, Labarensem arcem supra Ratisbonam invadit: Henricum Nothaftium copiarum legatum bello præficit: Dingelfingam Ingolstadiense municipium, ipsius Christi resurgentis ferijs obsidione cingit. Quiescebat inter hæc Ernestus ejúsque filius Albertus. Quietem non magna res intercepit. In suam fidem receperat Albertus bina navigia, quæ ab Ingolstadiensibus è Vohburgo Neostadium ducebantur, addideratque navigaturis publicæ securitatis suo syngrapho munitam tesseram. Eam aspernati Henriciani milites, qui Neostadium præsidio tuebantur, seu prædandi libidine, sive authoritatis contemptu, navigia vi capta diripuere. Albertus suam verti dignitatem arbitratus, constituit, facinus non sinere inultum. Serebat quidem cum Ludovico simultates, sed veteres illæ cessere odio recentiori. Redit cum Ludovico non illubente in gratiam, fœdus icit, Landishutano bellum indicit: Neostadium urbem adigit ad deditionem, copias jungit cum Ludovico Gibbere, Ludovici Senioris Ingolsta-
LXXXIV. diensis filio, & ingressus Henrici fines, Afhusium, Mangoltingum, Seuchosiam aliósque pagos mense Aprili flammis devastat. Inde progressus, Dingelfingensibus properat suppetias.

Henricus, de ejus adventu factus certior, solutâ Dingelfingæ obsidione, obviam venienti festinat: Mainburgum Alberti oppidum, calendis Maij diripit, incendit: Kirchbergam, Gislariam castella occupat, Churnsteinium solo æquat, ipsisque Pentecostes ferijs, Dingelfingam iteratâ obsidione oppugnatam, quartodecimo pòst die, suæ potestatis facit. Aliâ ex parte Leonardus Passaviensis Antistes, Schardingæ & arci Kinigstainiæ obsidium admovet: verbo, res spectabat bellum civilibus odijs exitiale ac diuturnum.

Verùm Fridericus Brandeburgicus & Joannes Palatinus, quibus Boicæ tranquillitas istis calamitatibus erat longè antiquior, Ratisbonæ studia partium sollicitant, ne majoribus se incommodis pergerent involvere. Ernestus pacis perquam avidus, cùm Sigismundus Imperator in Pannoniam abijsset, nec quicquam Ratisbonæ pacarij Principes promoverent, Basileam profectus, Patrum conventum orabat, vellent afflictæ Boicæ boni pacis conciliatores succurrere; hoc dare fratris sui Guilielmi meritis ac memoriæ, qui se tam fidum officiosúmque Concilij assertorem præstitisset, & diffidentes Principes ad mitiora consilia missis Pacificatoribus inducere: non dubitare se, quin pro eo ac Boij Duces debeant, futuri sint in sacrosancti Senatûs authoritate. Annuunt Patres, & Nicolaum Cusanum, virum virtute, ingenio & doctrinâ clarissimum, Joannem Lubecensem Episcopum Ratisbonam amandant. Illuc ubi venêre, calendis Quintilibus, mox ex Basileensis Senatûs decreto, Principes jubent ab armis discedere, pacisci quadriennes inducias, de controversijs interim jure, non bello, decernere, & pacis leges vel consensu dictare, vel dictatas accipere. Has memorat Andreas; *Arx Kinigstainia, ab Henrico Nothaftio non ita pridem constructa prope Passavium,*
RES COMPOSITÆ. *solo æquator. Dux Ludovicus citra vicinorum damnum aut discrimen Schardingam retineto: si ædificiis ampliaverit, id suis impensis facito. Principes sacrum Ordinem suæ libertati & prærogativis relinquunto: Eum ne premunto novis oneribus. Albertus Dux Neostadium possideto. Ernestus, Albertus, Adolphus Monacenses pacis vindices sunto. Si quid præterea dividiæ fuerit, per Alberti Rechbergij Aistattensis Episcopi arbitrium componitor.* Dum hæ pacis conditiones scriberentur, Ludovici miles Eberspergense Religiosórum domicilium diripuit.

Hoc

Hoc ipso anno cùm de Orientali Græcorum Ecclesiâ ad Romanam revocandâ, Eugenius Pontifex & Basileense Comitium certatim laborarent, adulto Autumno, plena pœnarum condonatio, quam Indulgentiam vocant, ex Decreto Basileensis Comitij Ratisbonæ fuit promulgata, quâ bis frui, in vitâ semel, iterum in extremâ vitæ lineâ, liceret, ijs, qui peractâ peccatorum exomologesi, stipem conferrent ad sumptus, pro Græcorum Legatis, ad Concilium venturis, faciendos. INDULGENTIA PLENARIA.

Sequens annus Sigismundi Imperatoris funus extulit, Znaimæ 6. Id. Decembris. Imperavit annos viginti septem, cum non vulgari laude. Fuit Princeps excellenti ingenio, acris judicij, liberalis, multarum linguarum peritus, ob singularem humanitatem charus exteris nationibus, togâ longè quàm sago felicior, tantâ dicendi facilitate, ut & privatim & publicè sine interprete cujuscunque generis ac momenti negotia disertè proponeret ac disceptaret, Latinâ præsertim eloquentiâ, in quâ supra mediocritatem excelluit. Secutus exemplum Ludovici IV. Bavari, in Hungariâ plerumque regiam habuit, cùm Cæsares, præsertim Saxonici, Suevici sanguinis, ante Ludovici tempora, nullam sedem fixam haberent, sed domesticis possessionibus hæredum fidei commendatis, pro re natâ in urbibus Imperij & Episcoporum domicilijs, per vices & velut in orbem, Imperij negotijs darent operam, vectigalibus & Cæsareo fisco, cum Principibus, qui officij causâ frequentes aderant; victitantes. Hungariæ Regnum adeptus est Sigismundus nuptijs Mariæ Reginæ Principis egregiæ & non obscuræ virtutis: secundam duxit Barbaram Hermanni Comitis Ciliæ filiam, profligatæ pudicitiæ, Epicureæ in omnem voluptatem licentiæ fœminam, tantæ impudentiæ & authoritatis in maritum, ut impune genialem thorum infinitis adulterijs pollueret, pessimo exemplo, famæ Cæsareæ ludibrio. Jactatus fuit Sigismundus adversæ fortunæ procellis, post infelix adversus Bajazetem prælium, conjectus ab Hungaris in vincula, hoc obtentu, quòd viduus post Mariæ Reginæ excessum, in libidinem esset effusior, re autem verâ, quòd ultam vellent aliquot rebellium cædem, quos ipse præcipiti aliquantùm severitate sustulerat. Actum erat de ejus libertate & vita, nisi vidua Garrij Hungari, quem ipse capite inter perduelles minuerat, miserata lamentabilem Regis sortem, simul magnis illecta pollicitationibus, annuentibus filijs, quorum custodiæ à Regni proceribus erat demandatus, eum carceri & morti exemisset. Multa præclarè sapientérque gessit pro Ecclesiâ, próque Romano Imperio, cæteroqui religiosus Princeps, juris tenax amánsque pacis & æquitatis.

M. CCCC. XXXVII. SIGISMUNDI CÆSARIS OBITUS. LXXXV. *Benevenutus in lib. Augustali.* *Cuspinian. de viris Germ. Illustr.*

Eodem anno jam exspirante, Ludovicus Comes Palatinus Dux Bavariæ, Imperij Septemuir, cognomento Pius, fatis concessit. Freherus, contra cæterorum scriptorum fidem, ejus mortem in annum superiorem retulit. Præstitit se insignem Concilij Constantiensis propugnatorem, moribus integris, vitâ religiosè cultâ, eximiâ in Christum generis humani liberatorem pietate, quæ eum in ipsam Palæstinam, anno abhinc undecimo, traxit, ut coram veneraretur terram, Dei cunabulis, vestigijs, & fuso in cruce sanguine consecratam. In reditu oculorum jacturam fecit: deinceps barbam non rasit memor suæ peregrinationis, unde barbati & cœci nomen est adeptus. Biennio antequam è vivis excederet, cùm uxori ac consiliarijs videretur justo liberalior, Principatûs administratione motus, instar privati, reliquam exegit vitam. Eum ferunt in magnâ populi frequentiâ, cùm divina agerentur, acceptam ab uxore injuriam hoc modo publicè contestatum. Cùm vocato ad se filiolo prolixè esset blanditus, impegit alapam non levi manu: Puero flebiliter roganti, quid ita percuteret, quam ob culpam? respondit: Volo fili, ex hujus alapæ jugi recordatione, altè tibi hærere memoriam injuriarum, quæ à tuâ mihi matre inferuntur.

LXXXVI. OBITUS LUDOVICI PII PALATINI SEPTEMVIRI. *Trithem. in Chron. Sponh.* *Andr. Presb.* *Arenbeck.*

Inter hæc Bullis ultro citróque certavere Eugenius Pont. & Basileensis conventus, illo Ferrariam Basileenses ad Concilium evocante, his refragantibus.

Quâ de re Pontifex ad Sigismundum Cæsarem Legatum misit, sed priùs quàm ille sedis Apostolicæ mandata audiret, vitâ excesserat.

LXXXVII. Cùm morbis fractus, in horas ad extrema properaret, Hungariæ juxtà ac Bohemiæ Proceres in conclave accersitos, gravissimâ oratione fuerat cohortatus, ut Regni utriusque salutem & gubernacula Alberto genero Austriæ Archiduci, quem hæredem ex asse dixerat, commendarent. Neque eum latebant improbæ artes Barbaræ Imperatricis, ob quas captiva tenebatur, quòd in rem suam cum quibusdam Bohemiæ Regulis, quorum præcipua erat in Regno authoritas, conspirasset, ut, Sigismundo rebus humanis exempto, ipsa Poloniæ Regi matrimonio conjuncta, duo opulentissima regna connecteret. Fidem Sigismundo addixere Proceres, & reipsâ præstitere, Alberto in Hungariæ & Bohemiæ Regnum adscito. Is illi gradus ad summum Imperij fastigium fuit, cùm Francofurti anno sequente 13. cal. April. Septemvitûm votis in eam dignitatem fuit adlectus, Princeps moribus integerrimis, pietati eò usque deditus, ut in cœtibus sacerdotum, divinas laudes cantu celebrare non erubesceret. Erat præterea amans virorum doctrinâ & religione præstantium, quorum consuetudine familiarissimè utebatur. Natus patre Alberto IV. Archiduce, & Joannâ filiâ Alberti senioris Ducis Bavariæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Hannoniæ.

M. CCCC. XXXVIII.

Hic annus est, quo Ernestus Dux Bavariæ in monte Andecensi, quem ob multiplices, quæ isthic asservantur, Divorum reliquias, Sanctum nuncupant, nobile templum statuit, additis sex sacerdotibus cum Præsule, qui divina isthîc peragerent. Eum mors in his pietatis officijs occupatum, ad meliorem vitam, uti sperandum, traduxit calendis Quintilibus, Principem pacis bellique studijs præclarum. Suscepit ex Elisabethâ Mediolanensi, Barnabovis filiâ, filium unicum Albertum, regias duas virgines, Beatricem, primùm Hermanni Ciliæ Dynastæ matrimonio illigatam, deinde extincto marito, Joanni Ambergensi Bojariæ Duci, anno millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, calendis Septembribus, nuptam, defunctam an. M. CCCC. XLVII. Alteram filiam Elisabetham Adolfus Princeps Montensis, anno millesimo quadringentesimo trigesimo duxit.

Secundis nuptijs convenit in manus Hessonis Comitis Leiningensis an. M. CCCC. XL. Fato concessit an. M. CCCC. LXVII.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS II.
LIBER VIII.

Albertus III. patri ſuccedit. Bella Ludovici Barbati, captivitas, mors. Ludovici Gibberis Filij in parentem inhumanitas, exitus. Alberti Pij in repudiando Bohemiæ Regno modeſtia. Henrici Ducis Landishutani in Barbatum ſeveritas: in herciſcundâ hæreditate immoderatio. Ludovici Landishutani Ducis res geſtæ in Donavverdanos & Albertum Brandeburgicum. Alberti Pij obitus. Turbæ Auſtriæ, Bohemiæ, Vngariæ.

Erneſto rebus humanis exempto, Albertus filius Ducatum adijt, tali Principe felicem, quòd & pium moderatorem, & moderatæ pietatis Principem accepiſſet. Is enim dominatus infelix eſſe non poteſt, quem tuetur cœleſtium favor: neque verò imperium immoderatum eſt, cùm dominanti optima quæque ſunt cordi, cúmque Princeps ſic ſtudet privatis virtutibus, publicas ut non negligat, éſtque bono Regi, quàm civi quieto propior. Bonus eſt Princeps, qui ſuâ & publici cauſâ bonus; malus vel ſemibonus, qui ſoli ſibi bonus eſt. Beatus populus, cui à Principe eſt vitæ rerúmque ſerenitas, cujus libertas non modò non læditur, ſed etiam protegitur à dominatu: Nulla eſt amœnior Reſpublica, quàm quæ perpetuo quaſi vere fruitur, ex grato obſequiorum & imperij temperamento, quæque habet è ſolio Principis ſapientiam claram ſine nubilo, diſciplinam ſine injuria, dilectionem ſine inſidijs, comitatem ſine faſtidio, virtutum Scholam ex Principis exemplo. M. CCCC. XXXVIII. I.

Quid & quantum horum fuerit in Alberto, facta ostendent: nec spero fraudi erit bene subjectis imperanti, sibi ipsi, antequam imperaret, juveniliter imperasse. Deliquit tum inscitè & indecorè amando, sed scitè & decorè amores castigavit. Brevem culpam diluit longa pœnitudo. Ignoscendum desipienti, qui citò resipuit. Semel peccare humanum est, peccare nunquam, angelicum, peccare non posse, divinum. Qui amando peccant, rarò sæviunt, aut ditescunt de alieno, plerumque potiùs sunt de suo profusi: nam amantium marsupia porri folio, hoc est, nullis vinculis ligata sunt: nec proinde mirum, quòd subjectis nec formidabiles sint, nec odiosi: quippe quibus metum facit sola penè Principis austeritas; odium verò ejusdem avaritia, fastus, insipida arrogantia.

Regia Alberti pietas.

II.

Belli inter Ludovicum Barbatum et Filium Gibberum initia.

Atque ista quidem; ne majores nostri videantur ex vano aut inani assentatione, Alberto Pij cognomen tribuisse, quod sibi ipse fecit, non abjectâ & plebejâ, sed solidâ regiáque pietate, quæ dedit, ut piè paternéque imperaret, tametsi non potuit omnino quietus imperare. Turbarum initium fuit ex Ludovico Barbato Ingolstadiensi. Is Ludovicum filium, non malum alioqui Principem, sed gibbo ac strumâ deformem, minúsque paterno genio respondentem, Wielando Freibergio nato extra ordinem, postposuerat, contemptu, quo nihil est in principe familiâ odiosius aut periculosius. Gibber filius dedecoris impatiens neglectûsque, credidit, arma se adversus patrem, citra impietatem, posse sumere, nothúmque de gradu movere. Hunc Barbatus præfecerat ærario, eiúsque socerum Michaëlem Werthemium Comitem, Provinciarum administrationi. Unde apud utrumque gratia popularis, auctoritas, & Procerum suas spes, ut fit, sectantium, frequentia, apud Gibberum mœsta solitudo.

Archivum Monacen.

¶ Igitur auxilia circumspicienti inter primos occurrit Albertus patruelis, cum quo fœdus pacíscitur adversus quoscunque hostes, solo Romanorum Rege excepto: de quo extant membranæ, quarum ternæ anno hoc, adulto Septembri Pfaffenhovij, aliæ Straubingæ mense Novembri, exaratæ. Venit in partem conciliandi fœderis Anna Alberti conjux; cui Ludovicus operæ præstitæ præmium addixit monile carbunculis, adamantibus, & numeroso unione pretiosum, quod ipse ab Annâ Borboniâ matre acceperat, ubi primùm Neoburgo & Ingolstadio per vim esset potitus. Ludovicus Barbatus suæ Domûs Ismäel, in quem manus omnium, & cujus manus contra omnes, eò minùs concedebat filio, quòd nemini quicquam soleret concedere, quódque præter filij indolem in deformi corpore habitantem, aversabatur ejusdem nuptias, quas cum Friderici Brandeburgici hostis sui capitalis filiâ, spretâ Cypriæ Principis regiâ affinitate, contraxerat, patre invito & repugnante. Quamobrem parens Gibberi consilia factáque velut inimici suspectabat. Cùm indies in majus crescerent simultates, jámque promicarent scintillæ belli imminentis, Albertus Cæsar factus de re totâ certior, anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono, tertio calendas Quintil. Budâ, utrumque juxtáque fœderatos jussit armis abstinere, & Albertum Episcopum Aichstattensem de suis controversijs adire: dein Alberto Bojo mandavit, suam ut opem ad pacem retinendam conferret, atque illi, qui eam coleret, adversus violatorem, sive is pater foret, seu filius, esset adjumento. Non obtinuit Cæsaris voluntas, quò minùs Ludovicus Gibber arma corriperet; etenim Arcem Fridbergensem obsedit, mense Augusto. Obsidenti adduxit Albertus suppetias. Georgius Schwangauius arcis præfectus sub D. Bartholomæi ferias fecit deditionem.

III.

M. CCCC. XXXIX.

Albertus Cæsar bellum prohibet.

Ludovicus Gibber bellum movet.

Credebatur post Wielandum Gibberi æmulum, dubiâ morte, veneno an fato, sublatum, fore, ut patris filiíque odia commorerentur: verùm cùm nobilitas & civitates filium potiùs ut solem orientem, quàm patrem occidentem respicerent, diffidia mutuis exacerbata injurijs & malè feriatorum flabellis, immane quantum creverunt. Pater irâ doloréque amens, certus de rigore nihil remittere, accingebat se ad filij exitium: Filius dudum paratus munitúsque adver-

adversus vim & infamiam, præter arma, proferebat Ecclesiasticas Cæsareásque tabulas, quibus nuper Patris nomen, ob illata Cœnobijs damna, diris fuerat Basileæ devotum, & notatum ignominiâ: Illarum obtentu contendebat, nihil se in pietatis jura committere, si patrem piorum cœtu totâque Ecclesiâ extorrem, hostilem in modum insectaretur. Quid non persuadet ira? quàm insidiosa ambitio! IV.

Sub istos impij belli apparatus, vidit Boica illustre Alberti Ducis facinus, quo se posteritati præbuit admirandum. Res hunc in modum gesta est. Alberti Cæsaris morte, gemina Regna Ungariæ & Bohemiæ, totidémque coronæ Regem vel circumspiciebant, in quem reclinarentur: vel expectabant ex Reginæ Elisabethæ partu posthumo, quippe quam Albertus moriens prægnantem reliquerat. Regina, post soluta viro justa funebria, præcoci consilio, Ungariæ Proceres utriusque Ordinis ad se vocatos obtestatur, per mariti, per Sigismundi patris, per Ludovici avi materni memoriam, ne se viduam, ne conceptam ex Rege suo, eodémque Romanorum Imperatore prolem destituant, sed habitâ & matris & nasciturae prolis (quod Deus bene vertat) ratione, de creando Interrege, qui tantisper rebus prospiciat, consilium ineant: se enim utpote juvenculam, & fœminam, tantæ moli parem sine administro non esse. Proceres eam potestatem contra Reginæ mentem interpretati, indictis Comitijs Vladislaum Poloniæ Regem accersere per Legatos, eíque Reginam viduam, cum dotali Regno, matrimonio jungere constituunt. Illa sive metu Procerum, sive spe muliebri nuptiarum, assensa est, ut Legati quidem mitterentur, sed eâ lege, ut, si re adhuc integrâ, antequam cum Polono conventum esset, ipsa masculum eniteretur, Legati facti certiores, omissâ legatione, in Hungariam reverterentur. Sed quis semel jactam aleam in manum revocet aut moderetur? Hinc extitêre ingentium malorum semina, quæ Hungaris magno damno, Regi posthumo, exitio fuere. Cùm Legati essent in itinere, Regina parit elegantem puerum, cui Ladislao nomen. Legati igitur per celerem nuntium revocantur, sublatâ omni cum Vladislao agendi potestate. Etenim Rege domi nato, nihil opus esse, nec verò etiam ipsis fas esse, cum extero quicquam de regno pacisci. Legati nihilominus, cum vulgatis jam Legationis mandatis in Aulâ Uladislai, extra periculum nequirent regredi, ad Regem profecti, demandatâ Legatione funguntur. Uladislaus eo lætus nuntio, exercitum comparat, qui in Hungariam iturum comitetur. Contrà Elisabetha, ne infanti posthumo regnum auferatur, pactum per Legatos cum Uladislao matrimonium, convocato suorum concilio, rescindit, eò quòd ejus paciscendi potestatem, post acceptum de puerperio nuntium, Legati nullam habuissent. Proceres Hungariæ, Ladislai infantis & matris orbitatem miserati, Præsules præsertim, & qui Albæ Regiæ Reginæ aderant, cæteris haud perinde sentientibus, quadrimestri Ladislao in matris gremio, ritu solenni, diadema imponunt, festinatâ inauguratione, quòd Polonus jam cum exercitu imminere nunciaretur. Legati è Poloniâ reduces, conjecti in vincula, quòd mandati fines excessissent. Regina mater, apertè detestata pactas nuptias, séque ac filium Friderici Cæsaris protectioni commendans, petijt Vissegradum arcem munitissimam, vim, à Polono imminentem, præstolatura.

Albertus Boius regnum Hungariæ repudiat. M. CCCC. XLI. *Æneas Sylv. Arenpeck. Bonfin. l. 4. Gerard. Roo l. 5.* V.

Dum hæc geruntur in Hungaria, Bohemi Pragam conveniunt, monéntque Reginam, ut Legatos mittat ad Comitia, qui Ladislai infantis partes agant, & idoneis rationibus tueantur. Mittuntur Legati Procopius Rabenstainius Reginæ Regíque Ladislao fidus, & Ptarsco, utrique, ob Alberti Cæsaris memoriam, privatásque causas, infensus. Hic Collegæ studia evertit, concedens in Bohemorum sententiam, negantium, esse è bono publico (quòd nequeat absque Rege sine turbis in præsens res communis curari) pueri ætatem incertámque indolem in longum expectare: enimuero malè esse Regno, cujus Rex puer sit. Erant tamen, qui, Procopio authore, Ladislài causam tuebantur. Illorum sententia, post longam disceptationem obtinuit, qui negabant Ladislao Bohemiæ VI.

Dubrav. hist. Boëm. l. 27.

 coro-

coronam deberi, quippe cujus patri Bohemi non paruissent. Infantem regno fore inutilem, cui diuturno adhuc Rectore opus sit: interea, dum adolesceret, Regem posse assumi: Ladislao fore satis, si ætatem viginti quatuor annorum assecutus, solio admoveatur: Regem regno dari, non regna Regibus oportere. Fridericum Austrium Regem Romanorum Boëmis indulsisse, ut, quem vellent, Regem sibi adsciscerent: Albertum Boiariæ Ducem, Principem regno factum, linguæ Boëmicæ peritum, assuetúmque in Wenceslai aulâ, apud Sophiam Reginam amitam, gentis moribus: eum virum esse, à quo moderata imperia, inter nondum satis compositas Boëmiæ discordias, possint expectari.

Procopius horum non ignarus, ijs conscijs atque volentibus, quos è Proceribus in sua vota traxerat, clàm ad Fridericum Cæsarem profectus, rogat, ne tam nobile Regnum auferri patiatur pupillo, cujus tutelam educationémque susceptisset. Jam enim Elisabetha Hungaricis factionibus diffisa, puerum Ladis-

VII. laúm Friderico miserat, non multò pòst ipsa cum Ungarico diademate, quod clanculum abstulerat, secutura. Fridericus per Procopium edoctus, missis ad Albertum Boium nuncijs, significat, se Böemis nullam Regis cooptandi facultatem fecisse, nec esse facturum, nefas esse Ladislao infanti paternum avitúmque regnum eripere. Dehinc Procopium remittit in Bohemiam, qui denúntiet totius regni Ordinibus, Cæsarem Ladislai jus minimè neglecturum.

Legatio Bohemorũ ad Albertum.

Bohemi nihilo seciùs ad Albertum Boium splendidam mittunt legationem, cujus Princeps Ulricus Rosensis, homo tempori sibíque serviens, qui Alberti Boij ad Regnum vocandi author fuerat, tametsi Alberti Cæsaris, cùm in vivis superesset, rebus apprimè visus esset studuisse. Legati ab Alberto Boio amicè accepti, Bohemorum in ipsum studia amplissimâ oratione deprædicare, Regni opulentissimi potentiam, honores, extollere, exponere suffragia Procerum, qui eum Regem renunciassent; rogare, ne tam honorifica gentis addictissimæ vota expectationémve frustraretur: at Albertus eâ virtute & animi moderatione usus est, quæ à Regnis conditis, rarissima semper fuit. Legatis enim egit gratias, jussitque renuntiare Bohemis, agnoscere se præclarum nobilissimæ nationis studium atque benevolentiam, quòd præ omnibus se Regem optassent. Nihil non ipsis pro tanto beneficio à se deberi: si par istis meritis nihil referre possit, servaturum se tamen perpetuam ejusce memoriam, nec defuturum occasioni, siqua aliquando nascatur, Bohemiæ Proceribus gentíque universæ gratificandi. Verùm cùm Alberti Cæsaris proles Regno nata sit, fore sibi nimium quantum vile ac indecorum, cum infantuli injuriâ alienum diadema captare: pacta Bohemiæ cum Austriæ Ducibus sancita vetare, ne quem externum regno Bohemi adsciscant, donec superet ex sanguine Austriaco Princeps natus regni habenis.

Albertus regnum recusat.

Hæreditatem paternam innocenti puero sine crimine adimi non posse: nunquam impune fuisse pupillos spoliare: Deo atque hominibus esse invisos, qui id facinoris audeant: execrabilem esse vocem, quæ regnandi causâ affirmat

VIII. jus esse violandum. Ita Albertus, spreto Regno, se Rege regnóque majorem orbi terrarum ostendit: Gloriosius enim est, regnum non concupiscere, quàm concupito per fraudem potiri, & servire injustæ cupiditati.

Idem facit Fridericus Cæsar. *Bauholz. Trithem. Arenb. Æneas Sylv. Vit Ebersp.*

Eâdem constantiâ Fridericus Cæsar Bohemorum spem elusit, negans, se pueri, cujus tutelam susceptisset, hæreditatem ullo pacto invasurum: servarent Bohemi sceptrum justo hæredi, lectísque ex suâ gente administris, Regni munia gererent, donec Ladislao per ætatem liceret ijs manum admovere.

Sed enim quò præclariùs de ambitione Albertus Pius triumphavit, eò deteriùs Rempub. gessere Ludovicus Barbatus Ingolstadiensis & Ludovicus Gib-

IX. ber ejus filius. Huic accesserant auxilia ab Alberto Brandeburgico, cui fortitudo & belli artes, Achillis Germanici nomen fecerant. Ejus sororem Ludovicus Gibber nuptum duxerat: Henricus quoque Dux Landishutanus, inito cum Gibbero fœdere, copias junxerat. His viribus Ludovicus parens à Fridbergâ

Ludovicus Barbatus a Filio captus.

bergâ obsidendâ retractus, Neoburgum ad Danubium se receperat. Gibber veritus ne inde elaberetur, urbem cinxit obsidione, quam ad trimestre (si Aventino & Arenbeckio credimus, quadrimestrem enim tabulæ Monacenses faciunt) produxit. Cùm parens defensionem eo usque obstinasset, essétque deinceps impar resistendo, locus vi expugnatus, unàque Ludovicus filio cessit, experturus, quàm nihil reverentiæ & humanitatis, in degenere sanguine resideret. Sylvius parentem à filio captum negat, alij rei gestæ haud paulò propiores, in vinculis habitum affirmant. Brunnerus rem differt in annum quadragesimum tertium: Trithemius huic anno adscribit: nos mutato paulùm temporis ordine, ad servandum narrationis filum, hoc loco referimus.

Tametsi Gibbero ob flagrans in patrem odium, nulla foret cura pietatis, fuit tamen aliqua famæ retinendæ. Quare, ne impius haberetur in patre vinciendo, in eo vendendo ingeniosus videri voluit, pari apud prudentes invidiâ, nec famâ apud omnes meliore, imò deteriore, quòd patrem duplici catenâ, captivitatis, & æris ad vindicandam libertatem debiti, vinxisset, & quidem apud capitalissimum hostem. Transscripsit ergo patrem captivum Alberto Brandeburgico, qui eum severè habuit in Onolspachiensi custodiâ. Burcardus Zingius novem aureorum millibus Alberto venundatum à filio ærumnosum senem prodidit. Cùm verò ille à captivo nihil posset æris emungere, parùm honestè eum vendidit Henrico Landishutano duobus & triginta millibus aureorum. Ludovicum Gibberum, nullâ susceptâ sobole, anno quadragesimo quinto mors sustulit velut reum pietatis in parentem violatæ, nec dignum longævâ vitâ aut liberis, qui patrem libertate & civilis vitæ usura privasset. Nam in Henrici custodiâ arctè habitus, Onoltzbachij vitam egit calamitosam, uno duntaxat anno filio superstes. Cùm de paciscendo lytro interpellaretur, inter injurias tam fuit retinens pristinæ majestatis, ut nunquam potuerit adduci, ut quicquam pro suo capite addiceret, identidem professus, se sanguinem æquiore animo daturum crudelitati, quàm nummum unicum hostili avaritiæ: frustra peti à captivo, quod liber non esset daturus: corpus haberi posse in vinculis, animum ligari libero Principi non posse. Henrico Landishutano, in cujus erat potestate, in carcere visenti, nunquam assurrexit, non resalutavit salutantem, non inflexit cervicem, sed indomiti Leonis unum eundémque vultum, captivus æquè ac liber in utraque fortunâ retinuit. Solebat indignitatem nundinationis, quâ venierat, joco non inficeto ridere. Etenim Dei filium triginta nummis venijsse, mirum, repertum esse emptorem, qui capularem senem triginta duobus aureorum millibus velut sub hastâ coëmerit: Tunc enim major erat octogenario. Fridericus Cæsar Galliarum Regis & Boicæ querelis excitatus, dedit Judices, qui captivi causam expenderent: verùm cùm disceptatores nihil æris, sed juris duntaxat aliquid adferrent, nullo alio emolumento causa fuit agitata, quàm ut Burghusium captivus duceretur, tametsi Imperij Septemviri severitatem cognati sanguinis improbarent, & Ludovicus ad Cæsaris tribunal provocaret. Albertus Monacensis, Princeps pius & sapiens jam pridem tantæ inhumanitatis pertæsus, Cæsari ardenter instabat, ne sanguinem illustrissimum inter tot támque diuturna ludibria ultrà jactari pateretur: verùm seriùs venêre à Friderico mandata, quando miserrimum senem, Burghusij, mors, paratis vindicijs, interceptum, corporis vinculis exsolvit. Demortuo persoluta sunt quidem justa funebria; sed persolventibus datum est culpæ, quòd hominem è bonorum cœtu motum & nondum expiatum, piorum honore suffragiísque essent prosecuti. Ita tot exantlatæ miseriæ ipsáque mors hominum judicijs nondum satisfecerant. Qui mitiùs defuncti exitum interpretabitur, sperabit, Deum fuisse longè quàm homines indulgentiorem: post tam atroces miserias, senem miserabilem imminentis judicij memorem, annos præteritos in amaritudine animæ recogitasse: Et si nulla homini rerum divinarum non peritissimo occurrit alia ratio placandi Numinis, ejus offensi amorem & peccatorum pœnitudinem concepisse, veniámque exorasse.

Verùm

Margin notes: DURE HABITUS IN CUSTODIA. — SEMEL, ITERUM, VENDITUS. — LUDOVICUS GIBBER MORITUR. — X. — MORITUR CAPTIVUS. — XI.

Verùm hæc soli Deo nota, hominum vinculis non absolvunt, & cùm facultas est, instituta à Christo remedia non sunt omittenda. Certè, utcunque res habeat, extant luculenta præteritæ vitæ piacula, quæ animum Numinis memorem hodiéque non obscurè loquuntur. Inter hæc Basilica Mariana Ingolstadiensis, præclarum sanè boni animi monumentum, perpetua item annona, quam postremis annis, regiâ munificentiâ in pauperes contulit. Legitur hodiéque cum stupore mortalium, spissum tabularum volumen, non magis liberalitatis in Deum hominésque, quàm animi demissi argumentis refertum. Nulla candidiùs scribi potuit erratorum palinodia: nihil dici potest ad sui despicientiam abjectius, nihil ad pœnitentiam clarius, sive optimus quivis ex virtute, de se loquatur, sive pessimus lugeat ex malorum conscientiâ. Peccatoris improbi nomen adeò non fugit, ut sibi eum titulum fecerit peculiarem. Retulit in chartas, jussitque pauperes constitutâ ab ipso stipe victuros, ubi statas preces ad Deum pro ejus salute essent facturi, non alio quàm infamis peccatoris præconio, ipsi Numinis misericordiam implorare: quæ quidem inter seria bonæ frugis exempla post Davides & Theodosios videntur posse collocari. Cæteroqui non est dubium, quin maximi animi Princeps fuerit, & egregiæ fortitudinis, quâ nec mortem timuit, nec ferrum, nec quicquam rerum mortalium. Diem obitûs in loco referemus.

And. Brunn. in Excub.

XII.

HENRICUS LANDISHUTANUS LUDOVICI BARBATI BONA OCCUPAT.

XIII.

Totam ejus ditionem occupavit Henricus Landishutanus, excluso Alberto Monacensi, qui ex semisse poterat esse hæres. Non defuere hortatores, qui excitarent, ne jus tam opimum ac luculentum negligeret: erant etiam urbes, quæ ultro ejus manus dominatúmque spe moderationis prensabant, Henrico parùm addictæ, utpote ad suam rem magis, quàm ad subjectorum utilitatem attento. Verùm Albertus ejusmodi suasoribus voce Regibus parùm usitatâ respondit, pacem sibi potentiâ potiorem, neque commissurum, ut publicæ quietis detrimento, privata augere voluisse aliquando credatur. Tantæ abstinentiæ præmium cœlum in ejus posteros differebat, cum fœnore; quo tandem illi proximo sæculo sunt potiti, cùm stirps Henrici mascula defecisset. Doctissimos nihilominus viros etiam Italos de suo jure consuluit, mitiorémque partem secutus, sibi non putavit ad arma adversus cognatum sanguinem, esse descendendum.

M. CCCC. XLII.

JUDÆI MONACHIO PROSCRIPTI.

Tam fuit ab omni avaritiâ injustisque quæstibus alienus, ut Judæos, sordidum & usuris assuetum hominum genus, Monachio exterminârit anno quadragesimo secundo. Ejusce rei monimentum extat in hypogæo Mariano Deiparæ cultu & populi pietate hodiéque celebri. Judæis exactis, Albertus domum eorum conventiculis frequentatam, donavit Joanni Hartliebo Medico, cujus ipse peritiâ in tuendâ valetudine utebatur. Eam medicus vertit in ædem comprimis ornatam & accommodatam suis usibus. Adiecit Oratorium, atque in eo altare ad honorem conceptæ Virginis, & Divorum Cosmæ & Damiani. Cùm succedente tempore, locus miraculorum & populi frequentiâ celebris euasisset, Hartliebus Deo cedens ædificium, constructo Sacello, dicavit Deiparæ Virgini, & hypogæum, quod cryptam hodie nuncupant, testudine induxit, adiectis ad priorem aram novis altaribus & Sanctorum reliquijs. Propagata est ejusce loci religio ad nostra usque tempora, Deo sua beneficia piorum votis orationibúsque reponente.

XIV.

Chron. Sponheim.

MAGNA ANNI UBERTAS.

Publicum est, & Germaniæ commune divinæ bonitatis argumentum, quod Trithemius Abbas refert hoc anno. Ait generosum vinum tantâ copiâ provenisse, ut passim omnibus satis esset, vili pretio. Quod ætas nostra loco prodigij haberet, duobus duntaxat florenis dolium, quod onerando plaustro sufficeret, comparabatur. Summa quoque fuit frugum ubertas, quæ sereno cœlo collectæ, in multos annos potuere sine corruptione servari. Anni sequentis sterilitas ob hiemem ad medium propè Maium productam, prioris fœcunditatem absumpsit.

Hoc

Hoc anno (si potior fides Myræo & Funeccio, quàm Andreæ Ratisbonensi alijsque, qui anno trigesimo nono rem memorant) Christophorus Boius, Joannis Com. Palatini filius, Ruperti Cæsaris nepos, Erico Rege auctore, justis Procerum Ordinúmque suffragijs Rex Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ creatus est. Regnum paucis quidem annis, sed magnâ cum laude administravit, longè felicior, quàm si diu malè imperasset. Præclarus Princeps obijt sine liberis, gloriosius ex bene factorum memoriâ, quàm ex sobole, nomen apud posteros habiturus: ut enim nobilis sit proles, tamen est mortalis & dubiæ virtutis; justitiæ verò ac sapientiæ, quæ dotes regiæ sunt, certa est gloria & immortalis.

CHRISTOPHORUS PALATINUS FIT REX DANIÆ.

Quod sequitur, dignum est æternâ infamiâ, quod chartæ Ratisbonenses & Hundius prodiderunt. Presbyter homo libidinosus, mulierculæ amoribus dementatus, rivalem habuit suum Collegam eundémque sacerdotem. Ille non ferens rivalitatem, amoris æmulum crudeli latrocinio mactatum proscidit: caput hastili affixum extulit in altum: viscera de limitaneâ agrorum sepe suspendit, cor è pectore revulsum dissecuit in mille partes. Scelus tot propalatum indicijs, latere non potuit. Fridericus Prasbergius Antistes tam horrendum facinus detestatus, sceleratum hominem execratum & exauctoratum, civili Magistratui necandum tradidit.

M.S. Ratisb. Hund. in Frideri. Prasperg.
M. CCCC. XLIII.

Hic annus est, qui Ludovicum Gibberum 7. Id. April. extinxit Ingolstadij, quod capto parente occupârat. Ejus uxor Margarita, nobilissimi sanguinis immemor, transivit ad impares nuptias, clàm nupta Martino Waldenfelsio suo curatori, longè inferioribus natalibus. Deo curæ non fuit, servari debitam sanguini reverentiam, quam prior maritus, tam graviter in patre indignè habito violârat: sic aliquando existunt, unde minimè expectabantur, criminum ultores. Margaritæ sepulchrum Seligentalæ ostenditur.

M. CCCC. XLV.
XV.
Aventin. l. 7.

In Boicâ bellum intestinum per hæc tempora ab Henrico Landishutano adversus Joannem Toparcham Abusinum confectum. Causa belli nata anno superiori. Pactis enim inter Franciæ & Angliæ Reges inducijs mensium octodecim, ne copiæ Francis authoratæ Galliam otiosis stativis premerent, Ludovici Delphini auspicijs abductæ fuerunt in Germaniam. Fuerunt sub signis ut minimum viginti quinque millia: in solo equitatu triginta millia alij numerant. Expeditioni variæ causæ prætextæ. Quibusdam dicebantur venisse in auxilium Germanicæ nobilitatis, alijs à Cæsare vocatos, adducere auxilia adversus Suitenses. Scripsêre Itali, Eugenium Pontificem, compositâ pace in Gallijs, Reges tantisper quietos concitâsse ad dissipandum Basileense Concilium. Ferebatur etiam Delphino fuisse propositum, veteres regni Gallici fines ad Rhenum usque referre & obsidere Argentoratum. Saltem primo aditu Montempelicardum deditione accepit: inde movit cum universis copijs in agrum Basileensem. Civibus metu perculsis, Suitenses fœderati ex lectissimâ juventute auxilio misêre quatuor armatorum millia. Advenientibus medium se cum parte exercitûs objecit Delphinus, antequam in urbem penetrarent. Nec detrectavere illi certamen, in hostilem equitatum invecti, primores turmas evertunt, cogúntque ad cæterum agmen pedem referre. Mox illi, victoriæ cupiditate, refugientium tergis instare, donec ventum est ad Leprodochium D. Jacobi, quarto à Basileâ stadio. Hîc commissum atrox prælium. Ne Basileenses erumperent, dispositæ ad portas Gallorum phalanges obsistebant, & longè impar erat Suitensium paucitas tantæ hostium multitudini. Pugna decem horas nihilominus tenuit. Cecidere utrinque plurimi: ad extremum Suitenses non tam victi quàm vincendo fatigati & obruti, cruentam victoriam hosti reliquêre. Unicum Suitensem ferunt domum redijsse, qui prælio non interfuerat, eundémque velut desertorem capitis supplicio affectum, quod è fruteto otiosus pugnam spectasset. Fridericus Cæsar, per Episcopum Augustensem & Joannem Aichium Legatos, Ludovicum de causâ suæ in Imperium irruptionis sciscitatus, nihil nisi verba & honorificam legationem retulit. Patres Basileenses impetrârunt, ne qua Concilio aut urbi vis inferre-

M. CCCC. XLVI.
Nauclér. Gen. 49. H. Muntius l. 28. Avent. l. 7. Æn. Sylvius.
BELLUM ABUSINUM.
XVI.

ferretur. Mirè laceratas eâ pugnâ copias, expilatâ Alsatiâ, partim in Galliam Delphinus reduxit, pars equitatus in Boiariam dilapsus, prædis latrocinijsque agrum infestare instituit. Ex his aliqui à Joanne Abusino hospitio accepti, passim impune grassabantur: quæ res magnam hospiti invidiam calamitatémque concivit. Henricus enim Dux Landishutanus, damna à prædonibus accepta repetiturus, simul aversurus grassatores, infesta signa movit in Abusini possessiones. Caus-

XVII. santi, se prædonibus ultrò concessisse, quod illi violenter rapuissent, nec quicquam fecisse, nisi humanitatis studio & consuetâ in omnem nobilitatem facilitate; fraudi fuit & noxæ, tam ignobile facinus, quod cum patriæ damno Lare mœnibúsque prædones texisset. Urbes quoque Imperiales, quarum itinera & commercia intercipiebantur, Joanni amicitiam renuntiârunt, Altmanium, Solleram, Hagenhulium, Flügelbergam Murharorum arcem, diripuerunt, incenderunt. Joannes Haideckius Schamhauptum, Augustinianorum fanum expilavit.

Albertus Monacensis, per idem tempus suas ditiones à rapinis latrocinijsque omni studio repurgabat. Duos Camerarios boni sanguinis, sed publicarum grassationum compertos, unáque farinæ ejusdem nebulones undecim, Straubingæ securi percussit. Neunhusium, Pauli Zengeri castellum, jam olim infame spoliarium, & recens latronum receptaculum, de improviso circumsessum expugnavit: quingentos sicarios isthic curantes, in vincula conjecit. Straubingam abreptos, partim in furcas agi jussit, partim capite truncari, cæteros aquis præfocari.

GRASSATORUM SUPPLICIUM.

XIIX. Hic quoque annus 3. cal. Augusti Ludovicum Seniorem Ingolstadiensem, nondum à Basileensibus diris absolutum, vinculis corporis, & Henrici Ducis ergastulo liberavit. Illatus fuit cœnobio Rotenhaslachio. Qui ipsi iverunt exequias, omnes, velut è piorum tribu exclusi, à Baumburgensi Præposito, cui Nicolaus V. Pontifex id potestatis fecerat, in Ecclesiæ gremium fuere recepti. Eum secuta est Margarita Austriacá, Henrici Landishutani uxor. Inter hæc funera Ulricus Comes Wirtenbergicus nuptum accepit Elisabetham Henrici Landishutani filiam. Multum operæ positum est hoc ipso tempore in sopiendo atroci bello, quod inter Albertum Brandeburgicum & Norimbergenses exarserat. Pacificator bellantibus intercessit Dux idem Henricus, eoque induxit in mutuam perniciem armatos, ut, cùm nollent pacem perpetuam, saltem annuam hostilitatum cessationem factis inducijs paciscerentur, sumeréntque spatium res amicè componendi. Non stetit diu ista quies, sed recrudescente bello sublata, ingentia utrique partium attulit detrimenta. Novem intercessère prælia, ex quorum octo Albertus victor, ex uno victus excessit. Illi plerique Germaniæ Principes; Norimbergensibus verò civitates opitulabantur. Tandem adnitente Nicolao Pontifice, & Friderico Cæsare, inter bello propè attritos pax convenit, Nicolao Turingiæ Landgravio pacificatore.

Arenb. Chron. Elwa. Trithem. Chron. Sponh.

Naucl. Chron. Gener. 49.

M. CCCC. L. Longè sapientiùs Deo suæque saluti operam locavere, qui quinquagenariæ Jubilæi pietati Romæ adfuerunt. Illuc, ex orbe universo, innumera hominum multitudo confluxit, Nicolai V. Pont. Max. invitatu & spe amplissimarum remissionum. Nunquam visa in urbe tanta hominum frequentia. Cùm aliquando à Basilicâ Vaticanâ venerati imaginem faciei Salvatoris, quam Veronicæ oblatam constans sæculorum memoria asseverat, in urbem probi homines turmatim reverterentur, & Pons Adriani venientium confertam multitudinem non caperet, mula Petri Barbi Cardinalis terrore procumbens, vicinos aliquot prostravit, qui in proximos quosque, atque hi consequenter in alios dejecti, tantam cadentium stragem ediderunt, ut ducenti in ponte obtriti occubuerint, & multi hinc & inde in Tiberim excussi perierint. Quod ne eveniret sæpius, Pontifex dirutis tabernis, quæ viam faciebant angustiorem, plateam, quæ est ad pontem, ampliavit.

ANNUS JUBILÆUS. *Ciaccon. Platina, in Nicolao V. Chron. Augustan. Sponheim. Naucler.*

XIX.

Dum

Dum alij Romam confluunt, Henricus Landishutanus ad vitæ exitum appulit propridie cal. Augusti, eodem die, quo eum Ludovicus Ingolstadianus antecesserat. Æneas Sylvius censuit, ab eo Numen fuisse irritatum, quòd edicto suos Boios ire Romam ad sacra piacularia vetuisset: quo nomine ejus famam non vellicant domestici scriptores, tametsi rei faciendæ plusculum studium in eo reprehendunt, & vituperant, quam memoravimus, in suum patruelem inclementiam. Burghusina turris, opum, quas ingentes collegerat, promptuarium divitis famam illi servavit. Audisset melius, nisi Ludovici Moretanij captivi omnem hæreditatem ex asse sibi vendicasset, exceptâ Schwabensi Toparchiâ, arce Leichtenbergensi, & Bairbrunnâ, quas Alberto nepoti pro semisse reliquit. Inter hos nævos promicat tamen etiam aliqua forma virtutum. MORS HENRICI LANDISHUTANI. *And. Brunn.* *Arenbeck.* *Aventin.*

Pietatem simul & animi magnitudinem referunt binæ expeditiones, in quibus pro fide, & Teutonici Ordinis incolumitate, arma bellúmque gessit contra Uladislaum Poloniæ Regem ejúsque fratrem Bertholdum Lithuaniæ Ducem, tum adhuc Christiani nominis hostes. Interfuit prælio, quo Teutonici equites superati, cæso ordinis supremo Magistro, & amissis sexcentis equitibus, luculentam cladem accepere. Idem Deiparæ cultui, singulari veneratione, erat addictus, cujus sabbatinas ferias præcipuâ religione semper habuit sacrosanctas. Rerum in suâ ditione potitus, justitiæ subjectis reddendæ fuit perquam studiosus. Ne paterent prædonum latronúmque maleficijs, tametsi provincia continuis ferè bellis arderet, itinera tamen adeò tuta servabat, ut mercatores & viatores alij, simul ac pedem in Boicâ posuerant, spatiari se in roseto prædicarent; grassatores verò, quorum nulli vitæ veniam faciebat, se non secus atque lupos inter dispositas undiq; plagas & medias mortes versari, quererentur. Erat præterea erga probos modestus, benignus, popularis, neminis conspectum vel alloquium solitus fastidire: quæ res illi singularem benevolentiam conciliabat. Procul aberat à libidinosâ fœditate, quam nec tolerabat inter domesticos aut familiares. Colonis longè fuisset gratior, si ferarum nimiam copiam magis accidisset, odiosos videlicet & agris damnosos frumentatores. Hebræos fertur nimio studio fovisse, haud dubiè, quòd aurea ova parerent, tristem fœtum, ex Christianorum exuvijs. *Arenbeck.* XX. EIUS MERITA.

Ex Margaritâ Alberti Austrij, Stirij, & Carantani Principis filiâ, sorore Regis Alberti, suscepit tergeminos filios, totidem filias, Albertum, Fridericum, & Ludovicum; Joannam, Elisabetham, & virginem Christo dicatam in Felici valle, cujus nomen non est relatum in chartas, sed meliùs, uti bona spes est, scriptum in cœlo. Joanna nupsit Joanni Mosbachio Palatino Duci Boiariæ: Elisabetha Udalrico Dynastæ Wirtenbergico. Albertus primo loco natus, & Fridericus mox secutus, cùm vix cœpissent vivere, meliorem in vitam subducti, in Rotenhaslacensi Cœnobio conditorium invenerunt. Ludovicus nascendi ordine postremus, Burghusij primam lucem aspexit, anno millesimo quadringentesimo decimo septimo. XXI.

Fuit à parente, ab ineunte ætate, usque ad tricesimum ætatis annum, arctè severéque habitus, optimo consilio, ne, ut amat fieri, habitus nimis indulgenter, ad segnitiem, luxum, & insolentiam deflecteret. Mollem ac cereum decet esse Principis animum ad virtutes, durum & aheneum ad vitia. Implenda mens totius honesti specie à teneris, procul ableganda est per omnem vitam omnis lascivia, arrogantia, animi protervia. Procul ganeæ ludíque serviles, & quicquid luxurians est aut ferox. Hostes sunt regnorum, & capitales populorum pestes, qui liberos voluptatibus saginatos per omnem licentiam laxant. Sic enim non aluntur Reipublicæ cives aut rectores, sed monstra. Nullus nimis sollicitè educatur, qui communi bono nascitur. Ideo Spartani liberos patriæ indulgentiæ ereptos, in jus commune transcribebant, ut assuescerent subesse: non enim bene imperat, qui non bene paruit. Satis est, si sua naturæ ac natalibus LUDOVICI LANDISHUTANI NATALIS ET EDUCATIO. *Caussin. de Regn. Dei dissert. 4r.* XXII.

talibus discriminatim jura tribuantur: illi debentur vires, his aliqua reverentia, non quâ sibi blandiantur juniores, sed quâ ab alijs internoscantur & sint in pretio. Istam accurationem, unico Henrici filio admirati sunt impendi minùs æqui æstimatores, quasi nimiam: sed nihil nimium est, quod bene Principi impenditur. Henricus tamen parens hoc indulgebat filio, ut venatu corpus duraret ad aëris injurias, ad sitis, famis, laborum tolerantiam, caperétque umbratile aliquod bellandi experimentum; vetuit tamen, ne filius cultu pretioso uteretur, in quo luxus est & irritamentum arrogantiæ, longè enim melius est, splendidam virtutem tegi parabili vellere, quàm ovem stolidam (quod Diogenes comptulo adolescenti objecit) aureis exuvijs. Quod erat relaxationis, Ludovicus equitando, jactando disco, hastam eminus, gladium cominus tractando, saltando, consumebat.

XXIII. Certè sub istâ rerum tenuitate creverunt magnæ virtutes, atque in primis rara in parentem observantia: erant, qui præposterâ commiseratione juvenem jam annis & sapientiâ maturum hortabantur, rebus ut ipse suis consultum iret, profugiendo ad Albertum avunculum rerum maximarum potientem, suæque in ejus obsequijs fortunæ faber ipse fieret: verùm ille suasoribus sapientior: Absit (inquiebat) ut vitæ meæ authorem unquam deseram: mihi verò certum est ac fixum, non modò ab ejus latere non discedere, sed ne nutu quidem, nedum facto aut voce, ejus pietatem lædere, vel jubenti refragari. Patris defuncti memoriam semper est veneratus, non tamen omnes ejus mores est secutus. A patre mutuatus est, ne esset asper, inurbanus, aut aditu difficilis. Patre fuit lenior in agrestes, quibus potestatem fecit, feras, adhibitis villaticis canibus, à frugibus arcendi: paternas leges subjectis noxias antiquavit: quibus rebus à Deo consecutus est, ut esset felix ac fortunatus, & à bonis amaretur.

Tabula data 13. Decemb. an. 1450. Statim, adito Principatu, ipsi curæ fuit, ne quid nimium alienæ possessionis à patre transmissum iniquus hæres retineret. Quamobrem cum Alberto Monacensi lubente volente, de utriusque Ludovici Ingolstadiensis hæreditate amicè

XXIV. transegit. Adiecit ad Schvabensem Toparchiam aliáq; bona, quibus Albertus jam tum potiebatur, civitatem & Dynastiam Teckendorfensem; triginta præterea duo præsentanea aureûm millia, quibus ille ad redimendas aliquas Nortgoviæ ditiones uteretur: suscepit in se onus æris alieni, quod ambo Ludovici grande contraxerant, diluendi; multa alia pactus est & concessit, quæ Boicæ familiæ magno usui essent futura.

Avent. Quod fuit signum fructúsque animi ad omne bonum compositi, non ipse modò pacem apprimè coluit, sed etiam in Germaniâ passim, suâ authoritate bella repressit, aut sedavit. Fridericum Imperatorem & Ladislaum Bohemiæ & Pannoniæ Regem ex amitâ consobrinum, omni studio conciliare studuit:

Arenb. eo nomine profectus fuit in Silesiam, Vratislaviam, Viennam, Pragam, ad Rhenum, aliásque Provincias, quibus officijs, Pacificatoris titulum est consecutus.

Idem 4. Non. Octob. unâ eademque horâ, Judæos omnes quadraginta urbibus & vicis, totis denique Principatûs sui finibus excesse jussos, æternùm proscripsit. Id illi apud Fridericum Cæsarem impiæ genti plus æquo addictum, invidiæ fuit, & inter causas offensionum. Causam proscriptionis non addit Aven-

XXV. tinus, quam credibile est in tam perfidâ & auarâ gente non defuisse. Eccle-

Codex. M. S. ex Archiv. lit. B. siæ Passaviensi, prærogativas, immunitates, & gratias à majoribus concessas confirmavit, eâ tamen lege, ut Præsules & sacrorum hominum Collegia ac sacerdotes, vicissim Boios Principes, tanquam sedis illius conditores, quibus par esset officijs, agnoscerent, quod illi se facturos esse publicis litteris sunt professi.

In thori consortem elegit Ameliam, Friderico Saxonum Principe oriundam, ex quâ sustulit Georgium Landishutanum cognomento Divitem, stirpis

istius

istius ultimum, & Margaritam conjugem Philippi Comitis Palatini Septemviri Imperij.

In Boicâ, Deum (si Dæmonis fraus & superstitio abfuit) propitium indicârunt undæ salutares, quæ Laberbergij, decimo infra Abusinam milliario, ad Lavarum amnem repentè exilière. Visum est ijs affusis ablui, vel haustis, extingui, omne morborum genus. Factus est (non secùs atque nostro sæculo aliquando visum est, varijs locis, etiam apud Acatholicos) primâ curationum famâ, ingens passim mortalium concursus. Pars, fontis novitate exciti, pars vim aquæ experturi: plurimi depulsis morbis salui domum rediere. Dux ipse Ludovicus Landishutanus Henrici filius, spectatum in rem præsentem venit, quæ cùm non careret fraudis suspicione, Fridericus Blanckenfelsius Ratisbonensis Antistes jure merito credidit suarum esse partium, jactata in vulgus prodigia ad sacræ quæsitionis libellam vocare. Quæsitores dedit Casparem Schenckium, vices Pontificias per Diœcesin agentem, & Conradum Ansergium divinarum litterarum interpretem, cum potestate fontem lustrandi, & si videretur, obstruendi. Inspexère civium, agricolarum, nobilitatis, ingentem affluxum, examinavere ritus, mores lavantium, & effecta ex usu fontanæ secuta. Rem non caruisse dolo aut inani religione, Episcopi sententia dedit in apertum, quando deinceps accedentibus religionis votivæ causâ, lavantibus, potantibus, publico decreto sacris interdixit. Non compescuit tamen vulgi simplicitatem, quò minùs fontis, ut vocabat, sanctitatem deprædicaret. Certè cùm pluviæ solito profusiores istius anni messem afflixissent, plebs ad superstitiosas interpretationes mirè propensa, questa est, ob violatum fontem imbrium exundationes esse agris immissas.

Fons salutaris in Boica. M. CCCC. LIII. *Avent. l. 7.* XXVI.

Publico haud parùm per id temporis nocuit justam veteris nummi materiam, admixtâ supra justum, deteriore, mutasse, compendio nunquam utili, semper noxio & commercijs exitiali. Imperator Fridericus monetæ ponderi detraxit: Sigismundus Wolckensdorfius Salisburgensis Archiepiscopus, & Leonardus Laimingius Passaviensis Antistes ita mutârunt, ut septima pars veniret in lucrum, nigrâ (ut vocant) monetâ in albam, non satis candidè & justè, conversâ. Sed in Boiariâ etiam Ludovicus quintam partem argenti æri miscuit, novósque asses, Schinderlingos vulgò dictos, haud mediocri populi detrimento percussit.

Rei monetariæ depravatio.

Paræcialis Ecclesia D. Virginis Monacensis, hoc anno Frisingensi sedi dedit Episcopum Joannem Tubelckum S. Viti Præpositum, qui cùm annos viginti præfuisset, senex, vitæ quietioris studio, Sixto Tannbergio Cancellario suo, mitram, lubens volens, abdicato Episcopatu, reliquit. Sepultus est Monachij apud D. Virginem.

Hund. in Epp. Frising.

Vix quicquam ad rem Boicam magnopere pertinens scriptores, inter res quadriennio sequenti gestas memoravere. Quinquagesimus quartus Joannem Capistranum virum sanctitatis famâ & propagandæ pietatis studio præclarum, in Sueviâ, Augustæ, Ratisbonæ, audivit habuitque non præstantem duntaxat de rebus divinis oratorem, sed etiam rerum admirandarum patratorem.

M. CCCC. LIV. LV. LVI. LVII. *Capistranus in Boica.*

Anno Quinquagesimo quinto Ludovicus Landishutanus ex Ameliâ Saxone suscepit Georgium, cui grandis opulentia Divitis nomen fecit. Eum Sigismundus Salisburgensis Archiepiscopus, Landishutæ, ipso die Virginis in cœlum assumptæ, in D. Martini æde principe, fonte lustravit.

Natalis Georgii Divitis.

Annum quinquagesimum sextum tristia prodigia terruerunt. Primùm stella crinita toto mense Junio, minaci aspectu, mortalium oculos animósque perculit. Mense Februario, biceps vitulus monstrum in Sabinis editum. Romæ sanguine, in Liguriâ carnibus pluit. In Piceno dentatus infans natus aspectu horribili. Mors Joannem Huniadem Corvinum Ungariæ Proregem, &c. quem dixi, Joannem Capistranum extinxit, cùm paulò antè clarissimam post hominum memoriam de Mahomete Turcarum Imperatore ad Albam Græcam, cen-

XXVII.

Bonfin. lib. 8. Dec. 3. centum & quinquaginta millibus oppugnatam, auſpice Deo Divíſque Cœlitibus, victoriam retuliſſent. Anno proximo, Fridericus tertius Ratisbonenſis Epiſcopus moriens, ſedem Ruperto Palatino Rheni, Boiariæ Duci, Othonis Moſpacenſis filio, reliquit, quem Calliſtus Pont. Max. rejecto Henrico Abſpergio, quem è Canonicis aliqui elegerant, probavit.

BELLUM DONAWERDANUM. AN. CHRIST. M. CCCC. LVIII. XXIIX. Ludovicus Landishutanus non immemor defectionis Werdeæ Suevicæ, quâ ad Imperij civitates Ludovico Barbato cæteríſque Boicæ Principibus invitis deſciverat; & nondum oblitus, Sigiſmundum Cæſarem ob unius Barbati noxam & coactam abdicationem, totam Boiorum Principum domum ejuſce civitatis dominatu exuiſſe, ejuſdem recuperandæ conſilium ſuſcepit. Traxit in belli ſocietatem Albertum Brandeburgicum, Fridericum Palatinum Victorioſum, Othonem & Joannem itidem Palatinos, Udalricum Wirtenbergicum multóſque primæ nobilitatis Dynaſtas, quibus ea res viſa ſpectare non modò ad gentem Boicam, ſed etiam ad alios Principes, quos proclive aliquando foret tali exemplo, avitis poſſeſſionibus immeritos exturbari. Coacto ex Ludovici milite & auxiliaribus copijs viginti millium exercitu, ventum eſt ad Werdeæ mœnia, caſtríſque circumpoſitis, cœpta ad oppugnationem munimenta parari. Cives, quibus nec foris prompta erant auxilia, nec vires domi pares, impetratâ colloquendi facultate, mox fecêre Ludovico deditionem, oblatis urbis clavibus, immunitatum tabulis, factáque de prærogativis, quod ipſi videretur, ſtatuendi libertate. Arenbeckius id factum refert poſt feſtum Divi Matthæi Apoſtoli.

AN. CHRIST. M. CCCC. LIX. *Chron. Auguſt.* Fridericus Imperator, cæteroqui non optimè in Ludovicum affectus, eâ de re factus certior, Principum Comitio Norimbergam indicto, vehementer de Ludovico conqueſtus, ſingulorum ſententiam expoſcit. Comitij vox fuit, iniquè factum, quòd inconſulto Cæſare, Werdeam Ludovicus, privatâ authoritate violenter occupaſſet: Eo proinde amoto, civitatem nuperæ conditioni eſſe reſtituendam. Bellum igitur in Ludovicum decernitur, ejúſque gerendi provincia Alberto Brandeburgico, tametſi Ludovicum in urbe recipiendâ juviſſet, demandatur. Ille militaris Princeps ingenij, ſive delatâ poteſtate læſus, ſive non auſus Cæſaris & Principum imperia detrectare, confeſtim viginti quatuor hominum millia colligit, urbémque à Ludovico repetit. Valuit Cæſaris totiúſque ferè Imperij armata voluntas, ut Ludovicus, quamlibet illubens reſtitánſque Werdeâ præſidium educeret. Eam vacuam abſque morâ, Cæſaris nomine Epiſcopus Eiſtadienſis inſedit, Pappenheimus verò Auguſtali Prætorio Præfectus, paulò pòſt ſub exeuntem Septembrem occupavit.

BELLUM IN ALBERTUM BRANDEBURGICUM. XXIX. *Trithem. Chron. Sponh.* Ortæ inde inter Ludovicum & Albertum Brandeburgicum ſimultates, quæ tandem in hoſtilia deſierunt. Res novas moliebatur Albertus, fretus Cæſaris tabulis, quibus ajebat, factam ſibi, velut conſtituto univerſæ Germaniæ Prætori, eſſe poteſtatem, quemvis ex Germanico Imperio, in arcem Caroloburgum, auctoritate publicâ, pro arbitratu ad ſuum tribunal, reorum more, citandi. Alberto ſeſe Epiſcopus Eiſtadianus fœdere, cum nonnullis alijs ſociârat, communibus armis vim Ludovico illaturi, vel prohibituri. Ad Ludovicum acceſſerunt Herbipolenſis & Bambergenſis Epiſcopi. Belli initium refert Trithemius anno ſuperiore, nullâ tamen re geſtâ memorabile, niſi quòd Ludovicus, caſtro Landeckenſi & Stauffiano ſolo æquatis, cùm ad majora propiùs veniretur, copijs utrinque ad mutuam perniciem comparatis eâ conditione de pace convénit, ut Albertus Ludovico, quæ dixi Cæſaris Diplomata, traderet, ſuáſq; clientelas velut Norimbergenſis Burggravius, more recepto, ab Herbipolenſi Epiſcopo, fiduciariâ lege acciperet. Albertus ad diem dictam, Norimbergæ, Cæſaries tabulas in conſeſſu publico Ludovico cùm porrexiſſet; hic acceptas, mox, inſpectante magnâ hominum frequentiâ, diſcerpſit. Quam rem Fridericus Imperator, velut Majeſtatis ſuæ contemptum interpretatus, negavit ſe pacta conventa probaturum, ſed decreto in Ludovicum, tanquam reum læſæ Cæſareæ Majeſtatis bello, juſſit omnes Imperij Ordines Alberto Brandeburgico ferre ſuppetias. Patuere

tuere

ruere omnes Sueviæ civitates: Norimbergenſes negârunt ſe arma contra Ludovicum laturos. Hinc acres inter cognatos Principes inimicitiæ. Ludovicus, ut belli ſedem in hoſtico figeret, prior in caſtris fuit. Collecto enim ex Boijs, Bohemis & Auſtrijs valido exercitu, Marchionis Provincias ingreſſus, captis haud paucis caſtellis & oppidis, agros prædis ac incendijs, cum ingente Marchionis damno vaſtavit. Vicem repoſuit Marchio. Ludovico enim in Bohemiam profecto, irrumpens in Boiariam, ferro, flammis, rapiniſque fœdè fuit graſſatus, donec lite ſopitâ, lociſque quæ bellantes invaſerant, ultrò citróque reſtitutis, Albertus pactis inducijs, arma tantiſper exuit.

Ludovicus Epiſcopo Eiſtadienſi offenſus, quòd ſua cum Alberto conſilia viréſque junxiſſet, caſtra admovit Eiſtadio, & incenſo ſuburbio, tredecim hominum millia urbi circumpoſuit. Epiſcopus ab armis imparatus, oppugnatione non expectatâ, ipſo Chriſti reſurgentis die fecit deditionem, pactus, ſe contra Ludovicum iſto bello nihil opis Alberto laturum. Ludovicus, tempore & bene animato milite utendum ratus, regreſſus in Brandeburgici fines, Rotum obſidione cinctum deditúmque occupavit. Albertus, ne malum graſſaretur latiùs, cum decem armatorum millibus accurrit, caſtríſque loco opportuno munitis, conſidet, in omnem Ludovici motum intentus. Stetere ambo aggeribus circumſepti ſeptenas omnino hebdomades, velitaribus conflictibus mutuò infeſti, cùm caſtra medium milliare dirimeret. Ne ſumma res juſtæ pugnæ committeretur, interceſſit Auguſtanus Epiſcopus, iratóſque ſic pacavit, ut Roto reddito, Ludovicus Brandeburgi finibus excederet. Res erat potiſſima de limitibus exercendæ Juriſdictionis, quos Brandeburgicus plùs juſto conabatur proferre, in Ludovici juxtà ac aliorum Principum ditiones. Bohemi, ſtipendia à Ludovico accepturi, cùm nummi depravatæ nuper monetæ offerrentur, Ludovico inſpiciente, quos antè acceperant, conjecêre in ignem, negantes, ſe tali ære conductos, aut ſimiles, quos ille offerebat, in piæ juſtæque operæ pretium admiſſuros. Quibus ut fieret ſatis, Ludovicus novâ abolitâ, veteris modi monetam juſſit feriri.

Chron. Auguſt. Germ. M. CCCC. LX. XXX.

MONETA IUSTO VILIOR ABIICITUR.

Albertus Pius Boiorum Dux Monacenſis, inter iſtas cognati ſanguinis dimicationes, altâ pace fruens, ſeſe ad æternitatis iter longè ſapientiore conſilio comparabat. Eam pridie cal. Martias hoc anno eſt ingreſſus, ab animo longè meliùs, quàm à pedibus, quos arthritis poſtremis annis invaſerat, inſtructus. Illatum funus Montis ſancti Mauſolæo. Laudem tulit præclaram, tranſmiſitque ad poſteros, à Pietate, Pacis ſtudio, Modeſtiâ, Humanitate, Benignitate, Clementiâ, & amore bonarum litterarum, quarum inſignem peritiam in Nicolao Cuſano, quo familiariſſimè eſt uſus, adamavit.

MORS ALBERTI PII MONACENSIS. XXXI.

Ex Eliſabethâ Principe Wirtenbergicâ nullam tulit ſobolem; Ex Annâ Erici Ducis Brunſuicenſis filiâ ſuſcepit filios ſeptenos, ternas filias. Joannes natus anno M. CCCC. XXXVII. cælebs vixit ad annum ſexageſimum ſæculi iſtius tertium. Erneſtus natus anno M. CCCC. XXXVIII. puer obijt. Sigiſmundus primam lucem aſpexit anno nono ſupra trigeſimum, deſponſus Margaritæ Friderici Brandeburgici Marchionis filiæ, cælibem tamen vitam duxit ad annum M. DI. Albertus natus anno. M. CCCC. XLV. brevi tempore ſupervixit. Albertus IV. quem Sapientem dixêre, natus An. quadrageſimo ſeptimo, cum ſummâ laude Boicæ imperavit ad annum M. D. VIII. Chriſtophorus expers conjugij diem clauſit in Rhodo Inſulâ, anno M. CCCC. XCIII. Wolfgangus natus An. M. CCCC. LI. cælebs fato functus eſt anno, M. D. XIV.

ALBERTI PII LIBERI.

E Principibus Virginibus, Eliſabetha Erneſto Saxoni collocata: Margarita Friderico Mantuano. Barbara mortales nuptias averſata, Chriſtum Francorum Regi, & virginitatis lilia Gallicis prætulit. Præſtantiſſimum iſtum florem coluit Monachij, in Angerano Parthenone, virginum Sponſo ſolenni voto juncta. XXXII.

juncta. In isto virtutum frontisterio vitam egit talibus nuptijs consentaneam, *Brunn. in Excub.* ad annum M. CCCC, LXXIV. Antequam inde evolaret, prodigio instantis fati fuit admonita. Amaraci frutex, quem illa studiosè rigabat, nullâ læsus injuriâ, momento exaruit, decimo antè die, quàm ipsa terris excederet: postridie canoræ aviculæ, quas caveâ clausas alebat, canere simul & vivere desierunt. Die octavo, torquis, parentum donum & mnemosynon, quem de collo gestabat, soluto contextu, sponte decidit. His indicijs evocata, lætam animam Deo transmisit. Ne abiret incomitata, viginti ex eodem domicilio virgines secutæ sunt, æquali singulæ intervallo. Omnes ordine, decimo quoque quarto die, præeuntes singulæ singulas, ita ut earum nulla, præcedentis funesta vestigia, ante decimum quartum diem sequeretur.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS II.
LIBER IX.

Ioannis & Sigismundi Ducum Principatus. Ludovici Ducis Landishutani bellum in Albertum Brandeburgicum. Georgij Divitis res gestæ. Testamentum Ducibus Monacensibus adversum. Secuta inde bella, & Boicæ detrimenta. Alberti IV. & Fratrum dissidia. Ratisbona Boicæ ditioni reddita, & rursus erepta.

ALberto Pio Boiariæ Duce vitâ functo, Joannes & Sigismundus patris lege & ætatis prærogativâ rerum summam pari simul imperio capesserunt. Albertus enim haud nescius, quanto Principatûs Boici detrimento, Provinciæ in singulos hæredes divisæ, gravia bella, clades, vastitatem in Boicam invexissent, tot malis, quæ Domui illustrissimæ ruinam minabantur, remedium allaturus, supremæ voluntatis edicto sanxerat, unicus ut esset suarum ditionum dominatus. Ne tamen isto rerum in melius formandarum initio, ad extrema, (quod durius fuisset futurum) statim deveniret, hoc addidit temperamenti, ut duo, ex quinis, qui supererant, filijs, natu majores communi imperio Provincias moderarentur. His gradibus ibatur ad Monarchiam, dominantium multitudine redactâ ad duo capita & unam utriusque potestatem, ut à duobus firmior esset consultorum placitorúmque sapientia, & ab indiviso dominatu potentia collectior, eóque ipso validior. Tribuenda hæc Principis optimi provisio divinæ menti, quæ suaviter fortitérque ad suos fines disponens omnia, non longo admodum temporis intervallo, duumviratum ad secuturam unius dictaturam differebat. Ne verò in gubernationis limine quicquam nasceretur dissidij, Albertus Joannem ac Sigismundum vivus valénsque in partem curarum assumpsit, cæteris filiorum in alias spes dilatis. Huic legi ansam olim dedêre Henrici & Ludovici Landishutanorum molitiones, quòd ille in prolatandos fines

M. CCCC. LXI.

I.

VNICI DOMINATUS IN BOICA FUNDAMENTUM.

nes intentus, augendæ potentiæ nullum facturus modum videbatur. Ortum eâdem ex causâ fœdus, quod Albertus ambóque natu majores filij, cum Augustanâ Republicâ, anno quinquagesimo octavo, icerant.

II. *Ludovicus Landishutanus cum Friderico Cæsare colliditur.*

Ludovicus, tametsi sibi à lacessendis Monacensis stirpis Ducibus temperasset, verebantur tamen, ne ut Ulyssis sodales, Polyphemo, ita Alberto Brandeburgico consumpto, accensæ Ludovici cupiditati, quæ rerum successu irritatur, postremi reservarentur. Quievere tamen, suâ potiùs moderatione, quàm securitate tuti. Non fuit item Ludovico quies à Brandeburgico, quem graviter urebat dolor accisæ per nuperam pacem potestatis, & dignitatis; quòd à Ludovico coactus fuisset Germanicæ Præturæ, invito quamvis Cæsare, diplomata proscindenda tradere, & quem Pontifex dederat Franconici Ducis titulum, ad veteris clientelæ professionem Wurceburgensi Antistiti referre. Iras suâ sponte æstuantes accendebat Fridericus Imperator, privatim offensus, quòd Ludovicus cum Bohemis cúmque Alberto Austrio fratre, qui de modo herciscundæ familiæ acriter cum ipso Cæsare certabat, Egræ nuper caput contulisset. Quare, ne ulli istorum vires jungeret, negotium illi facessebat per Brandeburgicum. Ut verò aliquod æquitatis simulacrum in privatâ Cæsaris causâ appareret, Ludovicum citavit hoc anno ad causam dicendam. Huic, Cæsaris tabulæ, in thermis Casteinensibus valetudinem curanti fuere redditæ. Quamobrem invaletudinis usus excusatione, id duntaxat dedit responsi, deliberaturum se cum amicis, quid fieri in rem suam oporteret. Gliscente in majus iracundiâ, Podiebracius Bohemiæ Rex pacificator intercessit, ideo Friderico ingratus, quòd in petendo Bohemiæ regno competitor, Podiebracij maximè operâ, fuisset passus repulsam Principibus semper exosam. Tali intercessore nihil benignitatis impetratum: cùm enim inter cæteras pacis conditiones peteretur à Cæsare, juberet Albertum Brandeburgicum ab armis temperare, & quas jactabat belli faces, restinguere, tantum abest, ut Cæsar id à se obtinere sit passus, ut potiùs litteris quamprimùm & quàm acerbissimè scriptis, Ludovico velut perduelli inimicitias denunciârit, jam non æquum Judicem aut protectorem æquitatis, sed hostem omnino professus. Tabulas Ludovicus Cæsari velut irritas remisit, unde flagrantior iracundia.

III. *Bellum instaurat adversus Brandeburgicum.*

Quare, ne Ludovicus imparatus opprimeretur, collectis domi suorum forisque fœderatorum auxiliis, ad vim arcendam se accinxit. Albertus Brandeburgicus, hisce rebus exacerbatus, concordiam nuper malè coalitam abrupit, arma rursus in Ludovicum indutus. Ducturum in Boicam prævertit Ludovici diligentia, qui armatâ manu in Brandeburgici fines ingressus, instar turbinis, decém & octo partim oppida, partim arces, in suam potestatem adduxit. Eidem misêre auxilia Fridericus Palatinus Rheni Comes, Herbipolitanus & Bambergensis Pontifices, unáque Otho Dux Mosbachius. Alberti partibus accessere Dietherus Moguntinus Archipræsul, Ludovicus Niger Comes Veldentiæ, Udalricus Wirtenbergicus, Carolus Marchio Badenus, Wilhelmus Dux Saxo, Emicho Comes Leiningensis, septem præterea alij Principes, unà cum Augustalibus urbibus; Norimbergâ & Weisenburgo exceptis. Inter subactas civitates fuit Neostadium, cui vis paulò quàm cæteris diuturnior fuit adhibenda. Exinde, cœlo, ob hiemis rigorem, castris importuno, oppidis castellísque idoneo firmatis præsidio, copias reduxere ad hiberna: Ludovicus interea profectus est in Bohemiam, nova à Podiebracio petiturus auxilia. Usus hac opportunitate Brandeburgicus, cùm per exploratores factus esset certior, Neostadij remissè vigilari; præsidij cessationem, & Satelbogeri, qui loco præerat, oscitantiam, in suam rem convertit. Compererat Præfectum, virum alioqui fortem ac strenuum sed juvenem, dies noctésque aleæ indulgere, alios ductores plerumque pergræcari, omnes otio marcentes, somnóque deditos, perfunctoriè nocturnas diurnásque excubias & alia militiæ munia obire. Ergo adductis ex improviso copijs urbem aggressus, oppressis excubitoribus, facili negotio, præsidio arma excussit.

Brandeburgicus Neostadiũ intercipit aliaque oppida.

Trithem. an. 60. Arenbeck. an. 61. Chron. Augustan. an. 61.

Con-

Conjecit in vincula Satelbogerum, cæterámque manipularium turbam. Tum transmisso properè per concretum glacie Danubium, haud longè à Rainâ, exercitu, Provinciam fœdè populatus, subacto Haidenheimio & Monheimio, arcem Graispachiam flammis absumpsit, longiùs multò grassaturus, nisi Tesarus Fraunhofius cum delectâ pugnatorum manu ad graviora properantem magno animo rejecisset. Recepit tamen Albertus eâdem hieme, quicquid æstivis castris, aliásque Ludovicus invaserat, Roto duntaxat excepto.

Hæc dum in Boicâ gererentur, Fridericus Comes Palatinus, Diethero Moguntino Archipræsuli infestus imminebat, quò minus virium Brandeburgico posset adversus Ludovicum adjungere. Pedersheimium ergo, primo à Wormatiâ lapide, captum atque direptum occupavit, præsidio sexcentorum è primâ nobilitate in suam potestatem redacto. In ijs Joannes Nassovius, Wilhelmus Werthenus, Otto Hennebergius, Philippus Liningius, Runckelius, Comites. Eodem loci Fridericus opimâ prædâ potitus, totam in milites jussit dividi. Hoc progressu Moguntinum ad graves pacis conditiones adegit, excluso Ludovico Veldentio, Comite Wirtenbergio & Liningio. Inde castrum Schawenbergicum, Hentschucheimium, Dobsenheimium, cum annexis, pignori opposita, donec Friderico triginta florenorum millia repræsentarentur. Addicta præterea à Ringaviensibus novem florenorum millia in vicem quorundam proventuum, quos Fridericus jure evicerat. FRIDERICI PALATINI BELLUM IN DIETHERUM ELECTOREM MOGUNTINUM.

Fridericum ad hanc expeditionem antè proritaverat Dietherus Archipræsul Ingelheimio capto & incenso. Vicem reposuit Fridericus concrematis aliquot Sacerdotum ædibus ad SS. Victoris & Albani, & S. Crucis Collegia, prope muros Moguntinos. Cæteri Moguntinenses domicilia, quæ nondum flammis perierant, grandi ære redemerunt. Id quoque bellum Moguntino stetit telonio Baccharacensi & castro Scharpffenburgio. Comites Liningenses castro Haslachio & Minfeltio, quæ Fridericus vi capta solo æquavit, magnísque spolijs, multati fuerunt.

V.

Ludovicum domestica pericula in Boicam ocyus revocârunt. Plurimùm intererat, irato Cæsare, armatâque ad Boici nominis excidium potiore parte Germaniæ, undique vires ad prima castra conquirere. Proximum fuit, ut Joannem & Sigismundum Duces Monacenses ad belli societatem traheret, cùm enimvero commune esset discrimen, damna ad universam Domum pertinerent, tantámque vim hostium unus sustinere non posset; frustra aiebat sperari, Cæsarem Boicæ fortunæ infensum, subactâ ejus parte, cessaturum, facilè reperturum aut facturum causas totius Bavariæ evertendæ. Nondum esse extinctam Austriacæ gentis in Boios æmulationem: natam esse cum Friderico Pulchro, non pulchrè à Friderico in Ludovici Cæsaris Nepotes propagari. Semper suspectam esse debere Principibus vicinorum crescentem in majus potentiam, quæ velut flumen rapidum confinia latifundia alluvione, ita minùs potentium ditiones, si non obruit, at saltem depascitur, ac tandem deterit. Seram fore armorum conjunctionem, ubi unâ provinciarum obtritâ, & ruptis velut aggeribus, torrens hostilis rem Boicam inundârit. Pereunti proximum esse, qui malo tempestiva remedia non adhibet: nihil fulcra longiùs petita Domui jamjam labanti prodesse. In tempore prospiciendum esse rebus, aut nunquam. LUDOVICI LANDISHUTANI FOEDUS CUM JOANNE ET SIGISMUNDO DUCIBUS.

Verùm ambo Principes, tametsi hæc non sine ratione videbant differi, sibi tamen, ut à Ludovico dicta interpretabantur, simul abhorrebant à bello. Etenim suspecta erat Ludovici magnitudo, quam licèt non expediebat accîdi, nec etiam magnopere proderat externis curis omnino non occupari. Nihil eum credebant in patriâ moliturum, donec esset domi affatim negotij foris habiturus. Terrebat etiam Cæsaris auctoritas, cui periculosum erat obluctari: formidanda erat Imperij potentia, quam Cæsar habebat, erátque, quoties lubuisset, habiturus in promptu. Nec verò spernenda videbatur Alberti fortitudo & clientelæ. In hoc rationum conflictu, visum Fratribus, nec deserere

 proxi-

proximum sanguinem, nec temere Cæsarem aliósque Ludovici hostes irritare.

LEGES FOEDERIS. Huic igitur operam addixêre, eâ tamen lege, ut consilia primùm, ac si nihil ea proficerent, arma deinde in bellum sociale conferrent. Lex altera fuit, ut,

VI. quando contra Ludovici Cæsaris tabulas, Henricus Landishutanus, Ludovici parens, Boici salis convectionem, ad pontes sibi vectigales, cum insigni damno Ducum Monacensium averterat, Ludovicus id comercij pristinæ conditioni restitueret, sineretque deinceps per unum Monacensem pontem, salem vehi trans Isaram. Id ægrè Ludovicus concessit, lucri, quod ex salis vectigali faciebat, captus dulcedine: expressit tamen telum validum necessitas, quod nullâ antè contentione, nullis arbitrorum sententijs potuerat impetrari. Confectis *Archiv. Elector.* eâ super re Lavingæ, anno sexagesimo primo, feriâ post S. Nicolai alterâ, tabulis, litem jam diu agitatam, in patruelium gratiam ejuravit.

BRANDEBURGICUS A GUNDELFINGÆ OBSIDIONE REPELLITUR. Hoc impetrato, Fratres, priùs quàm arma induerent, obtulêre se pacis sequestres. Prodierat in campum cum quindecim armatorum millibus Albertus Brandeburgicus: augustales urbes, duæ supra triginta, sua quoque subsidia miserant. Princeps Wirtenbergicus eidem copias adduxerat, & jam Gundelfingam, Lechusio alijsque pagis igne corruptis, viribus conjunctis obsidione premebant, cùm Ludovicus educto confestim exercitu, obsessis laturus opem, signa infesta movit in hostem, cum quo manus consereret, si faceret pugnæ copiam. Verùm ille, non expectato Ludovici adventu, solutâ obsidione, prælium detrectavit. Per idem tempus, Augustani quotidianis excursionibus, confinem Boicam habebant infestam. Ad eos se receperat Albertus, hunc Joannes & Sigismundus,

PAX TENTATUR. rati mitioribus tunc rationibus fore opportunum, de pace adiêre. Repererunt exulcerato in consobrinum animo, non tamen omnino à sarciendâ concordiâ alienum, si ad gratas æquabilésque conditiones veniretur. Ab eo ad Ludovicum profecti, in æquale propè ingenium, nec dissimiles querelas incidêre. Tandem ferijs Pentecostes, novis instructi, ad sanandos animos, remedijs reversi, id saltem effecerunt, ut condicto in mensem proximum colloquio, se dicerent in arbitrorum authoritate futuros. Sub hæc Augustani, bello per fecialem indicto, se Alberto adversus Ludovicum, sub vertentem Februarium, cum sexcentorum quinquaginta pugnatorum manu, delectâ ex centuriatis civibus, necessarióque ad subuehendam annonam sarcinásque instrumento, adjunxerunt.

VII. Denique quicquid armati Principes de sanciendâ concordiâ pacificatoribus

LUDOVICUS NABAM EXSCINDIT, pollicerentur, satis apparebat, utrumque pacis mentionem admittere, non quòd eam bello præoptarent, sed ne bellum ducere, & iræ potiùs quàm paci litare velle viderentur. Nam re ipsâ Ludovicus Nabam, nobilem admodum amplámque, ad voluptarios Alberti secessus, villam, flammâ, cædibus deformatam diruit, itáque instruxit exercitum, ut appareret, ferro non foro litem velle dirimere. Albertus nihilo minores faciebat apparatus, æquè atque ille ad pugnam accensus.

AUGUSTANOS INVADIT, Ludovicus, ut depresso Augustanorum supercilio, Boicum limitem Lyco confinem hostilibus impressionibus liberaret, eos putavit ostentato saltem obsidionis metu in ordinem esse redigendos. In eos duxit decem selectorum virorum millia. Ut venit in urbis conspectum, postridie cal. Julias, Augustani vim ma-

CASTRA BRANDEBURGICO OBIICIT, jorem metuentes, cùm permulti ex præsidiarijs ob diminutum stipendium à signis abijssent, nec urbi defendendæ cives diuturnæ militiæ insolentes sufficerent, pacem poposcerunt, impetratámque bis mille aureolis redemêre. Non multò pòst Ludovicus, recepto Haidenheimio, ad Giengam hostilem urbem, cum viginti millium exercitu consedit. Albertus in ipsius propè oculis, tumulo Giengæ propinquo potitus, castra carrorum coronâ circumplexus, pugnam videbatur detrectare.

Ludovicus nihil cunctandum ratus, socijs Principibus Ductorúmque primoribus in consilium adhibitis, singulorum sententias exquirit. Prælium suadebat opportunitas, quæ hostem eò adduxerat, ut vel Marte decernere, vel cum insigni nominis labe fugere cogeretur. Dissuadebat castrorum situs, aggressuris perquam

quam iniquus. Audita in utramque partem vota. Visum nonnullis, audendum aliquid in hostem, qui pugnæ fugitans, jam semivictus esset, alijs, nihil tentandum temere, sed expectandum, donec æquo Marte, in aperto campo, posset cum hoste confligi : alij judicabant, non differendam quidem pugnam, sed è re publicâ videri, ne tam periculosæ aleæ Ludovici vita committeretur : omnium enim interesse, Principis salutem ad longè majora servari. Militem, eo absente, nihilò seciùs fortiter pugnaturum. Atqui prohibessit Deus, inquit ille, ne meos commilitones destituam : aut mihi hodie cum illis vincendum, aut moriendum. Ea vox mirificè Ductorum animos accendit, vulgata in castris sic animavit militem, ut passim prælium exposcentium clamores audirentur. Sexcentos Alberti Austrij equites in exercitu Ludovici fuisse reperio. Adfuere etiam bono numero Bohemi.

PUGNAT AD GIENGAM. VIII.

Gerard. de Roo. l. 7. pag. 254.

Instructâ igitur acie, signa moventur in hostem : Ludovicus plenus fiduciæ, nomen Deiparæ virginis dat in pugnæ tesseram, illóque inclamato, jubet duci in hostium munimenta : ipse verò, ne minùs faceret, quàm dixerat, inter primos, intrepidus rescindendo castrorum septo manus admovet, virginis Mariæ nomen identidem ingeminans, suóque exemplo totam aciem ad similia vota accendens. Tonabant interea ex sedibus dispositis horrenda curulium machinarum fulmina, mittebantur è superiore vallo continuæ in subeuntes telorum procellæ, fundebantur è catapultis minoribus plumbearum glandium nimbi continui : sed quæ fuit sors humanâ major, ista telorum grando sine noxâ sævijt, irritâ in Ludovicum militémque destinatione. Ut perventum ad objecta castrorum repagula, momento disiectis huc illúcque carris, via in attonitos miraculo hostes aperta. Alberto ista Boiorum fortitudo tantum terrorem incussit, ut se Germaniæ Achillem esse oblitus, inter primos se conjecerit in effusam fugam. Eum Helvetij frustra conati in acie retinere. Per mediam Giengam elapsus, ægrè discrimen evasit. Cætera turba, Ducis exemplo, in urbem profugit, pars è ponte effusa in subjectam fossam, aquis extincta, pars collisa cadentium pondere, multi præterlabente Premsio flumine submersi ; pars capta, alij pedum pernicitate servati, obtruncati non multi ; quòd Ludovicus civili sanguini parcendum, suo more, judicasset. Victoriam nobilitârunt spolia opulenta, tres Aquilæ ductæ in triumphum, Cæsarea biceps, Brandeburgica coccinea, tertia triginta duarum Imperij urbium, quarum omnium singula insignia, eodem in vexillo coloribus expressa visebantur. Tanti facti gloriam non Dux modò, sed etiam milites, cæteroquin arrogantes, non sibi, sed viribus humanâ fortitudine majoribus tribuêre. Carmen triumphale decantarunt victrici Virgini, quam vicisse palàm fuere professi. Credita quoque Amelia Ludovici conjux multùm ad victoriam contulisse, quando sub decretorium pugnæ tempus, in preces effusa, propitiando Numini templa supplex nudis palàm pedibus obivit, suóque exemplo Landishutanos cives matronásque traxit ad idem genus pietatis. In captivorum numero fuêre Hilpoldus Knoeringius vir domi nobilis Augustanorum tribunus, Waldenfelserus : Werdenbergicus aquilifer, cum signo è fugâ retractus : castra auro argentóque referta versa in prædam : magnus equorum nobilissimorum numerus cessit victoribus. Egregiam navârunt operam Joannes Scaliger Veronensis; Sigismundus & Georgius Laimingij fratres germani, Wolfgangus Rorbachius, Henricus Staudacherus, Engelhartus Weichsius, Guilielmus Leinriderius, Augustinus Austriæ fœderatorum Ductor, quos vulgò Fratres Austrios vocitabant, quíque magnas sæpe turbas Friderico Cæsari & Austriæ Ducibus dedêre : Ordinum tribuni, Fraunhofius cohortis prætoriæ Præfectus; Joannes Holupius, Signifer Georgius Canimerius. Hostili repagulo revellendo inter primos præcipuam vim adhibuit Wolfgangus Schabenbergius Dynasta fortissimus. Pugnatum decimo nono Julij, triduo ante diem, rebus ex arbitrorum sententiâ pacandis constitutam : quod cœlo ita visum, ut inflexus eâ clade Brandeburgicus, solito pronior ad pacis consilia descenderet, experimento edoctus,

Chron. Augus.

VINCIT ALBERTUM. IX.

Arenbeck.

AMELIÆ DUCISSÆ PIETAS.

Chron. Augusti.

X.

Boicum Hectorem Germanico id tempestatis Achille fortiorem feliciorémque esse repertum. Receperat Albertus se è fugâ in castrum Albeckium, ubi propè à captivitate absfuit, malè tectus infirmis arcis non magnæ munimentis, & propinquante cum exercitu Ludovico, cùm Ulmenses laboranti auxilio accurrêre, & castro ereptum, perruptis Ludovici copijs in tuto collocârunt, captis è Ludovici milite quingentis, quos Lavingani custodiendos accepêre, temperamentum triduo antè partæ victoriæ. Eâ Ludovicus moderatè usus, se victis juxtà ac victoribus apprimè probavit, quòd esset tum vel maximè ad finiendum bellum proclivis, cùm gloriosè utilitérque, hoste devicto, finiri posset. Eapropter Giengâ prætermissâ, exercitum abduxit in agrum Augustanum. Cùm ad Pferscham, haud longè ab urbe tetendisset; quasi in amicissimo solo versaretur, nihil veritus civium insidias, petitum ex urbe Creticum, & id genus alia, Germanici candoris fiduciâ ad mensam adhibebat.

LUDOVICUS AUGUSTÆ ADSIDET.

Sibylla Gossenbrotia Langenmantelij uxor, arcis Hainhofiæ excidium submisso ad Ludovicum serto redemit. Eam ille corollam galero suffixam, inter triumphales Lauros comiter aliquandiu ostentavit. Nihilo tamen seciùs Pferscham, Geggingam, Inningam, castrum Radavium & Wellenburgum flammis exussit. Inde castra movit Wertingam inter & Merdingam, latè circùm agro perinfestus.

CIVITATES IMPERIALES AGRO BOICO INFESTÆ.

Civitates interea contractâ excursorum non contemnendâ manu, ad Rainam progressæ, Neoburgum usque, abactis armentorum gregibus, cæteràque hostilitate, colonos gravissimis damnis affecêre.

Trithem. Arenb. Chron. Augusti. Freher. 104.

XI.

Tritheim. Chron. Sponh. A. 1462

BELLUM FOEDERATORUM IN FRIDERICUM PALATINŨ.

Albertus Brandeburgicus inter hæc de delendâ ignominiâ gnaviter laborabat. Sigismundus Dux è diverso, Norimbergæ, cum summis Germaniæ Optimatibus congressus, pacis consilia sedulò agitabat. Partes passæ sunt demum se adduci ad pangendas inducias. Ista dum agerentur, Udalricus Comes Wirtenbergicus, Carolus Marchio Badensis, Georgius ejus germanus Metensis, Joannes Spirensis Episcopi, qui cum Alberto conspirârant, ut Friderici Palatini auxilia à Ludovico diverterent, collecto exercitu, factâque in Palatinatum irruptione Heidelsheimium, haud longè à Brugsalâ, obsidione cinxerunt. Fridericus perducto intra mœnia auxilio, acrem tridui oppugnationem eâ virtute sustinuit, ut victoriâ desperatâ, refixis signis, hostes aliam sibi sumpserint quercum excutiendam. Castra promovêre in agrum Heidelbergensem. Fridericus, cognito per exploratores, fœderatum hostem, peditatu in castris relicto, cum mille expeditis alarijs iter vexisse versus Heidelbergam, cum citato mille item equitum globo (in quo trecenti à Diethero Moguntino, qui à Pontifice exauctoratus, cum Friderico fœdus icerat, adducti) obviam egressus, non procul à Seckenheimio in nemore substitit, donec hostile agmen prætervectum pervenerat ad Rheni & Neccari confluentes, eásque loci angustias, ut citra pugnam evadendi omnis ratio esset intercepta. Tum ex insidijs prorumpunt Palatini: Cooritur certamen, victoria cedit Palatino, capiuntur Badensis Marchio, Udalricus Wirtenbergicus, Metensis Episcopus, quingenti primi nominis Comites, nobiles, & equites, qui omnes vincti, Heidelbergæ gratum civibus spectaculum præbuerunt. Occubuere in loco ducenti; cæteris fuga saluti fuit. Ex Palatinis pauci cecidere: dimicatum prid. cal. Julij. Captivis Principibus isthæc clades magno stetit, ære grandi & Dynastiarum oppignoratione libertatem redimere coactis. Spirensis Episcopus fugâ elapsus, pacem emit à Palatino jacturâ Rotenburgi. Ea tum fuere tempora, ij mores, cùm Ecclesijs mirè obfuit, Episcopos mitram galeâ mutasse, atque factos ex pastoribus infelices pugnatores, sacras opes non bello sed pietate quæsitas, improsperâ simul & indecorâ militiâ vehementer accidisse.

FOEDERATORUM CLADES.

Adulto Autumno, comitia de pace Ratisbonæ habebantur, cùm Fridericus Imperator ab Alberto Fratre germano Viennæ in Regiâ obsessus, venit in ultimum fortunarum, vitæ, libertatísque discrimen. Jam ad eas rerum angustias reda-

redactus erat, ut cùm ipse, Augusta, Maximilianus infans, Proceres, triticeo pane soli vescerentur, cæteri famem leguminum dimenso tenuiter sedarent: vini vix erat usus, nedum copia. A Bohemiæ Rege primùm missa Cæsari auxilia Victorino Podiebracij filio ductore, cùm hæc Cæsari liberando paria non essent, & frustra tentata fuissent fraternæ concordiæ media (tam graves & obstinatæ sunt fratrum iræ) Georgius Bohemiæ Rex octo millium auxilia adduxit. His suppetijs Albertus factus mitior, aures paci cœpit commodare. Cæsar, factâ Bohemo paciscendi potestate, sic passus est transigi, uti neque fratri succumberet, neque (quod Podiebracius volebat) absque æmulo Austriâ potiretur. Hoc artificio Bohemiæ cavebatur, ut Fratrum studijs, per mutuas simultates & perpetuas suspiciones in varia domi distractis, à Cæsare Austrijsve nihil rerum novarum foris posset excitari. Sic agitur, quando causæ domesticæ exterorum consilijs commissæ, occasionem præbent vicinis, ex vicinorum malo proficiendi. Istam tamen fratrum discordiam Deus, qui inscrutabili sapientiâ de malis bonum colligit, vertit in commodum Domûs Boicæ, ut Friderico Cæsari fraternis odijs intricato, nec otium nec vires adessent, quibus conceptas in Ludovicum Landishutanum iras explicaret. Tam promptum est Numini, salutis expediendæ vias, unde minimè sperabantur, aperire.

Roo. l. 7.

XII. FRIDERICUS IMPERATOR A FRATRE VIENNÆ OBSIDETUR. PACEM COMPONIT.

Paris felicitatis fuit, quòd Georgius Bohemiæ Rex anno sequente, qui sexagesimus tertius fuit, etiam Ludovicum Landishutanum Friderico Imperatori conciliavit conditionibus non incommodis, ut à bello liceret afflictæ patriæ respirare. Bello successit pestilitas, malum humanitus implacabile, & bello haud paulò atrocius. Ea per totam Boicam, Austriam, Sueviam & omnem passim Germaniam fœdè grassata, Monachij, Joannem Sigismundi Ducis fratrem sustulit, qui post justa funebria, in Andecensi Montis Sancti Monasterio, in parentis sui conditorio, octavo decimo Novembris fuit tumulatus. M. CCCC. LXIII.

JOANNIS DUCIS MONACENSIS OBITUS.

Fuit Joannes Princeps æqui boníque perquàm studiosus, liberalitate morúmque gravitate insignis. Eius mortem Ludovicus Landishutanus inter publicas Boicæ lacrymas siccis propè oculis fuit prosecutus. Luctum pressit inveterata simultas. Semper hæserat Joannis animo, quòd non satis æquâ partitione Ludovici Barbati Ingolstadiani hæreditas in Ducum Landishutanorum manus ferè tota venisset. Nec fecerat eius animo satis id modicum, quod initio aditi Principatûs, Henrico defuncto, Ludovicus Filius Monacensium ditioni adjecerat: quod cùm non dissimulanter crebrò quereretur, tandem etiam ausus est Ludovicum ad singulare certamen provocare, ut duorum capitum periculo, sine civili sanguine, lis odiosa decerneretur. Id cùm non processisset, res credebatur in bellum eruptura, si Joannes supervixisset. Magnæ id moderationis laudísque fuit, quòd tantâ concordiâ pari cum fratre potestate triennium imperârit; tam rara est in eo genere concordia, quæ in Joanne & Sigismundo tantò fuit excellentior, quòd genio essent magnopere dissimiles.

XIII.

JOANNIS ET SIGISMUNDI DIVERSUS GENIUS.

Etenim Sigismundus hilari prorsus indole, facetijs, ludicris, musicâ, aucupio, ferarum venatu, belluis peregrinis, aliísque, quæ mentem oblectarent, mirè capiebatur, minùs affectus ad seriam Philosophici supercilij gravitatem. Recreabatur aëre campestri, quem ut liberiorem, captabat frequenter Dachavij. Menzingam etiam subinde secessit & Naënhofium. Visebatur Menzingæ ante annos aliquot ejus effigies in conclavi, quo potissimùm ipse utebatur.

Eum Vitus Eberspergensis deprædicat à singulari in omnes benignitate & clementiâ, præsertim in viros eruditione & pietate præstantes. Vito potiùs & Arenbeckio, antiquioribus, & illorum temporum æqualibus scriptoribus, assentimur, quàm Aventino recentiori, qui affirmant, Sigismundum suâ sponte, non alieno arbitrio, de Principatûs gubernaculo descendisse. Triennio cum Joanne fratre, biennio solus imperavit. Abdicatum deinde Principatum ultrò Alberto Fratri tradidit. Quod clarum fuit rarissimæ modestiæ exemplum inter Principes,

cipes, quibus solenne est, vitam priùs quàm purpuram exuere. Eâ depositâ,
XIV. quietam sortem privatus, procul à curis publicis coluit, laboris affatim, minus sollicitudinis, plus fructûs habiturus, si se unum curaret. In eâ nihilominus vitâ regiarum virtutum numeros egregiè implevit, sui & rerum fluxarum victor ac moderator. Grunwaldam arcem, loci amœnitate captus, cum Menzingâ & Naënhofio retinuit, cæteram ditionem cessit Alberto fratri, usuariâ, quæ abunde esset ad sustinendam Principis conditionem, attributione contentus. Eam non magis ad suos, quàm ad pauperum & familiarium usus impendebat tam largâ semper manu, ut regiæ liberalitatis mensuram si non æquaret, proximè tamen imitaretur. Voluptatem capiebat ex pastis & stipe quotidianâ adiutis miserorum gregibus: Regiam suam hominibus Deo sacratis & liberalibus disciplinis bene excultis semper patere voluit: fuit habitus bonarum artium Mecœnas. Fides & musica instrumenta scitè suâ ipse manu tractabat. Viris ingenio & scientiâ probè instructis paupertatem detrahebat: quos nôrat ad Dei cultum propensos, admovebat sacerdotijs: ædes sacras non modò auxit ornatu, sed ditavit etiam censibus & ampliavit. De D. Virginis Basilicâ Monacensi quàm bene sit meritus, in loco dicemus. Provixit cælebs ad calendas Februarij Anni primi supra millesimum quingentesimum: vitam finijt in habitu Franciscanæ familiæ, quo se voluit ad mortem excipiendam indui. Sepulchrum nactus est Monachij in Basilicæ Marianæ hypogæo.

SECESSUS.

DIES OBITUS.

XV. Cæterùm Fridericus Cæsar, quod ad annum hujus sæculi sexagesimum tertium pertinet, Viennensi tumultu & fraternâ obsidione solutus, Ratisbonam contendit. Illic Principes & Ordines Imperij de republicâ convenerant. Cæsar Alberti fratris injurijs exacerbatus, ex Comitij sententiâ, publico illi edicto aquâ & igni interdixit, proscriptúmque omnibus Imperij beneficiarijs clientelis, & Austriacis ditionibus exuit. Viennenses, qui ejus partes erant adversus Fridericum secuti, multa expostulantes, grave in illum Principum odium concitârunt, sive ut se accommodarent tempori, seu ut à Cæsare gratiam inirent, & nomen majoris deinceps in eum fidei aucuparentur. In Augustale consilium admissi, inflictos ab Alberto carceres, exilia, bonorum direptiones, inopiam, suásque calamitates exaggerabant.

FRIDERICUS CÆSAR ALBERTUM FRATREM PROSCRIBIT. *Rom. l. 7. pag. 263.*

Albertus gravissimo Cæsaris judicio damnatus, ad summum Pontificem provocavit. Is erat Pius II. qui, quòd utrumque fratrem ex domesticâ quasi consuetudine dudum pernôsset, tantum abfuit, ut Alberti causæ opitularetur, ut tum ipsi, tum cæteris omnibus, qui Cæsarem Viennæ obsederant, sacrorum usum prohibuerit, addito decreto, nequis sacerdotum ullum ex eorum numero, nisi auditâ priùs & discussâ ab Romano Pontifice causâ, sceleribus expiaret. Albertus eo fulmine territus, denuò sedem Romanam appellavit, causæ suæ momenta (ita profitebatur) clariùs Pio Pontifici expositurus. Causabatur premi se fratris potentiâ, & Principum eidem addictorum invidiâ, sibi porrò non fore difficile ostendere, quàm bono jure Austriæ gubernationem inijsset, quantáque esset æquitas cæterarum, ob quas traducebatur, actionum. Verùm dicta hæc ferventiùs, quàm audita. Nec Pontifex quicquam de sententiâ mutavit, nec Cæsar se passus est à propositâ vindictâ dimoveri. Denique Albertus post varias turbas, post pacem semel iterum tentatam, 4. Non. Decembres subito malo correptus, obijt. Pio II. anno sequenti defuncto Paulus II. successit.

ALBERTUS AD PONTIFICEM MAX. PROVOCAT IN CASSUM.

SUBITA MORTE EXCEDIT.

M. CCCC. LXIV. Annus sexagesimus quartus rerum Boicarum nihil habet apud scriptores, quod dignum memoriâ videatur. Externum est, quod memorant de Georgio Podiebracio Rege Bohemiæ diris devoto, ob propagatam defensámque sectæ Hussiticæ licentiam.

M. CCCC. LXV.

XVI. Paulò propius est, quod de Ratisbonensi Episcopo Ruperto Mospachio Palatino Comite, annales prodiderunt. Fuit is ortus Othone Mospachio Palatino, ex Joannâ sorore Ludovici Principis Landishutani, Othonis Cælibis germanus, Ruperti Rom. Regis Nepos. Eum Calixtus III. Pontifex, adversante Hen-

Steindel. 271. Farrago Hist. Ratisb. in Catalag. Episc.

Henrico Abspergio competitore, Ratisbonensi sedi imposuerat. Cùm justam ætatem non attigisset, à consecratione abstinuit, gessit tamen alia Episcopi munia annis octo. Dum Ipsij in Austriâ versaretur, repentino morbo oppressus, hoc anno Cathedram destituit. Funus adverso Danubio Ratisbonam vectum, in æde principe est collocatum. Abspergius tandem voto potitus, authore Romano Pontifice Paulo II. in D. Catharinæ Ferijs à Tubeckio Frisingensi antistite initiatus, sedem, octo ante annos expetitam inijt, vir eo loco non indignus, sive mores & religionis studium, sive curam spectes ac vigilantiam, quam per annos viginti sex, & quod superat, est egregiè testatus. Tales Episcopos ea tempestas requirebat, cùm ex Bohemiâ continuò periculum immineret, ne contagio doctrinæ Hussiticæ, in vicinas regiones proserperet, crescente indies Georgij Regis potentiâ, & studio extirpandæ orthodoxæ religionis. Hinc ille unà cum Victorino filio, paternæ impietatis sectatore, rursus à Paulo Pont. Max. piorum cætu, regnique jure exclusus, anno sexagesimo sexto. Excitata dehinc Catholicorum arma, ut grassanti ad majora pravæ doctrinæ damna, suscepto in Podiebracium sacri belli signo occurrerent, caverentque, ne quas ille passim excusationum præstigias, litteris ad vicinos Principes conscriptis spargebat, populi ab Hussitica pravitate intacti in animum admitterent. M. CCCC. LXVI.

Silentio à nobis præteriri non potest, pulcherrimum eximiæ religionis monumentum, quod Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, authore Sigismundo Duce, Monachij cœpit excitari, ad Divini numinis gloriam & cultum virginis semper intemeratæ. Jacta fuerunt quàm solennissimo ritu fundamenta ædis magnificæ, quæ hodiéque oculos spectantium trahit in admirationem. Sigismundus, qui ætatis suæ annum agebat nonum supra vigesimum, primum structuræ lapidem in fundamento composuit, ædémque voluit virgini Deiparæ dedicari, & assurgere ad eum splendorem, quo cum splendidis basilicis de pulchritudine potest certare. M. CCCC. LXVIII. TEMPLUM D. VIRGINIS, MONACHII COEPTUM ÆDIFICARI. XVII.

Idem annus insignis est pompâ regiâ, quam Ludovicus Landishutanus in Georgio filio ad Principatûs honores maturè evehendo instruxit. Arenbeckius celebritatis descriptor, idémque testis oculatus, eam suo stylo sic subiecit oculis, ut ex non omnino elegantibus lineamentis facilè appareat, quantam celebritatem voluerit rudiore dicendi ratione adumbrare. Ludovicus annis gravis & de ultimâ vitæ lineâ sollicitus, Georgium filium unicum ex Ameliâ Friderici Saxoniæ Electoris Filiâ habebat in vivis spem suæ posteritatis. Ne quid ille, ubi parens in fata concessisset, remoræ pateretur, quo minùs statim Principatûs habenas sumeret (agebat tunc Georgius annum decimum tertium) Ordinum consensu eum voluit fastigio admovêre. Nihil obstitere Ordines. Degebat id temporis Burghusij Georgius, nondum solutus educatorum moderatione. Inde evocatum, cum festo totius nobilitatis & civium apparatu voluit excipi. Landishutam ingressus est inter lætos tubarum clangores, cæteráque eximij honoris argumenta. In ejus adventum effusa omnium Ordinum multitudo. Ad portam Avenariam, in patente campo, à Primoribus meditatâ oratione salutatus, cultúsque, quibus potuit, honoribus, per stipatam hinc & hinc armatorum ordinibus viam, plaudente faustis acclamationibus civitate, rectà deductus est ad primariam D. Martini ædem. Isthic gratijs Numini persolutis, eleganti symphoniâ promptum ex sacris oraculis carmen, *Tua Domine est potentia, tuum regnum*, decantatum. Nihil denique prætermissum, quo certatim omnes publicum gaudium possent testari. Posterâ luce, præsente Ludovico parente, Senatus populúsque Landishutanus, juratus, sacramentum Georgio dixit. Pater illi Provinciam universam, quam latè in primâ ac secundâ Boicâ tenebat, possidendam tradidit, XVIII.
retento tamen, quoad ipse foret superstes, jure gubernandi.

Inter hæc Albertus superioris Provinciæ Dux fratris æmulatione petitus, conspirationem detexit nonnullorum, qui Christophorum Ducem ejus germanum ad res novas concitabant. In his Gewolfus Degenbergius & Joannes *Staindel. pag. 271.*

Alberti Ducis adversus Christophorum fratrem contentio.

Nusbergius. Res ab ovo recensenda. Post Ducis Joannis excessum, quatuor Alberti Pij parentis filij adhuc erant in vivis. Sigismundus abdicato Principatu, privatam vitam erat amplexus, posteaquam biennio solus rexerat: Albertus pronissimâ Fratris Ordinúmque voluntate, & nascendi prærogativâ cæteris fratribus adultior, fasces solus suscepit, Christophoro perquam invito, quòd Alberti parentis tabulis, secundas saltem in Provinciarum administratione partes sibi deberi arbitrabatur. Jusserat enim binos ex filijs natu majores pari jure, rerum summæ præesse, uti reipsâ præfuerant Joannes & Sigismundus. Patrij Ordines rati longè tolerabilius fore unius Alberti, quàm duorum imperium, plerique id agebant, ne Christophorus rerum potiretur. Id quò minùs vellent, suadebat indoles digna quidem imperio, sed minùs quàm fratris sedata. Albertus ex litterarum studio mitiores spiritus hauserat, famámque non vulgaris prudentiæ. Italia, quæ eum liberalibus disciplinis excoluerat, eum inter Principes litteratissimum appellavit, Germania Sapientem. Christophorus excitato ingenio, corpore supra vulgarem modum robusto, gloriæ appetens, rei domesticæ

XIX. incuriosus, promptior ad arma, quàm gerendam Rempublicam videbatur: Et duæ simul Regiæ duplici oneri Provinciæ fore timebantur. Superiorum temporum exempla ostenderant, quàm pronum esset duo capita inter se, pessimo publico collidi. Favebat nihilominus Christophori ambitioni Transdanubiana Nobilitas, quæ Martios ejus mores familiari usu combiberat, præferebátque Alberti moderationi & litteris, quas, qui nesciunt, oderunt. Vicit tamen meliorum sententia, qui unum Albertum in fastigio judicabant esse retinendum, Christophoro armorum tractationem, Wolfgango, qui fratrum erat postremus, togam esse deferendam: ut hic opes inter aras, ille gloriam in castris quæreret. Et honestissima Christophoro conditio jam nata aptáque erat apud Carolum Audacem Ducem Burgundiæ, quo eâ tempestate nullus habebatur bellicosior: Wolfgango quærebatur digna natalibus fortuna, sed neutri oblata Sparta placebat: sponsa raró grata, nisi quam sibi quisque optavit. Ex ista deligendi

Christophorus jubetur, Ludovici Landishutani arbitraria sententia, fratri subesse.

status concertatione, cùm sensim unà cum ætate dissidia adolescerent, id natum consensionis, ut Fratres, litis arbitro Ludovico Landishutano, volentes lubentes se usuros, atque in ejus authoritate futuros pollicerentur. Ad dictam diem Christophorus, ducentis equitibus ex factiosâ nobilitate stipatus, assumpto paratu Principali & Palatinis ministerijs, Landishuti tempestivè adfuit. Causâ utrinque dictâ, Ludovicus, quem ista Christophori pompa offenderat, quíque sibi longè quietiora ab Alberto pollicebatur, exauctoratum Christophorum, jussúmque Alberto natu majori fasces submittere, redegit in ordinem. Passus ille est id sibi submissionis imponi, seu certus imperata facere, sive simulatâ in præsens modestiâ. Pupugit vehementer nobiles ipsius honorarios ista Ludovici sententia, quâ & se ludibrio expositos, & spes crescendi frustratas arbitrabantur. Ergo ignei juvenis aures obsidere, quiritari injuriam, dejectam Principis causam lamentari, & instar Æsopicæ corniculæ, adscititio cultu spoliatam ex-

Concitatur in fratrem ab Hussitis.

positámque risui mortalium; verbo, ambitionis flabellis malè sopitam cupiditatem excitare. Erant ex eorum numero Degenbergius & Nusbergius, quos pestis Hussitica contaminaverat. Hi, quò redderent Principem ab Alberto alieniorem, jam cœperant ejus integritati dirum virus adflare.

XX. Latentem callidâ simulatione luem, Joannes sacerdos egregius protraxit in lucem. Is Egræ opertaneas corruptorum hominum machinationes cùm comperisset, tanti momenti facinus non dissimulandum arbitratus, eâ tantùm gratiâ Landishutum profectus est, ut populo, pro concione duos illos Reipublicæ proditores ostenderet, redderétque pijs omnibus detestabiles. Istâ accensus oratione Georgius Tharstainius, vel (ut Hundio placet) Thorstainius, collectâ octoginta non ampliùs equitum peditúmque manu, Degenbergium, Boicæ Procerum ferè potentissimum, fidei ac pietatis hostem, aggreditur, arcem, unde illi gentile nomen, occupat, Albertóque Duci permittit. Eam Princeps in nefarij

farij criminis vindictam, & ne impostetum simili atrocitati sedem receptúmve præberet; jussit à fundamentis everti: Degenbergius suo capiti metuens, ad Bohemos transfugit. Mox arma versa in Nusbergium pari eventu, arce ipsi cognomini excisâ. Weissenstainia (addunt aliqui Calenbergiam) in fiscum redacta. Hinc propagatus metus in conjurationis socios. Haud dubium, quin ista amicorum clades Christophorum vehementer perculerit. Eum Albertus, ut paulatim mansuefaceret, sibíque haberet ex honorificâ consuetudine magis obnoxium, Romam duxit, ad salutandum Paulum Pontificem, quo adhuc purpurato familiarissimè usi fuerant, cùm olim in Urbe ad capessendum ingenij cultum versarentur. Sperabatur etiam fore, ut ista profectio Christophori animum honestâ remissione recreatum, ad sedatiores cogitationes avocaret. Eos summus Pontifex habuit humanissimè, memor amicitiæ, quam in minore fortunâ cum utroque contraxerat. Istius peregrinationis is saltem fructus fuit, ut tali officio, suam in supremum Ecclesiæ caput observantiam testarentur, Imperatoris Friderici exemplo, qui hoc quoque anno Romam voti causâ profectus, sacrâ Natalitiorum nocte, Paulo Pontifice rem divinam faciente, Diaconum egit, sacro Christi nascentis Evangelio, ritu quàm solennissimo publicè decantato, quod à Sigismundo aliisque Cæsaribus factum meminerat.

ALBERTUS CUM CHRISTOPHORO ROMAM PROFICISCITUR.

XXI.

Ioan. Stendel, Reo. Myreus. Chron. Aug.

M. CCCC. LXX.

Paul. Langius Chron. August. Fugg. Opus honor.

De cætero tametsi Christophorus fratris humanitate ac benevolentiâ delinitus, se commodè in isto itinere habuit, sive Alberti reverentiâ, sive quòd longè à patrijs seditionum flabris abesset; attamen domum reversus, quasi ex natalis soli contactu (quod de Antheo olim poëtæ finxerunt) cùm priores spiritus resumpsisset; redijt ad mores pristinos & malè domitas simultates. Has cùm acerbè & haud dissimulanter exerceret, Albertus metuens, ne malè feriatorum consilijs & renovatâ cum seditiosis conspiratione, actus in transversum, turbas publico nocituras conciret, rebus necessarijs adactus, eum constituit sic constringere, ut deesset ipsi rerum novandarum facultas. Ejusce consilij pacatè exequendi se præbuit opportunitas pridie Dominicæ, quâ inchoantur ab insolente populo ludi & profusiones Hilariorum. Rem retulit Arenbeckius in annum sequentem; sequimur scriptores ante nominatos ad marginem. Eo, quem dixi, die, Christophorus, curando corpori, ad balneum, Monachij secesserat. Quo comperto, Albertus Nicolao Abenspergio, Burcardo Rorbeckio & Laurentio Bognero dat in mandatis, fratrem ut ex thermis productum, ducant in honestam custodiam. Res non fuit operosa: nudum & raro famulitio circumfusum, quamlibet reclamantem, è balnearum solio detrahunt, & captivum tradunt in Alberti manus. Habitus est in liberâ custodiâ per sesquiannum. Id Alberto multas turbas concivit. Wolfgangus Christophori frater, immite exemplum ad se pertinere ratus, cum quaternis duntaxat comitibus elapsus, pernici fugâ Augustam contendit. Nihil prætermisit benignitatis Albertus, quo eum domum revocaret: At ille revocantem aversatus, captivi fratris sortem indignam deplorare, parem sibi ominari, utriusque fortunam passim Principibus amicísque, lamentabilibus expostulationibus commendare, solicitare Cæsarem, Divos hominésque in vota auxiliúmque vocare.

CHRISTOPHORUS CUSTODIÆ AB ALBERTO MANDATUR.

WOLFGANGUS CHRISTOPHORI CAUSAM SUSCIPIT.

Commodùm anno insequente Cæsar frequentissima Principum & Ordinum Imperij Comitia Ratisbonæ habuit. Eò profectus Wolfgangus, 8. Idus Julij, ad dicendam fratris causam admissus, tam appositâ ad ciendam miserationem oratione, in conventu, Friderico Cæsare audiente, disseruit, ut Albertus, qui ipse aderat, invidiam, quâ se publicè traductum sensit, Principum ora oculósque, quibus palàm defigebatur, ferre non sustinens, Monachium se receperit, sumpto obtentu, quòd Sigismundi fratris adversa valetudo festinatam profectionem urgeret. Ea vis fuit dicentis fratris afflicti in fratrem, pro fratre longè afflictiore; cùm non causâ modò (ita scripsit Ratisbonâ Joan. Ant. Campanus Legati Pontificij familiaris ad Cardinalem Papiensem) sed promissa barba & mutatio vestis, & lacrymarum immodica effusio, pro duobus fratribus, altero captivo,

XXII.

M. CCCC. LXXI.

PERORAT IN RATISBONENSI COMITIO.

altero exule, certarent, ut ingens vulnus Wolfgangi accusatione omnium animis fuerit inflictum. Eapropter Cæsar, Franciscus Senensis Cardinalis Legatus Pontificius, & Imperij Principes suo omnium nomine, confestim gravissimam legationem ad Albertum decreverunt. Eâ functi Albertus Saxo, Otho Dux Neofori Comes Palatinus, & Wilhelmus Eistettensis Antistes.

LEGATI, AB ALBERTO DE CHRISTOPHORI REBUS EDOCENTUR.

Hi muniti Cæsaris mandatis & totius Imperij majestate, pro Christophoro id saltem sine morâ impetraturi ab Alberto credebantur, cum ut ad causam dicendam Imperatori Imperióque sisterent: sed enim, præter expectationem, incurrêre in sapientiam & facundiam, quantam causæ gravitas postulabat. Auditi fuerunt ab Alberto benevolè & reverenter: sed ubi ille facti sui rationes cœpit explicare, eos excitavit animorum motus, ut damnatâ, quam attulerant, sententiâ, ad Cæsarem reversi, professi sint, longè aliam esse facti speciem, quàm ipsi, Comitio jubente, Alberto obiecissent. Cæsar nihilo minùs putavit alterâ Legatione Alberti animum esse explorandum. Id datum negotij delectis ex Senatu Cæsareo & Ludovici Landishutani Consiliarijs rerum usu & eloquentiâ præstantissimis: sed Albertus eâ dicendi gravitate & pondere argumentorum, omnia expostulantum tela excepit, ut nihilo plus consecuti sint facundiâ, quàm priores auctoritate. Cæsar denique ipse Alberto, Prüflingæ sub Ratisbonæ muros, collocutus, adductus est, ut fateretur, Alberti facinus inhumanitatis damnari non posse. Tametsi igitur, ut erat Fridericus quibusdam præjudicijs occupatus, ipsi non omnino fuit satisfactum, stetit tamen res intra verba, quibus nec se passus est Albertus irretiri, neque Christophorum custodiâ liberari. Imperij Principes probè edocti justas facti rationes, nihil ultrà judicârunt esse movendum. Unus Otho Dux Neoforus, suo in Christophorum affectui prolixiùs indulsit. Consilium erat, inopinatâ irruptione, mœnibus superatis, Monachium invadere, & citra hostile facinus, ad Christophorum penetrare, solutúmque libertati reddere. Adductis ergo derepentè centum equitibus, Otho fossam Monacensem sternit extemporali ponticulo: molitur transitum, facilè in muri fastigium evasurus, si prima successissent. Verùm dum sublicas ad trajectum componit, Olores in vivario proximo stabulantes (corvos & monedulas nominat Arenbeckius) strepitu excitati (quod olim anseres Gallis in Capitolium nitentibus fecerant) velut sentirent insidias, voce sonorâ, excubias officij admonuerunt, qui mox exciti ad arma, Othonem ab incœpto depulerunt. Quare cùm neque vis neque judiciorum ratio quicquam effecissent, exorari debuit ab Abberto fratris captivi libertas.

XXIII. ALTERA AD ALBERTUM LEGATIO. CÆSARIS CŨ ALBERTO COLLOQUIŨ. M. CCCC. LXXII. OTHO DUX NEOFORENSIS FRUSTRA TENTAT CHRISTOPHORUM CUSTODIA LIBERARE. CHRISTOPHORUS AB ALBERTO REDDITUR LIBERTATI.

XXIV. *Arenbeck.*

Eam ad rem convenêre cognati Principes Ratisbonæ, in quibus etiam Comites Rheni Palatini, excepto Friderico, cui cum Othone Neoforensi non satis conveniebat. Post congressus aliquot, ipsis D. Michaëlis ferijs, fratrum amicitia visa est redintegrata, Christophoro in libertatem, Alberto volente, restituto. Ut assentiretur, sex & triginta præcipui nominis sponsores suam illi fidem pro Christophoro obligârunt, quod testantur membranæ totidem signis firmatæ. Ita Christophorus publico redditus, id saltem octodecim mensium (novendecim alij numerant & tres hebdomades) captivitate est assecutus, ut Landspergam & Weilheimium urbes, cum Palâ arce, usuariæ attributionis vice, ad decennium haberet vectigales. Bonum omnino factum, nisi ille ad ingenium relapsus, postea sæpius pactam concordiam abrupisset, quod in tempore memorabitur.

FUNDATIO INGOLSTADIENSIS ACADEMIÆ. *Ioan. Steind. Valentin. Rotmar. Ann. Ingolstad. Iacob. Grets. in Episc. Eystad. in append. de Anreato.*

Cæterùm hunc annum nobilitârunt primordia Ingolstadiensis Academiæ. Præclarissimum id opus est Ludovici Divitis Landishutani, cui res bello fortiter gestæ, partæ de hoste victoriæ, famosa opulentia, minùs contulêre ad perennis gloriæ monimentum, quàm præstantissimum istud scientiarum emporium, & celeberrima palæstra, mentis ad omnem divinarum juxtà ac humanarum litterarum laudem exercendæ. Idem Princeps hoc anno Margaritam filiam, omnibus naturæ ornamentis regiè excultam, Philippo Comiti Palatino Boiariæ Duci despon-

NUPTIÆ MARGARITÆ LANDISHUTANÆ PHILIPPO COMITI PALATINO DESPONSÆ.

spondit. In ejus dotem, præter ordinem, exegerat à subditis æris collatitij vim aliquam, cujus pars ex Ecclesiarum proventibus erat collecta: verùm mox ut à Salisburgensi Archipræsule & Diœcesanis Antistitibus fuit monitus, id esse præter jus fásque factum, sic ipsis satisfecit, ut nihil esset, quod ultrà quererentur. Sub ejusdem anni initium novus dirissimi sideris aspectus stellæ crinitæ imaginem referens, mortales passim terruit. Fuit prænuntius ingentis pestilitatis, quæ funera propè sine numero transmisit Libitinæ. Malum aliud prohibuit Fridericus Palatinus mense Novembri. Ex arce Dissaviensi ad sylvam Herciniam, quâ parte ad Bohemos porrigitur, prædones Bavariæ vicina rapinis infestabant. Fridericus arcem obsedit, expugnatam solo æquavit, infame hominum genus concîdit, eorúmque antesignanum captivum Ambergam abduxit. *Arenbeck.* COMETA CRINITUS. *Tritheim. in Chron. Sponh.* FRIDERICUS PALATINUS BOHEMOS PRÆDONES E BOICÆ FINIBUS ELIMINAT.

Albertus Sapiens interea fratri conciliatus, pacis dulcedine fruebatur. Utrumque Badenæ Cæsari Friderico adfuisse honoris causâ Brunnerus habet pro comperto. Albertum eidem Treviros proficiscenti comitem fuisse, & inter primæ admissionis Principes habitum, annales memorant. Arenbeckius minuta quæque persequitur ejus pompæ, quam Carolus Audax Burgundiæ Dux Friderico exhibuit fastu planè regio. Treviros appulit Fridericus 4. cal. Octobris. Habuit in comitatu Adolfum Moguntinum Imperij Septemvirum, magnum numerum Germaniæ Principum. Carolus Burgundio rebus per Pontificios à latere Legatos in Belgio compositis, eodem concessit jam diu avidus cum Cæsare congrediendi; quòd speraret, se ab eo priscos regni Burgundici titulos impetraturum. In eo congressu filiam suam Mariam, Maximiliano Cæsaris filio despondit, distulit tamen nuptias, ratus, se eâ cunctatione regni insignia à Cæsare expressurum. Id si fieret, ac simul Imperij Vicarius crearetur, pollicebatur, se omnia, quæ ab alijs Imperio erant detracta, armis recuperaturum. Hæc cùm Cæsar citra Septemvirûm Imperij Principum, atque Ordinum consilium non debere concedi censeret, dilato responso in Ubios abijt, ab Agrippinensibus magno cum honore exceptus. Jactatus fuit omnium ore & chartis Caroli magnificentissimus apparatus: Ornatum videlicet Maximini templum cultu invidendo, parietes aulæis præstantissimis splendidi, Altare auro, argento, gemmis, Apostolorum duodenûm, D. Georgij, D. Barbaræ statuis affabre factis collucens, Monasterij cœnationes sic instructæ, ut omnem cujusvis Monarchæ, ipsius adeò Cæsaris splendorem superaret. Albertus Sapiens inter primos assedit epulo, quod Carolus Cæsari isthic loci exhibuit. Quæ fuit istius ævi frugalitas, prodigij loco habitum, quòd fercula triginta sex (nonnemo quadraginta duo numerat) mensis illata fuerint, quod nostro ævo mediocritatem non crederetur excedere: sic crevit hodie luxus, & sumptuum magnitudo. M. CCCC. LXXIII. CONGRESSUS FRIDERICI CÆSARIS CŪ CAROLO AUDACE BURGUNDO TREVIRIS. XXV. *Arenbeck. Rom. Fugger. opus Honorar.* LUXUS CAROLI. XXVI. *Arenbeck.*

Proximo anno ipsis Liberalibus, Philippus Palatinus Rheni Comes sacra nuptiarum celebravit Ambergæ cum Margarita Boica, Ludovici Landishutani filiâ, frequentissimo Principum conventu. Quò minùs ipse Cæsar interesset, prohibuit grave odium, quo Cæsar Fridericum Philippi patruum prosequebatur. Odij causæ, quòd Fridericus Comes, Palatinatum à fratris obitu cum absolutâ potestate administraret, neglectâ beneficiariæ clientelæ debitâ professione, ne compellato quidem Cæsare. Accusabatur etiam immoderati in subjectos dominatûs: quòd ex Ambergensi Senatu duodecim, qui in ejus verba jurare detrectârant, capite plecti jusserat. Quas ob res, hoc ipso anno in frequenti Procerum Comitio, Cæsar eum Imperij diris devotum proscripsit. M. CCCC. LXXIV. MARGARITA BOICA LANDISHUTANA NUBIT PHILIPPO RHENI PALATINO COMITI.

Locatâ tam illustri matrimonio unicâ filiâ, reliquum erat, ut Ludovicus Georgio unico item filio sponsam pari generis & virtutum laude præstantem quæreret. Eâ gratiâ Henricum Ratisbonensem Episcopum legatum misit ad Casimirum Regem Poloniæ, qui Hedwigem regiam filiam in conjugem filio peteret. Perfunctus est Episcopus suâ legatione anno vertente, ac demum Rege, Reginâ, & Hedwige assentientibus, confectis de more futuri connubij tabulis, in Boicam redijt. *Pauholtz. in paralip. p. 157.*

M. CCCC. LXXV. Nuptiæ Georgii Ducis Landishutani cum Hedwige Poloniæ Principe.

Anno inſequente, apparatu, quo nullum Bavaria magnificentiorem viderat, habita fuit connubialis ſolennitas. Eam cohoneſtârunt Fridericus Cæſar & Maximilianus Filius: Sigiſmundus Auſtrius, Albertus Brandeburgicus cum Friderico F. & conjuge: Philippus Palatinus Ludovici Gener, cum uxore Margarita: Albertus, Chriſtophorus Duces Monacenſes: Otho Palatinus, ejus germanus Joannes: Ulricus Wirtenbergicus, & Eberhardus filius: Ladislaus Hedwigis ſponſæ frater, Eberhardus Badenſis, fœminæ Principes quàm multæ, Gynæceum conſertiſſimum. Adducti in comitatu optimi ſanguinis Comites ſupra quadraginta. Ex ſacro Ordine adfuere Bernardus Salisburgenſis Archiepiſcopus, Bambergenſis, Friſingenſis, Eiſtadianus, Paſſavienſis, Auguſtanus Antiſtites:

XXVII. per legatos pompam decorârunt Rex Bohemiæ, Dux Fridericus Elector Palatinus, Erneſtus Saxo Septemvir & Albertus ejus Frater: Epiſcopus Herbipolenſis, Eberhardus ſenior Wirtenbergicus: ſupremus Ordinis Teutonici magiſter: octo civitates Imperij. Ingens præterea confluxit Baronum & Equeſtris ordinis multitudo. Equorum numerus (unde hominum frequentiam æſtimes) novies mille ducenti ſexaginta.

Cadan. vol. 6. rerum Polonic.

Hedwigem Caſimirus parens unà cum Reginâ matre Poſnaniam uſque deduxêre. Inde commendatam Caliſſienſi & Lenezicienſi Palatinis, cum nobiliſſimo ſeptingentorum, quà virorum, quà matronarum ac virginum comitatu, dimiſêre in Boiariam. Advenienti non modò ſponſus cum amicis Principibus, verùm etiam Fridericus Imperator cum ingenti equitatu prodiêre obvjam.

Ex ante diem VI. cal. Decembres, auguſtiſſima nuptiarum pompa è Ducis Regiâ ad D. Martini templum proceſſit. Secundum rem divinam & regias epulas, ductæ choreæ. Suus etiam dies equeſtribus decurſionibus datus eſt. In his palmam

Certamen equestre.

tulêre Dux Chriſtophorus Alberti frater & Graveneckius. Lublinenſis Dynaſta, ſponſam honoris causâ ex Poloniâ ſecutus, vaſto & mirè robuſto corpore, Germanicæ nobilitatis palæſtras & certamina ridebat velut puerorum ludicra, auſus quemcumque ex omni equeſtri ordine, vel etiam fortiſſimum Principem aut Dynaſtam ad ſingularem conflictum provocare, & velle facere experimentum, utra gens majores ad bella vires et peritiorem dextram adferret. Pactus mille aureos illi, qui victor evaderet. Magno illi ſtetit iſta jactantia. Nemo erat ex juventute Germanicâ, qui ſemigigantæam corporis molem hominis nunquam antè viſi expendens, ſine horrore de pugnâ cogitaret. Iraſcebantur tamen omnes probroſæ provocationi. Ipſe Cæſar ægrè ferebat Germanici nominis deſpicatum. Ejus voce, cæteræque Nobilitatis indignatione excitatus Dux

Christophori Victoria.

Chriſtophorus, intrepidè certaminis conditionem accepit. Lætis eâ re Germanis, ad condictam diem proditur in arenam. Comprerat Chriſtophorus, antagoniſtam ſibi nonnihil diffidentem, contra leges Agonales arte ſibi caviſſe, ne quâ vi poſſet in terram excuti. Corpus enim ſubjectis loris ephippio adſtrinxerat. Cùm primùm adfuit, Chriſtophorus, ut erat cataphractus, agiliter equo deſilit, idémque mox à Lublinio exigit, velut pugnæ præludium. At ille tergiverſari, detrectare deſultum, excuſare molem corporis, citare leges conditionemque certaminis, riſum movere ſpectatoribus; Chriſtophorus magis magiſque urgere. Tandem Lublinius, cùm fraudem diutiùs ſine majore ignominiâ non poſſet tegere, lora jubet præſecari, ſéque ex equo deponi. Hîc effuſus omnium cachinnus hominem ſubſannantium. Chriſtophorus, ſat præluſum inquiens, facili ſaltu, ſe rurſus librat in equum, jubétque Lublinenſem hoc ipſum imitari. Hic ægrè à pluribus in equum repoſitus, velle nihilo ſeciùs delere acceptum dedecus. Signo concurrendi ex lege dato, in hippodromo haſtis concurritur eò majore vi, quò majus utrique robur & vincendi cupiditas. Chriſtophorus adverſarij lanceam illæſus & equo fixus excipiens, ſuam tantâ dexteritate in Lublinij pectus impingit, ut ille in longum ſpatium effuſus, porrectúſque in arenam, venis impetu ruptis, ſanguinem vomeret. Vitam protraxit duntaxat ad triduum, nactus moram ſeſe ad ſuprema comparandi, incuſandi ſuam teme-

temeritatem, ac quiritandi, sibi cum vi humanâ majore certamen fuisse, & Christophoro ictum fulminanti, vel à Superis vel ab inferis manum robúrq; fuisse commodatum. Christophorus, quò nobilius theatrum, hominum conspectus celebrior, & hostis formidabilior, eò gloriosior ex duello salvus redijt, omnibus Ordinibus, ipso Cæsare vindicem Germanici nominis & juventutis Principem faustâ acclamatione prosequentibus. Profuisset misero Lublinio antè novisse antagonistæ vires. Penè supra hujus ævi fidem est, quantæ Christophoro fuerint. Visitur hodiéque in Regiæ Monacensis propylæo silex trecentarum sexaginta quatuor librarum, quem ille sublatum facilè jactabat ad multos passus: fixi sunt in pariete clavi ternis in altum porrecti intervallis, quibus ostenditur quousque Christophorus se soleret saltu in aëra librare: qui infimus est, signat altitudinem pedum sesquioctonûm, qui medius, sesquinovenûm, qui summus, duodenûm; quæ erat meta Christophori. Certum est, inter discobolos neminem in Boicâ id temporis repertum robustiorem, inter subsultores nullum agiliorem. Interim tales id temporis, virorum fortium, ludi specie, in catadromo, ad vires ostentandas erant exercitationes, privatim vix unquam utiles, sæpe publico noxiæ, quòd homines saluti communi natos, haud raró tollerent. Cæteroqui feriæ nuptiales tenuêre dies quatuordecim. Christophorus Dux subinde Matthiæ Corvini Ungariæ Regis castra secutus, fidei ac fortitudinis laudem tulit. Rex ejus operâ maximis in rebus libenter usus est: non fuit tamen usura diuturna. Nam cùm primùm ille in Cæsarem arma verterat, Christophorus id bellum aversatus, honestam nactus missionem, domum revertit.

Christophorus Matthiæ Ungariæ Regi militat.

M. CCCC. LXXVI.

Præcesserat luctus Domûs Palatinæ, ex funere Friderici I. cognomento Victoris, qui tutor primò Philippi, deinde, illo adoptato, Elector factus, vitam cælibem finijt anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto. Princeps bello fortunatus, clarus varijs triumphis, unde illi Victoriosi nomen. Trithemius, qui ejus mortem, contra aliorum fidem, refert ad anni septuagesimi septimi diem duodecimum mensis Decembris; eum magnis effert honorum titulis, quibus conatur Cæsaream proscriptionem oblitterare: deprædicat, Religiosorum, qui sui instituti essent observantes, fuisse singularem promotorem, defensorem pauperum integerrimum, Ecclesiarum advocatum.

XXX. M. CCCC. LXXVII.

Venæ metallicæ parcæ in Boica.

Sub hæc tempora argenti venæ, in Werdenfeldensianis Boicæ montibus, detectæ, spem ingentis quæstûs faciebant: sed res fuit spe longè minor. Vix paulùm penetrârant fossores, cùm metallici generis terra disparuit. Id tribuêre viri, plus æquo religiosi, discordiæ, quòd Albertus Sapiens & Frisingensis Antistes, de jure fodinæ disceptarent: veriùs tribuissent parcitati naturæ, quæ & tum & hodie in re metallariâ Boicæ se novercam ostendit. Neque enim illi rarum est, alijs quoque in regionibus, ut subinde ramenta pretiosioris metalli ostentet, uti reipsa adhuc facit in Boicâ, sed pauca, & venâ inope, quæ vix bene aperta exhauritur & exarescit.

Terror a Turcis.

Interea loci panicus timor omnem Boicam invasit. Fama passim vulgaverat, Turcam in Stiriam irrupisse. Eam ob rem vallis Athesinæ incolæ solliciti fuerunt sua convasare, cum uxoribus ac liberis certatim in Bavariam, Ardingam usque, profugere, metúmque propagare. Salisburgensis Pontifex territus confugit ad Ludovici Landishutani auxilia, quæ mox fuere in promptu, succurrentibus simul Guilielmo Eistadiano & Sixto Frisingensi Episcopis, Augustanâ præterea urbe & Norimbergensi. Quia verò commune periculum vertebatur, communi consilio conventum ad D. Michaëlis, Landishutum Principes indixere. Illuc, præter jam nominatos, venêre Otho Neoforensis Comes Palatinus: Albertus Sapiens Dux primæ Boicæ, Henricus Ratisbonensis, Georgius Chiemensis Antistites, ut de Christiani nominis hoste capitali, à Boicæ visceribus prohibendo, agerent. Omnium hæc fuit sententia, ut Comitij legati ad Fridericum Imperatorem mitterentur, qui eum de publico Germaniæ discrimine admonerent. Princeps legationis fuit Bernardus Archiepiscopus Salisbur-

XXXI. *Hund. Metrop. in Bernard.*

burgensis, cujus tum maximè causa agebatur. De auxilijs in Turcas nihil à Cæsare impetravit; sed suæ operæ malum pretium tulit, ut à Friderico, ad transscribendum Archiepiscopatum Joanni Strigoniensi Archiepiscopo, Uratislaviâ oriundo, homini sacerdotiorum immodico, quà vi, quà minis, aliisque artibus cogeretur, haud mediocri nobilissimæ istius Ecclesiæ detrimento.

M. CCCC. LXXIX. Ludovici Landishutani obitus. *Arenbeck, p. 302.*

Ludovicus Dives Dux Boicæ Landishutanus, ejusce negotij exitum non vidit, fato prohibitus. In vivis esse desijt, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, decimâ septimâ Januarij, horâ octavâ post meridiem, Landishuti, Sacramentis Ecclesiæ ritè procuratus, Princeps magnanimus, felix, prudens, pacificus, litteratorum Mecœnas, & Christianæ religionis apprimè studiosus. Illatus est Ducum Mausolæo in cœnobio vallis Felicis. Eodem loci justis funebribus illi parentatum vicesimâ die Aprilis. Ivêre exequias Georgius filius, Philippus Septemvir Palatinus defuncti gener: Bernardus Salisburgensis Archiepiscopus: Albertus, Christophorus, & Wolfgangus fratres Duces Bavariæ; Otho Comes Palatinus Dux Boicæ Neoforensis, nuper ex Ungariâ cum Christophoro reversus: Episcopi Wilhelmus Eistettensis, Joannes Augustanus, Sixtus Frisingensis, Udalricus Passaviensis, Henricus Ratisbonensis, Georgius Chiemensis, octodecim Abbates mitrati: Clerus innumerus. Bini Academiæ Ingolstadiensis Doctores: ex singulis Boicæ secundæ urbibus legati, maxima mortalium frequentia. Singulos cereos more solenni ad aram obtulerunt Amelia Ludovici vidua, Hedwigis uxor Ducis Georgij, in quibus defixi erant trecenti Rhenenses aurei. Vexillum ad altare detulit equestris ordinis Antesignanus; alius clypeum: Joannes Veronensis Scaliger galeam cum suis ornamentis. Nobiles quatuordecim duxêre septem præstanti formâ Principis caballos.

Novæ tribunalium leges. XXXII.

Georgius statim à morte patris, Provinciâ, quæ jam antè in ejus verba juràrat, susceptâ, omnia juris dicundi tribunalia novis legibus instauravit, proposito capitis supplicio, si quis Judicum, dona, xenia, munera, judiciique corruptelas admitteret: Rudolpho Albergero ab epistolis & rei tabulariæ Præfecturâ amoto, Fridericum Maurkirchium sufficit.

Pax Venetorum cum Turca.

Inter hæc Fridericus Imperator, acceptis à Venetorum Duce litteris, quibus de Reipublicæ pace cum Turcis initâ, fiebat certior, vehementer commotus, Imperij Principes & ordines jussit suis quosque in circulis (ut vocant) convenire, déque impendenti Germaniæ discrimine consilia capere. Boiarici Orbis Principes, Comitia habuere Frisingæ. Interfuere plerique Episcopi: Albertus & Georgius Boiorum Duces misere legatos. Pro Cæsare adfuere Schaffridus Dynasta Laimingensis & Christophorus Arindorfius. In primo consessu, exemplar initi à Venetis cum Turcâ fœderis perlectum, magnas curas metúmque injecit; quòd ista pax vertere in exitium Romani Imperij videretur. Sine hâc fuisset longè minùs operosum hostis potentissimi vires distinere bello Veneto, adeóque arcere à Germaniâ; cùm deinceps ipsi foret integrum, copias universas in Pannoniam, Austriam, Croatiam, Stiriam, Carinthiam, tandémque in Imperij Romani viscera convertere.

Querebantur Veneti se à Principibus Europæis desertos, in eam demum necessitatem devenisse, ut suis ipsi rebus prospicerent. Juvabit ipsissima litterarum verba oculis subijcere, quæ fuerunt hujusmodi:

Litteræ Ducis Venetiarum. XXXIII.

Illustris ac Excelse frater noster charissime. Sextus decimus annus agitur, ex quo voluntarium bellum suscepimus cum potentissimo Principe Turcorum, eâ solâ causâ & ratione, ut incitatum cursum ejus in ruinam fidei & religionis Christianæ sisteremus, & à multorum cervicibus, quibus imminebat, vires illius divertimus, ad proprijque status revocavimus tutamentum. Et quamvis pluries de pace requisiti fuerimus, illam tamen renuimus. Quia periculosam fore multis populis & Principibus Christianis arbitrabamur, communem salutem propriæ præponentes, hâc præcipuè innixi spe, ut summus Pontifex & reliqui Christiani Principes, qui per pacem & rerum suarum otium,

otium potuissent, rem Christianam deserturi non essent. Sed longè secùs evénit, quàm ratio fidei & pietatis suadere videbatur. Quoniam post diuturnos labores, post incredibilem impensarum magnitudinem, post cædem magni numeri nobilium & charissimorum civium nostrorum, post magnas acceptas clades & in statu nostro non vulgare detrimentum, frustrati ad extremum sumus, & non solùm de omni dejecti spe auxilij à capite & summo Christianorum Principe consequendi; sed per injuriam copijs nostris illatam, ad novum in Italiâ bellum provocati & impulsi, coacti tandem fuimus rebus consulere nostris & bellum cum Turcâ componere: pacem igitur iterum nobis oblatam secum inivimus. Ne urgente hinc potentissimo hoste, & quorum maximè intererat pacare Italiam, ipsam turbantibus & omnia pro libidine pervertere conantibus, res nostra & sociorum nostrorum & deinceps universa res Christiana in majus prolaberetur discrimen. Hæc excelsæ Dominationi vestræ declaranda censuimus, ut consilia nostra & causas tam belli, quod sponte nostrâ piè & religiosè adversus hostem suscepimus, diúque pertinaciter gessimus, quàm pacis, quam inire per impiam & inhumanam nobis injectam necessitatem coacti fuimus, Illustris Dominatio vestra intelligat, ab quâ nihil alienum esse potest, quod ad nos per amorem & benevolentiam in se nostram, aut ad rem Christianam per propriam pietatem & religionem aliquo modo pertineat. Data in nostro Ducali Palatio die 25. mensis Februarij, indictione XII. Anno M. CCCC. LXXIX.

His perlectis, Legati Cæsaris clades à Turcis acceptas prolixiùs explicârunt, & immania terrarum Orbis Christiani & hominum detrimenta, simul opem Principum Cæsaris nomine implorârunt. Tum aliquammultis diebus in commune deliberatum, qui modus foret, obsistendi hosti immanissimo: demum lecti à Boicis Ordinibus viri Nobiles, qui Cæsari Procerum sententiam coràm referrent. Ejusce duo erant præcipuè capita. Primum, ut consulto priùs Rege Pannoniæ, eóque assentiente, Ungariæ postremi fines aliquot Germanorum millibus commendarentur: secundò, Id si Cæsari aut Regi non videretur, Cæsar Imperij Comitia indiceret, ipséque adesset, id acturus potissimùm, ut, quæ anno septuagesimo secundo, de bello Turcico omnium Imperij Ordinum assensu, fuerant constituta Ratisbonæ, novo mandato pœnisque sanciret in eos, qui imperata subsidia essent negaturi. Prius consilium Cæsar non probavit. Posterius est amplexus, jussitque Imperij Ordines ad diem SS. Trinitatis Norimbergæ adesse. Conventum aliquantò seriùs. Imperator demum misso ad 3. cal. Octobris Legato, non comparuit. Advenerat etiam à Summo Pontifice Orator. Grandis Comitiorum expectatio, consultationes & salutaria judicia, fructus nullus: verbo, Atheniensium more, proposita optima fortissimáque consilia, sed quæ nemo exequeretur, grassante interim hoste in viscera miserorum Christianorum.

XXXIV.

Joan. Steindel. Arenb. p. 305.

COMITIA BOICA DE BELLO TURCICO.

COMITIA NORIMBERGENSIA FRUSTRANEA.

Anno octogesimo, Georgius Dux secundæ Boicæ, cum nobilissimo comitatu ad Cæsarem profectus, Provinciam clientelari fide recepit. Euntem secuti sunt Sigismundus Schaumbergius, Albertus Hohenloüs, Ludovicus & Wolfgangus Oetingenses, Sebastianus Ortenburgicus, Philippus Kirchbergius, Joannes Scaliger Comites, & qui è Nobilitate præcipui, Nicolaus Abenspergius, Haideckius, Fraunbergicus & Degenbergius: Præter hos, ex equestri ordine duodecim, & turma prætoriana instructa nobiliter. His stipatus, eques ingressus est Viennam. Postridie quàm appulerat, Christophorus Dux Monacensis cum insigni comitatu eodem advénit, utrumque Cæsar excepit honorificè. Primi dies octo dati fuerunt oblectamentis. In Certamine equestri primas tulit Christophorus Liechtenstainius donatus purpurâ, secundas Dux Christophorus donatus arcu victoris insigni, tertias Breuschenkius gladio remuneratus.

M. CCCC. LXXX.

GEORGIUS LANDISHUTANUS VIENNAM AD CÆSAREM PROFECTUS.

XXXV.

BOICAM FIDUCIARIO RITU ACCIPIT.

Denique Imperator excitato, ad Prætorium, in foro publico subdiali solio, more majorum, in magnâ nobilissimâque Principum, Comitum, aliorum Procerum, cæteríque Ordinis ac populi frequentiâ, Georgio Duci secundam Boiariam fiduciario jure ritúque concessit. Ultra mensem tertium in Cæsaris obse-

obsequijs permansit Georgius, suámque in reprimendis Turcis, qui id temporis in Cæsaris ditiones incursabant, operam liberaliter obtulit, quâ tamen Cæsar, actis gratijs, tunc putavit non esse utendum, usurus aliàs, si res postularet.

Neque enim hostes alij & bella deerant Friderico. In his Galliæ Rex, cui ægrè faciebant Maximiliani Archiducis cum Mariâ Burgundicâ nuptiæ, quæ Caroli Audacis hæreditatem Domui Austriacæ erant asserturæ: præter hunc, hostilia movebat in Cæsarem, Matthias Rex Pannoniæ: tertius omnium maximè formidandus Princeps Turcarum.

Quamobrem Fridericus omne Christianum nomen in hunc postremum cogitabat excitare: in Comitijs Imperij, quæ rursus Norimbergæ per Hugonem Dynastam Werdenbergicum indixerat, ubi eâdem operâ, de paciscendâ cum Galliæ & Ungariæ Regibus quiete ageretur. Cœtum frequentârunt Hermannus

XXXVI. Coloniensis, Philippus Palatinus, Albertus Saxo, Albertus Brandenburgicus Septemviri, Georgius & Otho Comites Palatini Boicæ Duces, Udalricus Wirtenbergicus, Pontifices Philippus Bambergensis, Guilielmus Eistadianus, Sixtus Frisingensis, Joannes Augustanus: denique etiam Nemetum Antistes. Missi ex Comitio in Franciam & Pannoniam oratores, qui Regem utrumque Cæsari conciliarent: utrique irriti ad Comitium rediêre, nec compositis Regibus, nec pace impetratâ. Nihilo plus contra Ottomanicos, rebus licèt in pejus indies labentibus, decerni potuit, tametsi Principes omnes sat liberaliter auxilia pollicerentur, ita tamen ut ijs adversus Ungariæ Regem uti non liceret, quo sine nihil in Turcam erant profectura.

Sine fructu.

Albertus studet religiosorum moribus reformandis.

Albertus Sapiens Boiariæ Dux, ratus à propitio Numine privatis publicisque negotijs subsidia quæri oportere, initium fecit à Domo Dei. Quapropter collapsam in Religiosis Domibus, temporum & morum malignitate disciplinam, constituit erigere ad pristinam sanctitatem. Eâ de re Sixtum IV. summum Pontificem appellatum permovit, ut sacros censores daret, qui quæstione de Ascetarum vivendi ratione habitâ, Cœnobia ad vetus institutum reducerent. Conradus Ovibutyrius Præsul Tegerseensis ei negotio à sede Pontificiâ hoc anno præfectus, 4. Idus Octobris, ex urbis Monacensis D. Francisci Monasterio, proscripsit sodales protervè ejus inspectionem & spem melioris frugis aspernantes, observantioribus in eorum locum suffectis.

Proscripti refractarii.

XXXVII. M. CCCC. LXXXI.

Anno proximo Sixtus Frisingensis Episcopus, auctore Pontifice Maximo, & postulante Alberto Augustinianæ Religionis domicilium aggressus, cum nova coloniâ antiquam pietatem induxit; alijs, qui omnes primævum institutum aversabantur, triduo antè aliò dilapsis. Pari solicitudine Virginum Parthenonibus in meliorem formam redactis, proprius religionis nitor subsequentibus annis fuit restitutus. Bruelense etiam Cœnobium mutatis colonis, Cartusianos accepit.

Cartusiani Bruelense monasterium accipiunt.

M. CCCC. LXXXII.

Gliscentibus interea maioribus indies, inter Fridericum Cæsarem & Matthiam Pannonum Regem discordijs, bellum parabatur. Hic legatos misit in Boicam petentes, ne armis cum Cæsare sociatis, Principes quicquam molirentur in Hungaros Austriacis regionibus inhiantes. Quâ super re, post prima Ciner alia, à Boiariæ Ordinibus, Frisingæ deliberatum decretúmque, ne quis, absque Romani Pontificis authoritate, qui omni ope contendebat, ut omissis Principum Christianorum diffidijs, vis universa in Turcas verteretur; milite, armis, pecuniâ Cæsari ferret suppetias adversus Matthiam, quemadmodum ante biennium, Norimbergæ in totius Imperij comitijs fuerat constitutum.

Bellum Pannonicū contra Cæsarem.

Eisdem ferè diebus Joannes Strigoniensis Antistes Cæsaris partiarius, atque hoc ipso Matthiæ Regi in primis odiosus, ex Ungariâ profugus, volente & adjuvante Cæsare, Bernardo (de quo paulò antè diximus) invitis Canonicis, Ordinibúsque provinciæ cedente, Salisburgensem sedem occupavit anni hujus Regalibus. Quæ res quidem Boiorum animos vehementer offendit, sed toleranda ta-

Joannis Strigoniensis Salisburgensem Archiepiscopatum invadit.

da tamen fuit, quia citra Cæsaris indignationem & vim apertam, nequibat prohiberi. Eodem anno rigidissimam hyemis tempestatem, quæ multos mortalium, infantes præsertim puerósque domi, in agris atque itineribus obrigescentes passim extinxit, excepit publica pestilitas, quæ Boicam omnem, Sueviam totámque penè Germaniam sævum in modum afflixit. GRANDIS PESTILITAS. XXXVIII.

Ad hoc malum accessit belli Pannonici incendium, quo Cæsar petitus, ex Austriâ, avectis liberis rebúsque charissimis, Græcium se recepit, ablegatis in Boicam & Palatinatum oratoribus, qui omnes Boiariæ gentis Principes Austriaco nomini conciliarent. Idem hoc anno Cunegundem filiam, cum honestissimo comitatu, misit Oenipontum, ubi Sigismundi Austrij curæ commendata degit, donec illam Albertus Boius nuptum accepit. Nihil habet iste annus in Boicâ memorabile præter ludos & equestria certamina, authore Georgio Duce Landishutano agitata, dum Albertus castigandis subjectorum moribus sedulò invigilaret. Quam ad rem à Sixto Pont. Max. concessa fuit omnibus, qui se præstarent idoneos, delictorum omnium condonatio per dies Esuriales omnino quatuordecim. Idem Tertiarias Monachij in Pytrichiano contubernio solutiùs agentes, domo & urbe volebat ejectas, sed Frisingensis Episcopus persuasit, ut eas meliora pollicitas, in statione pristinâ sineret Deo suæque saluti vacare, & morituriențibus, si usus in urbe foret, piè adesse, unde nomen & Monacense institutum mulierum, quæ extremè laborantibus famulantes animarum sanctimoniales appellantur. M. CCCC. LXXXIII. M. CCCC. LXXXIV. TERTIARIÆ PYTRICHIANÆ REDIGUNTUR IN ORDINEM MONACHII.

Quò verò sanctiùs & sine ullius injuria, causæ ad sacrum ordinem spectantes tractarentur, Albertus impetravit à Summo Pontifice, sibi ut liceret Monachij penes se habere, ex Ratisbonensi, Augustano & Frisingensi Principum ædium Collegijs, aliquot eruditione jurisque scientiâ præstantes Canonicos, quorum consilio, in rebus præsertim sacris, uteretur, cum eâ tamen prærogativâ, ut, tametsi à suis Ecclesijs abessent, sacerdotiorum proventibus & sportulis, instar præsentium fruerentur. Ratisbonenses Principi, post varias disceptationes dedêre manus. Frisingenses peruicerunt, isto ut onere levarentur. XXXIX.

Bellum inter Albertum & Christophorum germanos fratres Bavariæ Duces, anno octogesimo quinto recruduit. Decennium, quo Christophori in Landspergenses usuarius dominatus fuerat definitus, alterum jam annum excesserat. Fruebatur tamen attributâ Principatûs portione, Alberto non invito, cui quies & salus publica longè erat potior novâ herciscundæ familiæ altercatione. Atqui Christophorus more militari ad rem attentus, hoc est vivens in diem, census annuos quotidianâ profusione longè superabat. Increverant æris alieni grandia nomina, jámque Landspergenses sumptibus & diluendis debitis impares, apud Albertum graviter expostulabant, de suis fortunis actum, si diutiùs talis Domini intolerabili iugo insanáque impendiorum mole premerentur. Ergo obsecrabant, ne alioqui perituros Albertus desereret, offerebant fidem & omne obsequium, si pro eo ac jure poterat, miseros assereret in communem sortem reliqui Principatûs. Verebatur quidem Albertus irritare crabrones, & Christophori sopitas iras provocare. Atenim difficile erat admodum, debitam patriæ fratríque pietatem tam scitè temperare, ut satisfieret utrique: Iniquum negare jus postulantibus: durum, negligere fraternum amorem. Vicit tamen jus atque necessitas, ne subjectorum causæ deesset. Ut invitâ patriâ fratrem non læderet, consilium de compescendo fratre Nobilitati aperuit, & sic probavit, ut plerique Optimates Christophoro amicitiam obsequiúmque renunciarent. Christophorus de periculo factus certior, copiarum non nihil Augustæ & in Algojâ conduxit, ab amicis propè desertus. Ad Alberti signa venêre quique nobilissimi, quorum nomina legere non erit injucundum Nepotibus, qui hodiéque de eorum stirpe in vivis supersunt. In illis Nicolaus Abenspergius, gentis ultimus, idem ille, qui olim Christophorum è balineo raptum custodiæ mancipaverat. Accessere Georgius Eisenhofenius Præfectus Palatio, Alexander Pappenheimius M. CCCC. LXXXV. LANDSPERGENSIUM QUERIMONIÆ. XL.

Prætorij Magister, Georgius Helfensteinius: Joannes & Udalricus Montfortij juniores, Joannes Weydenius: Bernardus Staufius: Joannes Freudspergius: Georgius Stainius: Joannes Pienzenavius: Erasmus Seibelstorfius; Georgius Gumpenbergius: Gaspar Torius: Wilhelmus Maxelrainius: Burcardus Rorbachius: Degenhardus Offenstetter: Seifridus Fraunbergius: Henricus Granebachius: Georgius Pienzenavius: Joannes Peffenhausius, Albertus Murachius: Georgius Freibergius: Wilhelmus Ahaimius: Wolfgangus Smihenus, Wolfgangus Aschius: Hieronymus Seibelstorfius: Vitus Ingelrainius, Gaspar Helfritus: Wolfgangus Rorbachius: Martinus Randecus: Eustachius Euhungius: Bernardus Seybelstorfius: Fridericus Tanckerswilererus. Georgius Egelhostainius: Henricus Pinavius. Matthæus Wildenwarterus, Joannes Puechpeckius, Erasmus Michelspeckus: Udalricus Sintenhofius: Erasmus Hohenkircherus; Erardus & Henricus Muckentaleri: Sigenhardus Wolzenstorfius: Joannes Waldrassus: Fridericus Hinzenhausius: Sixtus & Jacobus Wielandi: Wolfganghus Leuckoverus: Joachimus Schucklandeckius: Hieronymus Syrenus: Joannes Cappeilus; Stephanus Carpfamerus Schlusselius: Pancratius Eisenpeckus: Georgius Kiznagelius: Petrus Raidius: Marcus Sanacellerus: Leonardus Haslingerus: Wilhelmus Aliaimius. Tantæ nobilitatis operâ Albertus subitarias copias contraxit.

XLI.

LANDSPERGA CHRISTOPHORO ERIPITUR.

Peregrè aberat Christophorus, cùm Albertus justo stipatus equitum peditúmque numero, Landspergam, nullo adhuc firmatam milite, pronâ civium voluntate recepit. Pari facilitate Weilheimium & Palensem arcem redegit in suam potestatem. Rebus sine vi ac sanguineconfectis, domum reversus militem à signis dimisit.

Christophorus, Fratri fortunæque immane quantum iratus, ubi se suis sedibus exclusum comperit, nihil prius habuit, quàm occasioni reponendæ vicis imminere, ne inultus tam indigna pateretur. Dum Monachij confinia cum expeditâ equitum turmâ percurrit, per exploratores cognoscit, Nicolaum Abenspergium, quem unum omnium maximè oderat, sexaginta tribus equitibus stipatum Monachio egressum Abusinam ad arcem properare, Rorbachio & Bognero, qui olim ipsi manus injecerant, comitibus. Hic Christophorus exilire gaudio, objectósque vindictæ capitales hostes exclamare. Albertus lævum quid præsagiens, Abenspergium monuerat, sibi validiore equitum manu prospiceret, caverétque insidias. Id ille infra animi sui magnitudinem & velut formidinis confessionem interpretatus, monita insuper habuit, opima etiam spolia Alberto pollicitus, si quam fors confligendi copiam offerret. Ausus est etiam Thrasonis in modum quærere, mallétne Albertus Fratrem mortuum an vivum videre? vivum vivum reponente Alberto, cum dicto in viam se dedit. Christophorus Cransspergæ apud Oswaldum Schonbihlerum arcis Præfectum raptim & quidem stans epulatus, vindictæ sitim inviso sanguine festinabat extinguere. Retulerant interim speculatores Abenspergium contendere Frisingam. Illuc

And. Brun. in Excub.

XLII.

confestim movens Christophorus, positis pone urbem in luco insidijs, clivum D. Stephano sacrum, unde spatiosus in subjectam planiciem prospectus est, ipse cum Diessero viro nobili conscendens, hostem advenientem advertit. Regressus ad insidias, suos ad fortiter agendum cohortatus, in cuneum dispositos jubet se præeuntem sectari. Tum per mediam Frisingam progressus, ubi se extra portam, quà Monachium iter est, extulit, hostem habuit in conspectu. Agmen ipse ducebat cum Diessero. Præeuntem conspicatus Abenspergius compellare ausus: Unde unde, inquit, Dux Christophore? Tum dato ad conflictum signo, Diesserus in Abenspergium invectus, hominem hastâ equo decutit. Christophorus è diverso cum Rorbachio & Bognero captivitatis suæ ministris collisus, utriusque latus hausit. Abenspergius vitam pactus, Diessero se crediderat, jámque manus dare parabat, cùm Seifridus Fraunbergius pactorum

CHRISTOPHORUS SE ULCISCITUR.

igna-

ignarus, assurgentem confecit. Is fuit trium fortissimorum virorum exitus, læto Christophoro, quòd confuso eorum sanguine diu antè meditatæ ultioni esset unâ die litatum. Eorum funera intuitus: Hoc habent, inquit, & habeant omnes, qui inter fratres seminant discordias. Sociorum nemine desiderato, septenos duntaxat in omni comitatu saucios numeravit. Ex hoste occubuere septem; reliqui præter denos ternos, acceptis vulneribus acie excesserunt. Christophorus eo adhuc vespere Mospurgi divertit. Cum Abenspergio, nobilissima Babonis, triginta duorum filiorum patris, familia extincta est. Cladis acceptæ nuntius Monachium delatus per ephebos aliósque, qui se à cæde proripuerant. Sub mediam noctem sparsus in vulgus, cùm omnia in majus auxisset, in urbe sic trepidatum, ut cives in armis totam noctem egerint, non secus atque si Annibal esset ad portas.

MONACENSIUM TREPIDATIO.

XLIII. Frisingensis Antistes Sixtus, cæsorum cadavera jussit D. Georgij templo inferri. Abenspergius in Cœnobio, quod eius parens apud Abusinos construxerat, sepulchrum & exequias accepit. Ejus opes, castella, oppida ad Albertum Ducem fuere devoluta. Postridie ejusce certaminis, Christophorus Landishutam profectus, Duci Georgio multa de Fratre, plura de cæsis suæ captivitatis triumviris conquestus, scriptis ad plerosque Imperij Principes litteris, patratæ cædis & fortunæ suæ rationes explicuit. Albertus amicos monuit, paratum se Cæsari & universis Imperij Ordinibus suam causam probare. Eò denique res redijt, uti in publico omnium utriusque Boicæ Ordinum Conventu, rerum momenta expenderentur. Præter illos post Paschales ferias Monachij adfuere Joannes Palatinus Rhenanus, summæ Ædis Augustanæ Præpositus, Eberardus Wirtenbergius & Schwarzenbergius, & hic quidem quingentorum equitum comitatu stipatus. Lecti ex omni numero viri sexaginta quatuor, quorum arbitrio controversia finiretur. Jam consederant de causâ cognituri, cùm Albertus diversa Procerum studia dubiúmque judicij eventum considerans, Christophoro persuasit per internuntios, mallet in privatum colloquium venire, ipséque suæ causæ esse patronus, apud Fratrem, quo neminem haberet amiciorem; quàm ambiguis aliorum votis se Domúsque suæ fortunam committere. Hæsit Christophorus, sibine sæpius à Fratre malè habito foret consultum, fidei fraternæ, quod reliquum erat, spei credere; victus tamen constanti Alberti asseveratione, fore ut suæ eum facilitatis non pœniteret, se dedit in fratris congressum. Venientem Albertus humanissimè excepit. Tum orsus de causâ seorsim dicere, ostendit tam sibi gratum esse fratris conspectum, quàm ingratæ fuerint causæ nuperæ contentionis: Donaret frater fratri, patriæ, totiúsque Domûs commodis, recentis expeditionis, quam subjectorum querimoniæ ipsáque necessitas expressisset, severitatem. Si animo temperare velit, in promptu esse rationes accepta rerum damna cum fœnore sarciendi. Non esse cur meliora ab incerto extraneorum arbitrio sibi promittat, quàm à certissimâ fratris amantissimi benevolentiâ, qui nec iratus arma induerit, nec exuerit de charissimo sibi capite optimè merendi voluntatem. Fratrem cogitaret amantem, patrem amaret, nonnullam fratris licentiam sistere conatum. Quicquid tandem argumentorum sit allaturus, ea facilè cessura patriæ charitati, præjudicióque subjectorum, qui arbitri sedeant, quibúsque nihil proclivius, quàm pro se, próque libertate communi dicere sententiam. Et sanè neutri disceptantium fore honestum, alieni eguisse consilij, & ab alijs accepisse leges, quas sibi ipsi dicere potuissent. Si multa querimonijs addicant, addicturos pauciora, quàm sit lubente à fratre accepturus. Peregrinos Principes eò respecturos, unde aura melior potentiórque aspiret, nec tam laboraturos de amicitiâ fraternâ, quàm de suâ. Longè fore in omnem vitam jucundius & verò etiam stabilius, quod frater fratri ultrò concesserit; quàm quod jusserit alienus. Ipsam mutuæ facilitatis recordationem addituram igniculos ad mutuam beneficentiam, ad opem, ad omnia officia fraternæ charitatis. Ne multa; videret Christophorus, satisne fu-

CHRISTOPHORUS SUAM CAUSAM PROBAT PRINCIPIBUS.
Arenbeck.
ALBERTUS AD COMITIA PROVOCAT.
CONVENIUNT ARBITRI.
FRATRUM COLLOQUIU ET CONCORDIA.
XLIV.

ne futurum ſit, quod frater offerat. Illum premi ære alieno, id omne Albertum diſſoluturum de ſuo: ſi priſtini proventus tenuiores viſi ſint, quàm ut Principis honorificis ſumptibus reſpondeant, Albertum, quantum ſatis additurum, atque ultrò jam offerre quaterna in ſingulos annos aureorum millia pecuniæ præſentariæ: Porrò non expedire irato, ut Landſpergenſes recipiat, quos nec
XLV. ſit æquis oculis aſpecturus, nec ſatis fidos fidentéſque habiturus. Eorum loco fore Schongaviam nunquam non Principibus optimè affectam, manſurum Weilheimium, ad Palam additum iri Lechſpergam nexáſque quæſturas. Eæ res & verborum ſuavitas ſic deliniêre generoſum Chriſtophori animum, ut fratris amore & æquitate collaudatâ, ſe in ejus auctoritate futurum ſpoponderit, unáque progreſſus in Comitium, ſupervacuo labore Proceres liberârit, palàm profeſſus, ſibi ab Alberto abundè eſſe ſatisfactum, nec aliud ſupereſſe, quàm ut, quæ jam privatim conveniſſent, in tabulas referrentur.

M. CCCC. LXXXVI.

Causæ Ratisbonensis dissidii.

Pacatis hunc in modum Fratribus, anno ſequenti Alberto ſpontè nata, quæſita veriùs cauſa à Cæſare diſſidendi. Ratisbona olim Boicæ gentis caput, ante trecentos annos Ducum imperio regebatur. Eam Fridericus Ahenobarbus Imp. liberis Imperij urbibus accenſam, Boico Principatui eripuerat. Temporum iniquitate an culpâ Magiſtratus, qui annos abhinc quadraginta rebus præfuerat, quòd imperitè vel profusè Reipub. opes tractaviſſet, civitatis ſimul fidem ærariúmque decoxerat, imparis deinceps publicis oneribus, potentiâ ſic acciſa, ut accipiendo jugo, quàm tuendæ libertati aptior videretur. Miſeram ejus conditionem Albertus Dux ſcitè prudentérque odoratus, credidit adeſſe tempus, jus Boicæ Domûs priſtinum ad veteris inſtituti normam legéſque revocandi. Ne id ſubitò & apertâ molitione fieret, obſtabat vis à Cæſare metuenda & civitas tenax inveteratæ libertatis. Quare viſum ſatius paulatim id agere, ut civitas per ſe manus tenderet, & excuſſas olim leges ſuavémque dominatum hodiernæ inopiæ, quæ quibusvis obſequijs erat gravior, anteferret.

Status civitatis.

Civitati pridem oppignorârant Boij Duces Transdanubianum Suburbium, cui redimendo opus duntaxat erat ære, quo numerato ad antiquam ditionem erat rediturum. In eo repræſentando tam fuit Albertus expeditus, quàm prompta in recipiendo, Reipub. tenuitas. Vindicato ſuburbio, Albertus ſuos creat Magiſtratus, jubétque recuperati ſuburbij jura ſic temperare, ut Ratisbonenſes ceperit faſtidium ſtatûs præſentis, inceſſeritque deſiderium novandæ in melius gubernationis.

XLVI.

Ratisbonensium rationes de Alberto recipiendo

Id erat Alberto in votis. Quare de mutatione deliberantibus, ultrò per fidos adminiſtros obtulit opem atque commoda, quibus allecti, ſponte ſe ſuáque Boicæ poteſtati reddiderunt. Relatæ in tabulas leges pactionis, quibus emolumenta amiſſa reddebantur, addebánturque quamplurima ex Principis liberalitate. Revocabant in memoriam cives antiquum majorum ſplendorem, cùm urbs, Principum ſedes, & princeps Boicæ civitatum antiquáque Ducum Regia, æquo dominatu regeretur. Penſabant opes, quietem priſtinam, quæ defierant in ſplendidam paupertatem: Sub Ducibus cùm agerent, non defuiſſe rem opulentam, nedum nomen inſigne & urbanam majeſtatem. Datos quidem ſpecioſos titulos Imperialis clientelæ, liberæ civitatis; ſed non deſijſſe tamen ſervire imperitiæ Magiſtratuum & iniquitati onerum, quibus ferendis pares ampliùs non eſſent. Feliciores fuiſſe cives, cùm apertis univerſæ Boicæ penuarijs, civitas velut Ducum alumna, innumeris commodis ex eorum domicilio & Aulæ præſentia frueretur: Totius provinciæ opes certatim in civium manus confluxiſſe, annonam vel ultrò importatam, vel ſic laxatam, ut nemini negaretur ejus importandæ facultas. Nihil opus fuiſſe panem poſcere aut Circenſes, quippe qui ſemper affluerent. Id eſſe cogitandum, præſtétne plurium ferre perpetuas exactiones, æmulationes, avaritiam, diſcordias, fidem dubiam, edicta continua, quàm unius imperium ſapiens ac moderatum. Hæc cùm non poſſent refellere, nec repudiare vellent, magno conſenſu conceſſêre in Alberti pote-

potestatem 8. Idus Augusti, & in urbem publicâ pompâ & auctoritate invecto sacramentum dixêre. Tradita eidem arx Thumstauffia cum facultate castri intra urbem condendi & portæ aperiendæ. Rectè ista omnia; si Cæsaris voluntas & Imperij comprobatio accessisset: quibus invitis, Albertus non omnino septennem, & eum quidem inquietem incommodúmque civitatis dominatum obtinuit. Rem exacerbavit, quod sequitur. ALBERTO SACRAMENTŨ DICUNT.

Per idem temporis Georgius Dux Landishutanus Burgoviensem Dynastiam suæ ditionis fecit, hâc occasione. Joannes Werdenbergius Pontifex Augustanus 7. cal. Martias in Francofurtensibus Imperij Comitijs fato concessit. Ille Burgovianam ditionem à Sigismundo Austrio duobus & triginta aureûm millibus (nonnemo scribit triginta sex millia) comparârat jure pignoris, quod eatenus manserat in Augustensis Ecclesiæ potestate. Penes Sigismundum erat potestas redimendi, deerat facultas, ærario bellorum sumptibus exhausto. Cûm ad dictam diem, ineunte sanctiore hebdomadâ, ad Episcopi electionem octo & viginti Canonici, quibus jus erat ferendi suffragij, Augustæ commeassent, simul adfuere gemini competitores, Joannes Rheni Palatinus Boiorum Dux, ejusce Ecclesiæ Præpositus, & Fridericus Zolleranus Decanus Argentinensis, qui gratiâ apud Vindelicos pollebat. Joanni patrocinabantur Georgius, Albertus, Christophorus, Wolfgangus, Otho, Duces Bavariæ. Hi impetratâ ab Augustano Senatu publicæ securitatis tesserâ cum ducentorum octoginta equitatu, urbem pridie Palmarum ingressi, Canonicorum Collegio, per Epistolarum Magistrum disertâ oratione, commemoratis Boicorum Principum in sedem Augustanam beneficijs, Joannem prolixè commendârunt. Postridie Palmarum, venêre ab Imperatore & Imperij Septemviris litteræ ad suffragatores, quibus mitra Friderico Zollerano petebatur. Patres postridie sacram curiam adeuntes collatis inter se competitoribus & patronis, Fridericum Joanni antetulêre. Quæ res Georgium Ducem sic pupugit, ut Collegij totius invidiâ & electi ingratijs, Burgoviæ redimendæ jus à Sigismundo Archiduce impetrârit, & non sine insigni Augustanæ Ecclesiæ detrimento, suo imperio adiecerit, Imperatore inconsulto & offenso. Accessit nova irarum materia. DUX GEORGIUS LANDISHUTANUS BURGOVIENSEM DYNASTIAM PRETIO COMPARAT. ELECTIO NOVI AUGUSTANORUM ANTISTITIS.

Cælebs adhuc egerat Albertus Sapiens, cùm ætatis anno quadragesimo de propagandâ stirpe cœpit cogitare. Placuere deliberanti Cunegundis Austriæ Friderici Cæsaris filiæ præcellentia animi corporísque decora, quibus allectus Matthias Rex Ungariæ, sæpius thori sociam, spe irritus & à Friderico Cæsare repulsus, optârat. Non ignorabat Albertus, eundem sibi, ob recuperatam Ratisbonam offensum, unde prospiciebat ferendæ repulsæ periculum, si nullo interprete, filiæ nuptias ambiret. Sigismundo Austrio qui Cunegundem fratris jussu educabat, intercedebat cum Alberto singularis necessitudo. Hic visus est honestissimæ causæ impetrabilis patronus. Ad eum profectus Oenipontum Albertus, sua vota aperit, auditur benignè, experitúrque se haud frustra amici benevolentiam implorasse. Ut novo eam beneficio sibi demereretur, non nescius, Sigismundum bello Veneto implicatum, ærarij angustijs laborare, offert laboranti præstabilem vim pecuniæ. Sigismundus nihil moratus Alberto Cunegundem addicit; Cunegundis lubens volens assentit, rata Patruum nihil injussu Cæsaris esse ausum. Ergo nuptiarum solennia Oeniponti in æde D. Stephani festis cæremonijs, Wilhelmo Episcopo Eistadiano sacris operante, peraguntur: initur thorus genialis, & tum primùm Imperator de matrimonio fit certior. Fallitur auctor theatri Austrij, cùm scribit, Cunegundem ab Alberto in thalamum esse ductam ante nuptias: plus notitiæ ac fidei debetur Arenbeckio, qui id temporis testis idoneus rem, ut erat, descripsit. Monachium exinde ducta est Cunegundis paulò post festa regalia, exceptáque pompâ honorificentissimâ. Imperator, re cognitâ, mirum quantum excanduit. Auxit iras, quòd Sigismundus prolis expers, & exspes, Tirolim Cunegundi dotem, inconsulto Friderico, & Maximiliano Rege Romanorum Francofurti nuper ad 13. cal. Martias, renunciato M. CCCC. LXXXVII. XLVIII. ALBERTI CŨ CUNEGUNDE MATRIMONIUM. HINC FRIDERICI CÆSARIS INDIGNATIO.

ciatio, dixisset. Nihil erat propius, quàm ut Cæsar Alberto bellum inferret, credens, se ejus inferendi tot causas habere, quot numerabat despicatûs. Enimvero Ratisbonam, ne compellatâ quidem auctoritate Cæsareâ, ab Imperio avulsam: se inscio abductam filiam, se invito Provinciam Domui Austriacæ à Boijs

XLIX. detractam. Ergo è vestigio dotis pactionem rescindit, adigitque Sigismundum velut gentilitiarum conventionum immemorem, ad eandem revocandam.

Videbantur fore inauspicatæ istæ Alberto nuptiæ. Tam erat Cæsar vindictæ de inviso genero sumendæ appetens, ut, nisi Suevi à suscipiendo adversus Albertum bello se ostendissent alienos, magnum subitò in Boicâ arsurum fuisset incendium. Iras tempus mitigavit & Maximiliani Regis pro sorore intercessio, Filiæ deprecatio, demissio Alberti, &, quod caput fuit, ultionis omittendæ necessitas, cùm Cæsar longè honestioribus & magis pijs bellis urgeretur.

Mense Februario, sub Hilaria, Albertus, præsente Georgio Duce Landishutano, ludos equestres, Ratisbonæ, suæ conjugis honori, dedicavit. Concurrêre ducenti triginta nobilissimi equites. Tum primis castris Albertus justas

Bellum Pannonicũ. suppetias misit Sigismundo Austrio, quibus adversus Venetos uteretur. Sera fuerunt auxilia, quæ Fridericus Cæsar, factus aliquantò mitior, ductore Alberto Saxoniæ Septemviro, è Comitijs Norimbergensibus destinavit in Austriam, adversus Matthiam Ungariæ Regem, qui occupatâ Viennâ, Neostadium arctâ obsidione premebat. Istius expeditionis pars fuit Dux Christophorus Alberti frater, qui permolestè tulit, sibi ereptam esse virtutis exercendæ occasionem. Eò enim antequam pervenisset, expugnata civitas venerat in Pannonum ditionem. Quamobrem Fridericus, amissâ potiore parte Austriæ, se hoc dicto est solatus: de jacturâ irrecuperabili nihil esse dolendum. Jam enim de Viennæ recuperatione desperârat, quam tamen Maximilianus patre longè felicior, extincto Matthiâ Rege recepit.

M. CCCC. LXXXVIII. Belgicum pro Maximiliano Rege. *Gerard. de Roo. p. 368.* Quæ Christophoro ostendendæ fortitudinis materia eo bello defuit, anno proximo tantò affluxit copiosior, non ipsi modò, sed etiam Wolfgango fratri, qui Friderico Cæsari ad pacandum Belgium proficiscenti se comites junxerunt. Maximilianus Cæsaris filius ex Mariæ Burgundicæ nuptijs Belgicas Provincias, & Philippum filium consecutus, pro filio jus dicebat tutorio nomine, Belgis iniquè ferentibus ejus imperia. Is, post acceptum Regis Romanorum diadema, in Caroli Magni apud Aquisgranenses solio; Brugas, unde quieta omnia nunciabantur, cum quingentis duntaxat viris se contulit, persuasus à Petro Longicollio, homine Belgâ, si quis fortè motus existeret in urbe, præsto fore tria fidorum

L. armatorum millia, qui ad quemvis Regis nutum essent parati. Dolus erat cusus à Brugensibus & Gandavensibus, qui in Maximilianum conspirârant. Age-

Maximilianus Burgis male habitus. bat id temporis adolescentiam Philippus Belgij Princeps Bruxellis, sub Ægidio Buslidio, viro & genere & doctrinâ nobili: Maximilianus Filium jussit migrare Mechliniam, quò longiùs à turbis abesset. At ipse Brugas ingressus, contrà ac Longicollius retulerat, reperit plena omnia seditionibus, tandémque ipse à civibus habitus in custodiâ, multísque affectus est ab insolenti plebe ludibrijs hospitio mutato semel iterúmque per civium violentam licentiam. Cùm nunciaretur Fridericus Cæsar cum valido Germanorum exercitu auxilia properare, & multitudinis æstus deferbuisset, se passus est propositis à civitate legibus conciliari. Idem, ad placandum parentem iturus in Brabantiam, Brugensem portam egressus, obvium habuit Christophorum Boicæ Principem & Fridericum Zollerensem, ab Imperatore cum expeditâ equitum manu præmissos. Horum erectus fiduciâ, Magistratus Brugenses & opificum Tribunos ad se vocatos, monuit hortatúsque est, darent operam Imperatori pacando, de quo meritò ipse Rex ambigeret, quo animo Brugensium actiones esset laturus. Hoc dicto sollicitos illos ac multa dicere parantes reliquit, & Hulstum Flandriæ Teutonicæ oppidum, atque inde Mechliniam abijt, ubi Augustus cum Philippo aliísque Principibus de bello consultabat. Hic Maximilianus pro Flandris orando, patris

Ad patrem proficiscitur.

tris iram lenire & ab hostilitate dehortari: parceret saltem innocentibus, sine quorum damnis & sanguine, sontes nequirent bello castigari: differret ultionem, quæ alio tempore de solis criminum authoribus pacatè posset sumi: Philippi filij ætatem eam esse, uti ad firmandum ejus in Belgas imperium, pace potiùs quàm bello sit opus: Flandris irritatis, quippe qui occulta semper cum Gallis consilia miscerent, facilè novos tumultus posse excitari, si fors ipse per negotia in Germaniam revocatus Flandricis aliquando non interesset. Vicit nihilominus Friderici animus, & eorum sententia, qui sentiebant, tam insignes injurias non Maximiliano duntaxat, sed ipsi Imperatori totique Imperio ignominiosas, bello esse acriter vindicandas. Rebus animísque ad vim inferendam comparatis, Flandri ad eam defendendam accersito è Francis auxilio, copias contraxère. Primo conflictu Brugenses, subacto castro Coquiseio, domum redeuntes, à Friderico Brandeburgico, ad mille cæsi, septingenti sexaginta sex capti, instrumenta bellica cùm militaribus sarcinis in castra, quæ tum in agro Gandavensi habebantur, revecta: Hinc magnus Brugis luctus & trepidatio. Bello accenso, Maximilianus Wolfgango Boio Duci comisit Antuerpiæ Præfecturam, quâ fuit egregiè perfunctus. Christophorum ad casuum subita, mille quingentos pedites & sesquicentum alarios, jussit habere sub signis. Hisce subsidijs, complures civitates in officio retentæ, inter quas Hulstum opportunum eo bello præsidium. Gandavenses Brugensibus sociatos, cum octo pugnatorum millibus, in quibus ducenti è Galliâ cataphracti, Hulstensibus imminere Christophorus factus certior, nihil suorum paucitate trepidus, venientes statuit adoriri. Partem equitum cum octingentis legionarijs, Georgio Comiti Eberstainio attributos locat in insidijs: reliquos trifariam partitus, quâ parte periculum Hulsto impendebat, duxit ipse; paucos, qui supererant, jussit eruptionis signum ad geminas portas in urbe expectare. Agebatur sexta dies Martij, cùm fervente jam urbis oppugnatione, Christophorus cum Befortio & Sonnenbergio Comitibus, portis erumpit. Convenerat, ut, ubi primùm ex altâ turri fax luculenta exponeretur, eodem tempore, Eberstainius ex insidijs hostium terga, ex urbe, Christophorus latera peteret. Constitit convento fides. Hostes tot partibus simul petiti concurrere ad arma, aciem tumultuariè instruere, ut fit in subitis; turbatè ut quisque cogebatur resistere, tandem confundi & sterni. Exinde non pugna, sed strages, cæsis obuijs quibusque in vestigio. Quos fuga eduxit ex acie, à Sonnenbergio excepti malè vapulârunt, multis passim obtruncatis. Mille centeni & suprà ex Flandris, armis abjectis, exitium sunt deprecati. Hos etiam iratus miles cùm mactatos vellet, Christophorus servavit, parcens civili sanguini, & consulens Regiæ clementiæ, cujus fama apud Flandros alioquin irritabiles, plurimùm erat valitura. Dedititij vitam pecuniâ in victores distributâ redemêre. Hæc fuêre belli Flandrici primordia, quod in novem annos fuit productum.

LI. Bellum Flandricû. Brugenses cæduntur. Dux Christophorus Boius eosdem, cum Gandavensibus, rursus profligat. LII. Langius. p. 882.

Inter hæc Georgius Dux Landishutanus, haud nescius Fridericum Cæsarem iniquo animo tulisse, quòd ipse Burgoviam Augustano pignore solutam, redditâ pecuniâ sui juris fecisset, nec se ideo à bello esse securum, dedit operam firmandis Boicæ secundæ præsidijs. Inter cætera Burghusinam arcem munijt novis operibus, adhibitis ad eam rem quater mille operarum continuis laboribus, & mercede centum aureûm millium. Albertus Sapiens etiam urgebat acriter castri, quod Ratisbonæ excitare cœperat, absolutionem; animo satis prospiciens, Fridericum Cæsarem Boicæ magnitudini infestum, vix, ac ne vix quidem sibi ab urbe reposcendâ temperaturum.

Georgius et Albertus Duces se adversus Cæsarem muniunt. Arenb. p. 309. M. CCCC. LXXXIX.

Maximilianus Rex haud paulò parente sedatior, Alberto Brandeburgico in Flandriâ cum exercitu ad persequendum bellum relicto, rebus Boicis minùs infensus, redijt in Germaniam. In ejus comitatu fuêre Christophorus & Wolfgangus Boij fratres. Monachium divertit ad Albertum visendæ Cunegundis sororis suæ desiderio. Cum omni honore ab utroque habitus, aliquammultos dies

Maximilianus Rex sororem Monachii invisit. LIII.

dies sorori ad solatium indulsit, multa de pacando parente, déque tollendis Boicæ discordijs officiosissimè collocutus. Adfuit isthic agenti Sixtus Frisingensis Episcopus, quem secum ad Comitia Francofurtensia, ob singularem viri facundiam & longum rerum usum, abduxit.

Fœdus Suevicum instauratur Boiis iniquum. Ei nomina dane Christophorus et Wolfgangus Alberti Fratres.

Fridericus Cæsar, quò faciliùs Boios aggrederetur, auctor fuerat Suevici fœderis reparandi. In eo multa constituta vicinæ Boicæ parùm æqua, quæ universa Cæsar comprobavit. Illi nomina dedêre universa Sueviæ Nobilitas, Cœnobiarchæ, civitates, Principes, Friderici gratiam aucupantes. Ad idem accessêre Christophorus & Wolfgangus fratres, qui rursus ab Alberto Sapiente dissociati, res novas moliebantur, redeunte identidem cupidine Boicam partiendi. Suevos concitârant in Georgium Landishutanum, immoderata imperia Præfectorum, quos ipse Weissenhornianis & Burgoviæ imposuerat, impotentiùs administrantium demandatam sibi provinciam, cum grandi subjectorum offensione: unde (quod plerumque usuvenit) à malis Ministris derivabantur in Dominum odia, qui tametsi nesciret rem malè geri, eóque non prohiberet, credebatur tamen jubere aut dissimulare, quæ gerebantur perperam. Huic malo facta medicina, cùm Georgius læsis satisfecisset.

Eorundem in Fratrem expostulationes apud Cæsarem.

Fridericus Cæsar ab Alberto Ratisbonam repetit.

LIV.

Sub ineuntem Autumnum, Albertus Linzium ad Cæsarem descendit, Maximiliani Regis intercessione aliquantò æquiorem. Eodem venêre Christophorus, & Wolfgangus Fratres gravissimis rursus in Albertum quiritationibus instructi, ex antiquis causis, quas invidia non sinebat antiquari. Auditæ tamen sunt pronis auribus à Cæsare, nec magnopere probatæ, quòd aliæ propiùs graviúsque ejus animum pungerent. Initas tamen cum filiâ suo injussu nuptias, quas nequibat dissolvere, intactas reliquit: speciosior erat irarum obtentus subducta Imperio Ratisbona, de quâ mirè excanduit. Quicquid excusaret Albertus, decretoriâ animi destinatione interminatus est, se conceptam indignationem non priùs positurum, aut accommodaturúm aures reconciliationi, quàm arx Ratisbonæ affecta, solo foret æquata, & civitas libera solutáque Boicæ dominatu, ad Imperium redijsset. Hæc cùm Alberto magis indecora noxiáque viderentur, quàm ut extemporali facilitate & apertâ formidinis professione concederentur, animo haud parùm à Cæsare averso, discessit.

Quamobrem extremo anni mense, Fridericus per Procuratorem regium Reginoburgensium capita fortunásque publicavit, edicto proscriptionis in urbis compitis proclamato & affixo, cum minis, fore ut, nisi cives intra mensem se urbémque Imperio redhiberent, ultima quæque essent experturi. Gesta hæc idibus Decembris, imperij Friderici anno octavo & quadragesimo.

M. CCCC. XC.

Matthia Ungariæ Rege defuncto, Maximilianus Austriam recuperat, Georgii Landishutani et Christophori Ducum ope.

Ut ad petendam vindictam esset solutior, adjuvit mors Matthiæ Pannonum Regis, Friderici hostis capitalissimi, qui Non. April. Viennæ Austriæ, inter miserandos cruciatus, apoplexiâ correptus, & leonis more rugiens, fato functus est, rebus gestis clarissimus, quódque rarum, Cæsaris & Turcarum Principis victor, & Austriæ, magnam partem, domitor. Ejus metu liberatus Fridericus, Maximiliano filio amissas ditiones recuperandas commisit, qui, æstate nondum exactâ, Viennam, Neostadium, aliáque secundæ Austriæ præsidia, deditione recepit: mox armis in Ungariam conversis, Regnum invadere constituit.

In expeditionis partem venêre Georgius Dives Landishutanus & Christophorus Boicæ Duces. Mirum non est, Bonfinium & Roum eorum non meminisse, quippe qui domesticorum Boicæ Scriptorum, qui, cùm illi scriberent, nondum lucem aspexerant, nullam habuere notitiam. Arenbeckius, qui id ætatis & vivebat & comperta scribebat cum fide, non minimam rerum bene gestarum gloriam Boijs attribuit.

Arenb. p. 311.

LV.

Per anni hujus æstiva Georgius Dives Bavariæ Dux, delectas equitum turmas rebus omnibus instructissimas, Schardingæ, quæ in primæ Austriæ confinio est, habuit. Fuere ut minimum mille ducenti equites, quos secundo flumine devexit in Austriam sub Idus Septembres. Etenim defuncto Matthiâ Rege Ungariæ,

gariæ, Regni Proceres, Uladislaum Bohemiæ Regem, Casimiri Poloniæ Regis filium ad Regnum evexerant, quod Maximilianus Romanorum Rex ex pactis conventis sibi deberi asserebat. Quamobrem receptâ de Hungaris Austriâ, castra movit in Ungariam. Sub D. Archangeli Michaelis ferias Georgius Dux abiturienti adduxit magno sumptu conductas suppetias. Obsedêre simul & coëgere ad deditionem D. Martini castrum, locum (ut ajunt) sanctissimi Turonum Antistitis natalem, aliáque loca. Ipso D. Martini die, Vesprinienfis Episcopus se suáque Maximiliano permisit. Itum deinde Albam regiam, urbem Regum inauguratione & mausolæo insignem. Civibus deditionem detrectantibus, Maximilianus ex ductorum sententiâ, civitatis expugnationem decernit. Primas vices Bohemis, secundas Christophoro Duci Boicæ & stipendiario peditatui demandat. Cùm diversis partibus ferveret expugnatio, Christophorus ac socij, pars effractis portis, pars transcensis mœnibus irrumpentes, Ungarorum fugam cædémque adusque civitatis forum victores protulerunt. Ante ipsas aras tantâ ferociâ sævitum in resistentes, ut Matthiæ Regis tumulus sanguinis rivo semipalmum ferè æquante circumflueret. Paria præstitêre, qui sub D. Georgij, quod Ducis Georgij fuit, vexillo dimicârunt. Ingens præda in urbe reperta. Civitate hunc in modum superatâ, Maximilianus Rex Georgium & Christophorum Boicæ Duces, Sigismundum Marchionem Brandeburgicum, Wilhelmum Hassiæ Landgravium, Rudolfum Comitem Anhaltinum præcipuis affecit honoribus. Equites creavit Albertum Rechbergium, Georgium Rosenbergium, Joannem Closnerum, Sifridum Tôrringium, Joannem Holtzsattelium, Gasparem Schenckium, Ottonem Oberhamerum, Wolfgangum Weichsium, Joannem Schiltbatzium, Georgium, Peuscherium, alióſque plures, quorum nomina chartis mandata non reperio. Contigêre hæc 17. cal. Decemb.

MAXIMILIANUS INVADIT UNGARIAM.

VESPRINUM OCCUPAT.

ALBAM REGIAM EXPUGNAT.

LVI.

Postridie Maximilianus unàque Dux Georgius, Budam versus, primo ab Albâ milliari, tetendêre. Isthic dies ferè decem consumpti, conductitij militis altercationibus: qui nullis potuit pollicitationibus adduci, ut pedem ultrà efferret, nisi Maximilianus stipendia repræsentaret. Quæ cùm in promptu non essent (quod spes præclaras sæpe corrupit) factum est, ut Albam exercitum reducere cogeretur. Rem tamen propitium Numen vertit in melius. Dum enim isthic hæreret, Budenses ad eum ablegant è Primoribus, qui urbis deditionem offerant, quâ nihil erat Maximiliano optatius. Receptam in fidem demandavit Vito Wolckenstorfio, Remperto Rechenbergio, Geòrgio Castelwarto, & Joanni Schilbatzio natione Bavaro, submotis à gubernatione Ungaris, ne quid novi in posterum eâ in urbe molirentur.

BUDAM DEDITIONE ACCIPIT.

Rebus istâ felicitate compositis, Dux Georgius prid. Non. Decembris iter Viennam versus arripuit, eóque feriâ secundâ ante D. Thomæ festum appulit. Tum citatis vehiculis celeriter provectus, Landishutam postridie Natalitiorum Christi tenuit. Maximilianus verò ducto ad Rabam exercitu, stipendiarios omnes à signis dimisit. Tulit Georgius in eâ expeditione præclaram laudem magnificentiæ, quòd suos plerosque liberalibus mensis abundè lautéque habuisset. Exinde pax inter Maximilianum & Uladislaum convenit.

Inter hæc Sigismundus Austrius, quòd procreandorum liberorum spe careret, & Fridericus Cæsar pactam Cunegundi Comitatûs Tirolij dotem antiquasset, universam ditionem Maximiliano Regi per solennes tabulas transscripsit.

Chron. August.

Id damni cùm Albertus Sapiens consultò dissimularet, visum tamen est eundum esse tempestivè obviam malis gravioribus, quæ à Friderico Cæsare & Sueviæ fœderatis parabantur. Quieverant adhuc Boicæ Principes, rati fœdus illud sponte, Cæsare mitigato, dissolvendum, cùm rebus quietis, nulla ejusce continuandi causa appareret. Verùm cùm indies fama mali impendentis magis magísque gliſceret, & Cæsar inferendi belli auctor incitatórque palàm haberetur, Boiariæ Duces (Christophoro & Wolfgango exceptis) ne omnino imparati op-

BOICUM FOEDUS ADVERSUS CÆSAREM.

 prime-

primerentur, Comitio Ambergæ habito, cum alijs Principibus, belli periculorúmque societatem inierunt. Cum Boijs conspiravere Palatini Comites omnes, Rex Bohemiæ, Saxo, Brunswicensis, Hassus, Herbipolensis, Bambergensis, Ratisbonensis, Wormatiensis, Spirensis Antistites, ipsáque civitas Norimberga.

LVII. M. CCCC. XCI. FRIDERICUS CÆSAR INEXORABILIS.

Maximilianus Rex, haud dubius procellæ, quam Fridericus parens in Boios seriò meditabatur, Oeniponti ejus iras lenire rursum conatus, comperit in Albertum quidem prorsus inexorabilem, sed Georgio Diviti sic indulgentem, ut litem nuper de Burgoviensi Dynastiâ conflatam componi pateretur, pactâ redimendi pignoris libertate, quoties Cæsar Georgio pretium expositum refunderet; quod refudit Cæsar anno nonagesimo secundo. Quâ quidem pactione geminum emolumentum est consecutus: primùm, ut Burgoviam Austriacæ ditioni rursus adjungeret, deinde, ut disiungeret Georgium ab Alberto, quò minùs pacta ex fœdere auxilia in proximum bellum conferret: Tanta erat Soceri in Generum iracundia. Igitur cùm Maximilianus apud impenetrabilem, verba pro Alberto perdidisset, ex Athesiâ per Rosenheimium & Eberspergam, Monachium 7. cal. Maias veniens, Albertum monuit, sibi ut prospiceret, neque rem ad extrema duci pateretur. Dehinc Ulmam profectus, id saltem à Sueviæ fœderatis obtinuit, nemo ut arma moveret, donec ipse cum parente, qui Linzium abiverat, rursus de pace egisset. Eum ferunt, cùm secundo Danubio prætervcheretur, flebilem næniam, quâ proditori Judæ vulgò parentatur, ferali tubarum tympanorúmque sono, civibus occini imperasse, immotâ tamen in Albertum benevolentiâ, & prævalente Cunegundis sororis charitate.

MAXIMILIANUS PRO PACE LABORAT.

Brun. in Excub.

FAMES IN BOICA.

Præter belli minas, etiam fames cœpit Boicam premere, aucto supra modum rerum omnium, quibus humana vita alitur, pretio. Accessit iteratum Cæsareæ proscriptionis fulmen in Ratisbonenses, quô ipse quoque Albertus afflabatur. Ferales edicti tabulæ per omne passim Imperium in urbibus oppidisque vulgatæ fuerunt. Diris justi colorem conciliabant Christophorus & Wolfgangus muniti Cæsaris tabulis eò probabilioribus, quòd illæ viderentur pugnare pro fratribus oppressis adversus potentiorem fratrem, próque Imperio adversus liberæ civitatis invasorem, ut ne quis salvum vellet, quem Cæsar idémque socer, quem proximus sanguis, & causa publica volebant perditum. Ad triste classicum, primi omnium arma induerunt Staufferi, factáque in Ratisbonensem agrum irruptione, forum Pfeterium præsidio occupârunt. Inde cùm omnem latè viciniam infestam redderent, Albertus, coactâ ter mille peditum & equitum trecentorum manu, castro Flugelsbergio Staufferorum sede expugnato, captum Hieronymum Staufferum in vincula conjecit Monachiensi carceri mancipandum. Inde progressus, Copfzwingiam arcem, quam Bernardus item Staufferus tuebatur, vi occupatam solo æquavit, Bernardo fugâ elapso. Denique subactâ Kaufringâ, vastatâ Flugelsbergâ & Ehrenfelsâ, audaculos istos bellatores repressit. Movit etiam in Fratres conjuratos, qui Tœlzium diripuerant. Pleraque clades desijt in Wolfgangum, quem Albertus eò redegit, ut vix illi quicquam reliqui fuerit, præter Liechtenbergam. Tum denique victrices copias Monachium reduxit. Cæsar inter hæc Norimbergam Imperij Comitia indixit. Ad ea Maximilianus Rex proficiscens, Landishutam divertit amplissimis honoribus à Georgio Duce exceptus. Comitium frequentârunt duo & triginta Principes. Actum potissimùm de restituendâ Ratisbonâ tam contentiosè, ut, cùm pertinacibus animis discordes sententiæ in studia contraria raperentur, re infectâ fuerit abeundum. Sveviæ fœderati, Cæsaris voluntate, Fridericum Brandeburgicum suarum partium ducem legêre: ad eosdem accessêre Eberhardus Wirtenbergicus & Ulricus Montfortius.

LIIX. ALBERTUS UNA CUM RATISBONENSIBUS PROSCRIBITUR.

ALBERTUS STAUFFEROS REPRIMIT.

COMITIA RATISBONENSIA CONTRA ALBERTUM.

LIX. Inter hæc Georgius Dux Boius velut è speculâ periculosam rei Boicæ conditionem arbitratus, immanem veritus tempestatem, quæ in secundæ quoque Boicæ regiones deſæviret, Alberto author fuit, tentandæ de integro paci-

pacificationis, interprete Rege Maximiliano. Colloquio habendo delectum Aichachium. Ad dictam diem adfuit Maximilianus, unáque Albertus & Georgius. Multis prolixè de pacando Cæsare disceptatis, jussit Maximilianus ab hostilibus abstineri, donec tentato rursus Cæsaris animo certiora referret. Cum illo Linzij denuò locutus, nihil præter obstinatæ vindictæ minas obtinuit, Cæsare identidem dictitante, superbos Bavari spiritus retundi oportere. Ita Maximilianus pro pace bellum attulit. ITERATUM DE PACE COLLOQUIŪ.

Super hæc accendebatur indies dira fames, annonâ deinceps tam angustâ, ut, egentioribus permultis inediâ sublatis, cæteris ultimum exitium impenderet. In eâ calamitate Georgius Dives Deum hominésque sibi demeruit, apertis granarijs, annonam in miseros, pretio supra trientem imminuto, partitus. Per eosdem dies Alpinis nivibus æstivo calore resolutis, immanis fuit in Boicâ aquarum illuvies; quæ passim pontes abripuit, magnámque agris labem attulit. Frisingæ sic trepidatum, ut parte civitatis inferiore irrumpentis torrentis impetu inundatâ, cives oportuerit salutem in acclivi statione quærere. Tot iræ divinæ præsagijs territi mortales, miram concepêre placandi Numinis religionem. Spectabantur continua propè supplicantium agmina, eorum præsertim, qui voti causâ ad D. Virginis Oetinganæ sacellum jam olim clarum prodigijs, confluebant. Ipse Dux Georgius Divorum cineres in Monte Sancto supplex adijt, & Ebersbergæ D. Sebastianum est veneratus. AQUARUM ELUVIES.

Anno proximo Innocentius VIII. Pont. Max. Deiparæ Virginis parochialem Ecclesiam Monacensem, erexit ad Collegiatæ dignitatem, diplomate dato 3. Idus Aprilis, Collegijs D. Udalrici Habacensi, & D. Arsacij Illmunsteriensi ad absolvendam ejus fundationem attributis. Verùm cùm Sixtus Frisingensis Antistes vehementer obsisteret, res dilata fuit ad Alexandri VI. Pontificatum, qui omissis D. Udalrici præbendis, S. Sixti Schlirseense Collegium in earum locum substituit anno nonagesimo tertio. De Bullarum executione per Frisingensem impeditâ (quoad licuit) tandémque expeditâ, suo loco dicetur. M. CCCC. XCII. ECCLESIA D. VIRGINIS MONACENSIS ERIGITUR IN COLLEGIATAM.

LX.

Cæterùm, hujus anni ingentes belli apparatus Alberto ultimam cladem minabantur. Ad exequendam Cæsaris sententiam omnis Suevia in armis erat. Tota belli moles incumbebat in Albertum. Nam Georgius Landishutanus, qui nondum apertè à belli societate desciverat, post Christi resurgentis ferias, suorum (ut aiebat) consilio, omne adversus Cæsarem auxilium Alberto obnuntiavit. A cæteris fœderatis tenues suppetiæ, aut nullæ. E diverso Fridericus Brandeburgicus pro Cæsare Legatus, equites ut minimum supra bis mille centum quinquaginta à Christophoro & Wolfgango fratribus conscriptos; peditum, qui æra merebant, decem & octo millia, volones mille sexcentos sub signis habuit. Convenerant quidem verni jejunij diebus esurialibus, Lavingæ Philippus Elector & Otto Comites Palatini cum Alberto & Georgio Ducibus, & Wormatiensi Episcopo, pactâque armorum societate magna erant polliciti, sed ubi ad rem ventum, promissis longè minora præstitêre. Ea enim fœderum fides est, ut cujus causa agitur, ejusdem ferè viribus & periculis eam niti oporteat. Albertus datis Lavingâ ad Augustanos litteris, eos ab inferendo Boicæ bello frustra est dehortatus. Nihil profuêre apud armatos togatæ Alberti querelæ, quibus se inauditum, paratúmque quocunque Judice causam probare, ostendebat. Fridericus, mense Majo, universas copias lustravit in campis Lycatibus. Post inventæ Crucis festum, primus omnium Eberhardus Wirtenbergicus accessit cum ducentis quinquaginta alarijs, legionarijs bis mille quingentis, ballistis majoribus centum quinquaginta. Secuti Ulmenses, ductore Pesfererio. Successit Hegoviana Nobilitas: tum Fridericus Dux cum quadringentis equestris ordinis pugnatoribus. Postremò advenêre, cæterorum Principum, urbium, Dynastarum, Præsulum, Procerúmque Imperij auxiliares copiæ. Tum demum missi ad Albertum feciales, qui bellum Cæsaris auctoritate more majorum indicerent. BELLUM IN ALBERTUM.

Albertus à Georgio desertus, quantas licuit vires collegit, sed longè Cæsarianis impares. Fridericus motis copijs, prima castra habuit in Hunnorum, ut vocant, statione, primo ab Augustâ lapide. Inde progressus est ad Tabernas
LXI. medio à Landspergâ itinere. Hîc Lyco ponte frenato, exercitus in Bavaricum solum traductus, haud procul Kaufringâ consedit. Omnium primi Christophorus & Wolfgangus hostilia moliti, captâ de colonis prædâ, abactóque Landspergensium quingentorum capitum armento. Maximilianus Rex in tempore adfuit, impetratis potiùs, quàm imperatis Friderico bidui duntaxat inducijs. E castris unà cum Hugone Werdenbergio & Wilhelmo Pesserterio Augustam redux, de belli sopiendi legibus retulit ad arbitros, præsente Georgio Divite, qui & ipse ponendorum armorum erat auctor.

PAX COMPOSITA. Hæc inter, Philippus Elector Palatinus, quingentos equites, Ductore Rosenbergio, Alberto submisit, qui, ad Stegiam nonnullos ex hoste grassatores confecère. Finitis inducijs, Fridericus moræ impatiens, confestim Rosenbergium Collegámque ad castra revocavit. Eorum loco Maximilianus, quartâ post Paschales ferias Dominicâ ad Fridericum misit Joannem Gesselium fisci Præfectum & Curiæ regiæ Procuratorem, qui coactis in Friderici prætorium Ducibus, compositam, Sac. Cæs. Majestatis nomine, per Maximilianum Regem cum Alberto pacem nuntiaret. Hunc unàque Ratisbonam fore in auctoritate Cæsaris: Georgium Landishutanum de pactorum fide satis daturum. Etenim Cæsarem, Regi Maximiliano finiendæ litis, quæ Friderico cum Landishutano intercederet, & Suevici fœderis postulata decidendi, potestatem fecisse, proinde nihil esse, cur ultrà de fundendo civili sanguine turbisve cogitetur. Fridericus omnium nomine paucis respondit. Maximiliani generosum pacis studium, & auspicatissimam voluntatem tantâ ab omnibus veneratione & lætitiâ esse acceptam, ut nullus omnino sit, qui armis positis non sit animo lubentissimo ejus mandatis morem gesturus: gratius nihil potuisse accidere, quàm ad mutuam perniciem mox ituros, adduxisse in mutuos amplexus, & ad meliora fata servâsse nobilissimæ gentis sanguinem. Eo responso Maximilianus mirificè recreatus, comitante Augustano & Eistadiensi Pontificibus, Regum Hispaniæ & Angliæ, Albertíque legatis, venit in castra. Venienti, Fridericus militare spectaculum, immisso in quadratam legionum aciem equitatu, machinisque æneis septem & quinquaginta semel iterum cum festo fragore solutis, exhibuit. Eum in modum

PACIS CONDITIONES. parata Boicæ tempestas detonuit. Pacis hæ dictæ conditiones. *Albertus urbe Ratisbonâ & arce inædificatâ cedito. Cives sacramenti religione exolvito: avita in urbe jura servato: Cæsaris Legatis in urbem commeatum dato: regressuros ne morator:*
LXII. *præsidium deducito: Dynastiam Abenspergensem dotis pignus sibi habeto: dote repræsentatâ pignus reddito. Arma adversus Dominum tulisse nemini fraudi esto. Christophoro, Wolfgango, eorum asseclis factionis Leoninæ (sic Svevica audiebat) fœderatis, ablata restituuntor: Flammâ ferróve absumpta repetituris Nœrdlingæ jus dicitor: Captivi inviolati dimittuntor.* Pace istis legibus constitutâ, Ratisbona, postea quam annis sex, mensibus decem ad Boicam clientelam redierat, Impe-

ALBERTUS IN CÆSARIS GRATIAM RECEPTUS. rij liberis civitatibus denuò fuit accensa. Albertus Cæsari conciliatus, unà cum Cunegunde uxore, Linzium descendit. Fridericus Cæsar utriusque conspectu lætus, serenissimis oculis excepit natas ex ijs neptes Sidoniam quatrimulam, Sibyllam trimulam, Sabinam infantulam hoc ipso anno natam postrid. Idus Aprilis.

M. CCCC. XCIII. MORS FRIDERICI CÆSARIS. *Matt. 5. v. 25. Gerard. de Roo. l. 10. pag. 389.* Redintegratâ cum Genero & filia gratiâ, Fridericus non diu superfuit: valuit tamen ista conciliatio, ut tantò securiùs adiret supremum orbis Judicem, qui gravia minatus est inexorabili simultati. Is pace in Austriâ ac reliquâ Germaniâ constitutâ, Linzij gravi morbo cœpit laborare. Alterum illi crus Sphacelo, sive ossium carie affectum, per eosdem dies ex medicorum consilio resectum erat. Id cùm inspexisset, quæsivisse ferunt, quid inter Cæsarem & quemvis rusticum interesset? Mox verò subiecisse, rusticum sanum, ægroto Cæsare

Cæsare longè esse feliciorem. Non multò pòst, alvo ex frigidæ potu & melonum esu resolutâ, rebus ex suprema voluntate constitutis, sacris Christianis piè susceptis, diem clausit decimâ nonâ Augusti, ætatis anno septuagesimo octavo, Imperij supra quinquagesimum tertium, mense quarto, die quarto, quo nemo post Augustum diutiùs imperavit.

Illum ad alteram vitam quatriduo præcesserat Christophorus Alberti Sapientis frater. Rhodi vitâ functus est ipso die Deiparæ in cœlum assumptæ. Hic cum fratre, medijs quadraginta dierum esurialibus, in gratiam reductus, Friderico Misnensi, suo ex sorore nepoti, in Palæstinam proficiscenti comitem se præbuit. Cùm loca sanctissimis Christi vestigijs & sanguine consecrata supplex obiisset, sacrâ expiatus exomologesi, & Christi corpore refectus, ventriculo insuetos cibos potúmque nauseante, sensim cœpit firma illa corporis valetudo labefactari. Commisit se nihilominus navigationi, quæ longè debiliorem, sub exeuntem Julium, Rhodum detulit. Eum Supremus Rhodiæ militiæ Magister, Germanus natione, genere Wertenbergicus, incredibili humanitate exceptum, studiosissimè curandum suis familiaribus commendavit. Verùm cùm morbus pertinax omnem pharmacorum vim superaret, Christophorus, fatiscente corpore, omnem cogitationem ad animi procurationem adiecit. Antequam è Boicâ discederet, condiderat supremæ voluntatis tabulas, quibus Albertum fratrem, in signum reconciliatæ charitatis, hæredem scripserat, mandarátque Schongaviæ Magistratui, tabulas ut studiosè asservaret. Cætera quæ ad æternitatis iter spectabant, instructurus, magni pretij armillam brachio detractam, jussit Cunegundi, fratris uxori amicitiæ pignus deferri. Tum sepositâ curâ rerum mortalium, Princeps totâ vitâ impavidus, se ad supremum cum morte & hoste tartareo certamen comparavit. Præter cæteram piæ mentis armaturam, voluit instar fortis Christi athletæ ad extremam luctam piorum oleo inungi: denique eâdem fronte, quâ solebat mortales pugnas, decretorium agonem ingressus, bonæ spei plenus, timoris vacuus, corpore prostrato, victricem animam Deo transmisit. Funus Rhodi honorificè elatum in ædem D. Antonij, octo nobilissimis equitibus succollantibus, ipso sacræ militiæ Principe, cæteróque Ordinis comitatu, funalibus accensis, atratam pompam exhibentibus, præeunte Bavariæ vexillo. Bini Episcopi, sacerdotes quamplurimi, sacris funebribus fuêre operati. Quoad vixit (vixit autem annos quadraginta quinque) fuit tam aperti in amicos omnes pectoris, quàm imperterriti in hostes; cæteroqui placabilis, ubi bonam adversarij mentem deprehenderat. Res divinas magno habebat in pretio, nec parcè (annis præsertim ultimis) ijs indulgebat. Anno, qui ejus è vita abitum præcessit, D. Simperti ossa cùm Augustæ è tumulo efferrentur, unà cum Wolfgango fratre, Eberhardo Wirtenbergico, Rudolpho Anhaltino, præsente Maximiliano Rege, decoro (quæ tum erat magnorum Principum pietas) ministerio, humeris, in splendidiorem sedem deportavit. Cælebs obijt, nulla sinistræ famæ aut venereæ consuetudinis labe aspersus, Martis studijs à puero apprimè deditus, nunquam auri parcus, semper contemptor discriminum, vitæ propriíque sanguinis profusus.

Mors Christophori Ducis. Arenb. — LXIII. — Testamentum. — Exequiæ. — Mores.

Cœlum, quod hoc anno terris Fridericum ac Christophornm subduxit, Boicæ dedit, Idibus Novembris, Guilielmum Ducem, qui Alberto Sapienti successit. Posterâ luce, cùm sacris undis tingeretur, omnium in urbe Monacensi turrium ac templorum æra festo strepitu concinuêre: Ignes in foro, lætitiæ publicæ argumento excitati. Albertus parens masculâ tandem prole donatus, Numini ista gaudia dedicavit: non multò pòst cum Georgij Divitis Legatis ad Friderici Soceri parentalia, visendúmque Maximilianum Cæsarem, secundo Danubio profectus est.

LXIV. — Guilielmi Ducis dies natalis.

Hoc ipso anno Oetingana D. Virginis domus, novis indies prodigijs inclarescens, permultos ad sui venerationem excivit. Maximilianus Rex ipse, coràm, Deum isthic adoravit, séque Virginis clientem est professus: ex urbe Lan-

Ædes Oetingana inclarescit.

Arenbeck. Landishutanâ mille quingenti in choros undecim distributi, supplicem pompam eodem duxêre, votivum cereum septuaginta (ut minimum) librarum dono ferentes. Primum agmen duxêre viri, secundum matronæ, tertium virgines, postremum adolescentes, pueri: Omnes pulcherrimo ordine ac modestiâ, quæ singularem religionem spirabat.

M. CCCC. XCIV. FERARUM PESTILITAS. INCENDIARII.

Visum est anno sequenti cœlum agrestibus favere, immissâ in feras lue, quæ passim magnos cervorum greges prostravit: non defuere tamen tempestates, quæ spem messis hinc inde graviter flagellârunt. Prodijt etiam incendiariorum turba, in Bavariâ inferiore, ductore quodam Kœchelio, qui olim inter ultima Georgij Ducis servitia, domini odium imbiberat. Hi ignibus in villas grassati, arcem Kunigstainiam redêgere in cineres. Maximiliani Cæsaris cum Blancâ Mariâ Sfortiâ Ducis Mediolanensis filiâ, nuptias Oeniponti celebratas; Caroli VIII. Gallorum Regis memorabilem in Italiam expeditionem, ut res externas, alijs describendas relinquimus.

M. CCCC. XCV. COMITIA WORMATIENSIA. LXV.

Rebus Boicis propiora Comitia, quæ omnium Imperij Ordinum frequentiâ, anno nonagesimo quinto à Maximiliano Cæsare Wormatiæ fuerunt habita. Boici Principes adfuere per Legatos. Intererant præterea Regis Hispaniarum, Venetorum, Insubrum, Montisferrati, aliorúmque exterorum Principum Oratores. Capita deliberationis fuere de Gallorum in Regnum Neapolitanum profectione: de Bajazete Turcarum Principe, qui factâ nuper in Croatiam eruptione, utrique jam Pannoniæ imminere ferebatur. Ad ea bella indictæ quinquennales exactiones per totum Imperium. Cæsaris Ordinúmque curas agebat, immane quantum crescens in majus Ottomannica potentia, abreptis à Christianâ ditione Constantinopolitano & Trapezuntino dominatibus, divulsâ Thraciâ, Bœotiâ, Atticâ, Macedoniâ, Thessaliâ, Achaiâ, Ætoliâ, Bithyniâ, Cappadociâ, Lyciâ, Cariâ, Lydiâ, Ciliciâ, Paphlagoniâ, Pamphiliâ, Ponto, simúlque duabus & viginti Mithridatici olim Regni Provincijs, amissâ Phrygiâ, omnique Hellesponto, utrâque Mysiâ ac Bulgariâ, Russiâ, Servia, totisque regionibus, quæ Adrianopoli & Savo amni interiacent: subactâ Bosnâ Mitelene, innumerisque gentibus, in quibus nominatim Triballi, Bastæni, Taurini, Dalmatæ, Epirotæ, Isauri, Illyrici, Hydruntini: verbo, Asiâ, Africâ, bonam partem sub Turcium jugum missâ. Tot tantisque Reipublicæ Christianæ detrimentis, redactâ jam in angustum Europâ, meritò timebatur, ne pari cum tot nationibus infelicitate, opprimeretur. Dictæ in Comitio fortissimæ sententiæ, capta consilia generosa, sed quorum fructus varijs inter Europæos dissidijs intercepti.

LXVI. EBERHARDUS WIRTENBERGICUS DUX CREATUS.

In hoc ipso conventu Cæsar Eberhardum Wirtenbergiæ Principem multis in Rempublicam meritis insignem, primum ex Wirtenbergensium Comitum gente, ad Ducis dignitatem evexit. Mildorfium, in Boicâ, Salisburgensis ditionis civitatem hoc anno, primâ dierum esurialium Dominicâ, fortuito incendio conflagrasse igne, è pistrino exorto, comperio. Circa id temporis celebrata fuit translatio reliquiarum S. Arsacij ad Basilicam D. Mariæ Deiparæ Monacensem, posteaquam septingentos, & quod superat, annos, in Illmunsteriensi Collegiatâ æde quieverant. Eodem tempore Præsides ac Canonicos Illmunsterienses & Shlirseenses, ex Alexandri VI. Pont. Max. voluntate, extincto utroque isto Collegio, ad D. Virginis Collegas migrasse, ostendunt variæ Tabularij Monacensis membranæ, ut non appareat, quam ob rem Hundius eam translationem ad annum nonagesimum nonum reiecerit.

M. CCCC. XCVI. PHILIPPI AUSTRII CŪ JOANNA ARRAGONIA NUPTIÆ. *Ferreol. Locrij Chron.* MORS SIGISMUNDI AUSTRII.

Annum nonagesimum sextum nobilitavit matrimonium Philippi Austriaci Burgundiæ Ducis, Belgarum Principis, cum Joannâ Arragoniâ, Ferdinandi & Elisabethæ Hispaniarum Regum filiâ, contractum apud Lyram, Brabantiæ oppidum, atque geniali thoro eodem loci absolutum, cæterâ celebritate Bruxellensibus reservatâ. Sigismundus Austrius Senior, qui Tироli imperabat, prid. Non. Martias fato cedens, Maximiliano Regi suas ditiones ex asse reliquit anno sequente.

Eo

Eo defuncto, Maximilianus Cæsar servandæ cum Helvetijs pacis cupidus, M. CCCC.
colloquio cum eorum Legatis Lindavij instituto, petijt, ut pace per totam Ger- XCVII.
maniam conciliatâ, ipsi quoque vicinæ Suevorum genti fœdere jungerentur; *Reuss. l. 11. p.*
Eam enim conjunctionem concordiæ publicæ fore peropportunam. Legati *403.* HELVETII
non nescij, suos populares ab eâ societate abhorrere, polliciti sunt, eâ de re RESPUUNT
ad Helvetiæ Ordines relaturos. Re in commune deliberatâ, Maximiliano re- FOEDUS SVE-
nuntiârunt, suæ genti ob fœdus domesticum & privilegia à multis retro Impera- VICUM.
toribus concessa, non esse integrum ad Suevorum fœdus accedere, orare proin-
de, hujus petitionis gratiam Cæsar faciat aliàs ad obsequia promptos sese exhi-
bituris. Inde nova belli sementis, quæ non multò pòst in apertum erumpens,
parùm abfuit, quin Albertum Sapientem Suevorum cladi implicaret, uti paulò
pòst recensebitur. Agebatur annus nonagesimus octavus, cùm Eberhardus M. CCCC.
Wirtenbergicus junior, qui Eberhardo Barbato patruo, primo Wirtenbergiæ XCVIII.
Duci successerat, subditorum, quos sibi infensos noverat, metu, abdicato Princi-
patu Ulmam profugit. Hinc Cæsar in Sueviam profectus, Udalricum Henrici LXVII.
fratris filium, suffecit adhucdum decennem, datis tutoribus, qui summæ rei præ- UDALRICUS
essent, donec ille adolesceret. Cum Eberhardo actum, ex auctoritate Cæsa- WIRTEN-
ris, uti vasis argenteis nepoti redditis, sex florenorum millia quotannis accipe- BERGICUS
ret. Is ad Philippum Palatinum profectus, sexto pòst anno obijt. Udalrico SABINAM
Cæsar Sabinam ex Alberto Sapiente & Cunegunde sorore neptem despondit, BOICAM
quam ille demum, ubi togam virilem, positâ prætextâ, induerat, domum duxit. DUCIT.
Idem à Suevici fœderis socijs, ob Reutlingam expugnatam, omni suâ provin-
ciâ exutus, post quindecim annorum exilium, armis Philippi Hassiæ Landgra-
vij fuit postliminio restitutus. Ex Sabinâ sustulit Christophorum, in Bavariâ *Reusn. in Ba-*
apud avunculos à pueritia piè educatum, pòst à Cæsaris aulâ dilapsum in Galliam: *silico.*
varijs casibus agitatum, tandem patris vitâ functi successorem.

Anno denique hujus sæculi postremo, bellum Helveticum contra Maxi- M. CCCC.
milianum Cæsarem exarsit. Ei gerendo Cæsar Legatum præfecit Albertum Sa- XCIX.
pientem. Id non probavere Suevi, qui, cùm inter Maximiliani fœderatos emi- BELLUM
nerent, indignum judicârunt, Suevico fœderi, cujus ipsi se ferebant principes, HELVETICŪ
Boicum caput imponi. Maximilianus, qui illos alieno tempore nollet irritare,
Albertum per speciem nova subsidia adducendi, ad sua tutanda dimisit haud in-
vitum: quippe cui non esset tutum aut integrum, venari invitis canibus, seque
ac publicam causam Suevis nihil ex æquo & lubentiâ facturis committere. Cer- SVEVIS IM-
tè bellum Suevis Ductoribus tam improsperè gestum est, ut Albertum suæ ab- PROSPERUM.
sentiæ non potuerit pœnitere. Belli hæ causæ fuere. Maximiliano, quem nupe-
rum Helvetiorum fœdus detrectantium responsum offenderat, novæ exacerba-
tionis causæ sunt exortæ. Jam à multis retro annis, permulti Principes & om-
nis ferè Nobilitas Helvetijs erant infesti, ob assertam armis libertatem. Constan-
tia ad lacum Podamicum, quæ hactenus abs Suevorum juxtà ac Helvetiorum so-
cietate abstinuerat, per eos dies se Suevis adjunxit. Accedebat ad veteres
simultates antiquum odium inter Athesinos Cæsaris subditos, & Grisones
Rhetiæ populum, quod ad eam diem nullis arbitris componi potuerat. Quam-
obrem Curienses Rhetorum primi, cùm se adversariorum viribus impares cre-
derent, Tiguri in publico conventu Helvetiorum fœderi se adsociavêre. Belli
initium apud Vennones, ubi Athesini Munsterthalium collegium invadere ten-
tantes, ab accolis repulsi cum aliquâ suorum clade. Locum illum Athesini ad LXIIX.
Maximilianum spectare contendebant, Grisones contrà eundem suo præsidio
adversus Athesinorum vim firmârunt. Curiensis Antistes, Cæsari quàm Hel-
vetijs addictior, eidem arcem Fustenbergam tradidit: unde ipsi grandis confla-
ta apud suos invidia. Cæsariani interim & Suevi Helvetios bello aggressi, oc-
cupatis aliquot locis, accersitisque utrinque auxilijs, cladem à Grisonibus accipi-
unt, amittunt Valdutzium, Maienfeldam, & alia. Gallorum Rex decem anno-
rum fœdus icit cum Helvetijs, Cæsar contrà novis auxilijs suos firmat, ductore

Alberto Duce Saxoniæ. Tirolij Rhenum trajecti, pagos aliquot agri Sangallensis exurunt fugatis Helvetijs: Constantienses, nonnullis vicis in hostico direptis & incensis, cæduntur, funduntur, fugantur: Athesini irrumpunt in fines Engaddinorum: Grisones contrà profligant Athesinos in Vennonibus, occisis quatuor hominum millibus. Denique multis cladibus ultro citróque datis & acceptis, pax sub exeuntem Septembrem convenit, læto Alberto Sapiente, quòd ab eo bello licuisset abesse.

Vitus Eberspergˌ. AN. M. D. Cæterùm Rupertus Comes Rheni Palatinus, Philippi Septemviri filius, Georgij Divitis Landishutani Ducis avunculi sui filiam Elisabetham hoc anno nuptum accepit, Alexandro Pontifice consanguinitatis gratiam faciente. Eæ nuptiæ, (uti suo loco docebitur) gravis belli seminarium fuêre.

Annum sæcularem ditavit thesaurus gratiarum cœlestium, qui ab Alexandro VI. orbi Christiano, ad delendas peccatorum noxas fuit expositus. Idem annus Carolum V. natum Gandavi apud Belgas, Philippo Maximiliani Cæsaris filio dedit 6. Cal. Martias. Sacro fonti fuit præsentatus Nonis Martij, Margaritâ Eboracensi, Caroli Audacis viduâ, Infantem ulnis gestante. Dextrum ejus latus claudebat Margarita Austriaca Hispaniarum Principis vidua, quæ non ita dudum cum Joannâ puerperâ ex Hispanijs redierat: sinistram tenebat Carolus Croyus Chimaci Princeps. Isti infantem à sacro fonte suscepêre unà cum Joanne, Bergarum ad Scaldim Toparchâ. Antistes Tornacensis Baptismatis undis tinxit; Chimacius Caroli nomen dedit, in memoriam proavi Caroli Audacis. Puero apud Baptisterium septem munera donata. Ducatus Luxenburgensis à Patre Philippo: Galea argentea à Carolo Croyo: aureus gladius à Toparchâ Bergensi: poculum aureum lapillis pretiosis refertum à Margaritâ Eboracensi: patera aurea margaritis & unionibus plena, à Margaritâ Austriacâ Philippi sorore, Caroli V. amitâ: Navis argentea quinquaginta pondo, omen futurarum opum Jndicarum: Novum testamentum ab Abbatibus, cum hâc Epigraphe; *Scrutamini scripturas.* Sparsa in multitudinem aurea argenteáque missilia ab Archiduce patre, à Senatu Gandavensi. A mercatore Gandavensi effusi panni serici.

NATALIS CAROLI V. *Ferreol. Locr. Chron.* BAPTISMUS.

LXIX.

COMITIA AUGUSTANA.

Maximilianus Imperator Augustæ Vindelicorum Comitia habuit, quibus quinquaginta Principes interfuere. Actum de bello adversus Bajazetem Christiani nominis hostem. Ei gerendo Cæsar Albertum Sapientem Legatum dixit cum amplissimâ potestate. Verùm id bellum, ut sæpe aliàs, intra meditationem stetit. Fœcundus hic annus fuit parturientibus. Una quædam Athesina novem uno partu liberos dedit, quos omnes sacro fonte ablutos, mox cœlum recepit, feliciùs renatos, quàm natos. Eadem anno proximè secuto undecim uno partu effudit, pari felicitate tinctos & cœlo transmissos.

PARTUS PRÆTER MOREM FOECUNDI.

Albertus Sapiens, cui nuptiæ Elisabethæ Landishutanæ, cum Ruperto anno superiore initæ, grandes rerum Boicarum turbas præsagiebant, auxilia cœpit circumspicere, quibus in tempore se júsque Boicum tueretur. Quamobrem omnia rimanti, potissima visa est Maximiliani Cæsaris benevolentia, de quâ cùm minimè dubitaret, cum eodem clàm egit, uti vellet, juberet, Georgij Landishutani Provincias iustis stirpis Boicæ hæredibus asseri, ubi Georgius sine virilis sexus liberis decessisset: Quâ super re impetravit litteras Imperatoris manu scriptas, dictante Neuhausero Alberti Cancellario. Nam Alberto innotuerat per Wolfgangum Kolbergium, Georgio Duci à secretis Epistolis, & supremum tabularij præfectum; Elisabethæ universas patris possessiones, dotis loco, testamento esse addictas, repugnantibus intimis rerum arcanarum consultoribus, inter quos Kolbergius, qui ob enunciatum testamentum, à Georgio fuit carceri mancipatus. Neque enim Georgij consilium probabant viri sapientes, quòd crederent, illud non modò ingens bellum esse pariturum, sed etiam improbatum iri, eò quòd cum familiæ pactis conventis, ipsâque Georgij promissione pugnaret, quâ ante annos aliquot Alberto caverat, fore, ut Boicæ inferioris imperium superiori junctum penes Albertum maneret, si prior Georgius sine masculâ prole migra-

LXX.

ret

ret è vita. Nec verò etiam Albertum latebat, Philippum Electorem pro asserendâ nurûs suæ dote, & firmandis Georgij tabulis, laborare. Quamobrem Albertus, ne suis duntaxat viribus, aut Cæsaris diplomate armisve niteretur, Sueviæ fœderatos traxit ad arma conatúsque sociandos, icto fœdere annorum duodecim, ubi rebus necessarijs in communes hostes usus esset futurus.

Maximilianus Cæsar de salute Imperij, & imminente à Turcis periculo sollicitus, anno hujus sæculi primo, ad 8. cal. Augusti, Norimbergæ rursus Conventum indixit. Pauci convenerunt, eóque nihil gestum dignum memoriâ. Postulata quidem fuit generalis collecta ad sexennium Augustæ indicta, sed vix fuit, qui quicquam conferret. Qui antè cœperant suas symbolas repræsentare in commune ærarium, compertâ aliorum negligentiâ, ipsi quoque eorum exemplum secuti, manus contraxerunt, súsque déque habitâ boni publici ratione. Sic expeditio in Turcas tam magnificis omnium sententijs nuper comprobata, stipendijs cæteróque apparatu destituta, in ventos abijt, Cæsare indignante. Visæ sunt hoc anno in Diœcesi Leodiensi, Dominicæ crucis effigies, subitò formatæ, in templis, in privatis ædibus, nigræ aliquando, aliàs rubræ, nonnunquam stillantes sanguinem, aliquando aureæ in vestibus virorum ac mulierum, in ipso vultu ac cæteris partibus corporis, etiam in pannis lineis, qui cistis clausi tenebantur; idque per complures dies. De ijs Leodiensis Episcopus Joannes Hornæus ad Maximilianum Cæsarem prolixam dedit Epistolam. Surius id spectri genus non in Eburonibus duntaxat, sed etiam per Germaniam apparuisse memorat, creditque fuisse prænuntium horrendæ pestilitatis, quæ anno sequente magnam hominum stragem passim edidit, fuitque in triennium propagata.

Trith. in Chron. Sponh. COMITIA NORIMBERGENSIA. CRUCIS IMAGINES PORTENTOSÆ. LXXI. *Surius in commentar. Naucl. Gen. 51. in fin. Suffrid. in Episc. Leod.*

Benigniore fato Hedwigis Princeps Regia è Polonico sanguine vivere desijt vitam acerbam multísque nobilem virtutibus. Fuit illa Georgij Landishutani Ducis uxor. Diem clausit 18. Februarij, ætatis anno quadragesimo, exemplum eximiæ venustatis, quam morum honestas & famæ intaminatæ integritas mirè nobilitabat. Pro omnibus vitæ humanæ delicijs fuit illi perpetua ferè solitudo. Eam Georgius Burghusij velut alteram Danaen clausam habuit instar thesauri, quem eodem loci servabat: quonam id spiritu, non memorant scriptores, non est tamen difficile suspicari. Ad eam rarò revisebat, raráque scribebat solatia. Illa liberata duplici ergastulo, migravit ad authorem veræ libertatis, meliore (uti bona spes) loco futura. Funus tumulatum in Cœnobio Ratenhaslacensi. Binas filias Georgio reliquit; alteram Elisabetham Ruperto Rheni Palatino Comiti, alteram Christo in Hohenaugiensi Parthenone nuptam.

HEDWIGIS OBITUS. *Steindel.*

Per id tempus oppressa est agrestium conjuratio, quæ à peronibus cognomen sumpserat, fex populi pestilentissima, quam nisi Cæsar in cinere gliscentem extinxisset, periculum erat, ne communi incendio totam Germaniam, tractis in societatem similis farinæ hominibus, involveret. Sine his Boica plus satis erat habitura turbarum ex discordijs intestinis, & bello civili, quo ultra biennium fuit concussa. Jam causas diximus ex Georgij Ducis Landishutani testamento, quod Heidelbergæ condiderat, anno præcedentis sæculi nonagesimo sexto. Posteaquam Georgius ejusce famam ad Albertum Sapientem manasse cognôrat, nec obscurè apparebat, illud haud parùm esse daturum negotij; quò foret firmior Elisabethæ filiæ hæreditas, si quando jure disceptaretur, à Maximiliano Cæsare magnis precibus contendit, quò testamentum ratum probatúmque esse vellet. Sed frustra fuêre preces. Ergo ut Rupertum generum armis & fœderibus muniret, nonnihil fecit bellici apparatûs, suísque partibus aliquos Principes conciliavit. Albertus è diverso, Sabinæ filiæ suæ nuptijs, & amplissimâ centum viginti quinque millium aureorum dote, Ulricum Ducem Wirtenbergensem sibi devinxit. In eandem societatem, præter Suevos, pellexit Fridericum Brandeburgicum Susannæ filiæ maritatum, & Wilhelmum Hassum, unáque Norimbergicam Rempub. trecentorum quindecim aureûm millium stipendio.

Bundschuech. CONSPIRATIO PERONARIA. A. M.D.III. BELLI RUPERTINI PRIMORDIA.

Archivum Monach.
LXXII.
RUPERTUS REGIMINI ADMOVETUR.

Dux Georgius, ut Generum rebus ipsis, & velut inchoatæ administrationi innecteret, eum Vicarij nomine secundæ Boicæ præfecit, adjectis viris illustribus & rerum usu peritis, qui consilijs adessent Ruperto jus dicenti. Hi fuere Sigismundus Fraunbergius Hagiensis Toparcha, Adamus & Seizius Toringij, Erasmus Seybolzdorfius, Joannes Closenus, & Joannes Bodmanus. Cæsar de eâ rerum conditione edoctus, Georgium ac provinciales 15. cal. Novemb. monuit, ne quid contra Imperij jura molirentur. Dedit etiam Albertus litteras ad inferioris Boicæ Ordines calend. Novemb. quibus eos jussit pactorum & antiquæ Boicarum ditionum partitionis meminisse, nec quicquam admittere, quo familiæ receptæ conventiones & Provinciarum consensus, violarentur. Interea manum equitum imposuit Kelheimio, Ductoribus Joanne & Andreâ Dynastis Sunnebergijs, tentavitque per suos secundæ Boicæ Nobilitatem ad communem de Repub. consultationem adducere, ratus, se haud difficili negotio persuasurum, ne se suámve operam liti perniciosæ miscerent. Verùm Georgio omnem conveniendi facultatem prohibente, Alberti oratores id duntaxat dedêre effectum, ut Principis Epistola in manus Equestris Ordinis deveniret. Frisingenses medias partes amplexi, neutris sua studia adiecerunt, Sixto antistite futuram tempestatem refugiente, & alioquin ab Alberti rebus alieno.

GEORGII DIVITIS OBITUS.

Fugger in Theatro honorario.

LXXIII
CAUSÆ MORTIS.

Hæc dum in eo sunt, Georgius 3. cal. Decembris, vitâ functus Ingolstadij, turbatam his motibus provinciam, & Rupertum Generum ex asse hæredem reliquit. Genus mortis curiosè exequitur Fuggerus in hanc sententiam. A. M. D. III. sub Archangeli Michaelis ferias, Georgius laborare cœpit è stomacho. Medici vocati in consilium, morbi causam retulêre in certamen equestre, quo Georgius cum Cæsare congressus, aliquot hastæ propilatæ graves ictus adverso pectore exceperat Norimbergæ. Id mali, quod ex contusione credebatur coaluisse, dicebant, non nisi calido balneo posse dissolvi. Itaque Georgio persuasêre thermas Badenses, tametsi se jam Autumni frigus intenderet. Jam Lavingam ducentorum equitum præsidio stipatus pervenerat, cùm illuc Ulmâ evocat Stockerum ævi sui Æsculapium, ejúsque sententiam super thermarum usu exquirit. Ille id remedij genus improbans, apertè denuntiat, ultima Georgio imminere. Ergo mutato consilio, reversus Ingolstadium, secundo Danubio, per citatos cursores Haidelbergâ Philippum affinem, & Rupertum Generum advocat, certus, huic confestim rerum summam deferre. Convenêre eodem Provinciæ proceres, de eo maximè satagentes, ut ne in Georgij exequendâ voluntate aliquid oriretur tumultûs. Missa per omnem provinciam mandata, ut urbes, oppida, & quotquot tractandis armis erant apti, ad omnem casum forent expediti, quarto quoque ad primum classicum centuriato.

BELLI APPARATUS.

Albertus jam antè ad Georgij consilia pervigil, simul ut accepit, quid Ingolstadij, quid in Secundâ Boicâ agitaretur, suos quoque jussit esse in procinctu, & Cæsarem de re totâ admonuit. Fœderatorum deinde ope imploratâ, misit ad Georgium Legatos, qui conceptum de ejus morbo dolorem testati, precarentur salutem vitámque longiorem, simul orarent, dignaretur eorum, quæ ante annos aliquot convenissent, non oblivisci. Legati ne in conspectum quidem à Georgio admissi, ne quid ingratum pugnánsve cum animi sui decretis audire cogeretur. Cùm verò is morbum ingravescentem in horas magis magísque sentiret, nec vellet differri generi sui negotium, jussit confici ter mille trecentas tabulas in omnem Provinciam spargendas, quibus testabatur, se Ruperto Principatum transcribere. Eas Wilhelmus Rorbachius, clàm in Albertum pronior, vitiosas causatus, Georgio persuasit, parùm olim roboris habituras, nisi magis disertâ cautione adversus futuras cavillationes munirentur. Quo astu id consecutus est, ut quantumvis properantium Notariorum manus & in transcribendo diligentiam, mors Ducis anteverterit. Jam antea convocaverat ex omni Nobilitate præcipuos, à quibus plerísque obtinuit, ut jurati reciperent, se pro Ruperto omni ope laboraturos. Ad extremum, actum de futuræ vitæ negotijs, ne impa-

Brunner. in Excub.
RORBACHII INDUSTRIA.

LXXIV

imparatus ex præſenti migraret. Accerſitus in eam rem è D. Franciſci contubernio animi medicus, qui functurus officio, antequam confitentem audiret, Principem rogat, utrùm omnem prorſus in quoſvis iram & vindictæ deſiderium ex corde eliminârit? In omnes, inquit, excepto Duce Alberto meo patruele, qui me ante annos aliquot induxit, ut ſibi meas ditiones transſcriberem, ſi prior ex hâc vitâ decederem. Atqui, inquit conſcientiæ moderator, & huic ignoſcendum, alioqui nihil agimus: neque enim cæleſtis pater nobis delictorum noſtrorum veniam faciet, niſi viciſſim nos fratribus noſtris faciamus. Certatum utrinque verbis, cúmque ſacerdos nihil impetraret, re infectâ diſceſſit. Ergo accerſitur alius vir facundus, eruditus & humanus, primæ olim apud Principem admiſſionis, quòd ejus conſuetudine, ob ſermonis lepores, recreabatur. Ille ſtatum ægroti edoctus, Duce ſalutato, poſt pauca ad rem maximè urgentem delapſus, quærit, pacémne cum Deo & hominibus impetratâ donatâque admiſſorum veniâ, compoſuerit. Negat Georgius: Sed, infert ille, mi Princeps, illud eſt, quod agendum nunc quàm maximè. Jam iminemus æternitati, eundum eſt ad exquiſitiſſimum ſumi Judicis examen: apud hunc nihil poſſunt Imperatorum, Regum, Principum quantalibet nomina: omnibus ex æquo jus dicit. In hoc rerum articulo, nemo, præter ipſum, Dominus aut Princeps eſt; tunc omnis dignitas, poteſtas, honor ad rigidi tribunalis ſcabellum jacens proſternitur. Illic nihil eris, niſi merus nudúſque Georgius: ſupereſt, ut te ad hæc ipſe inſtruas, talem experturus in te prætorem, qualem te in alios præſtiteris. Si Albertus magna in te deliquit, fortè tu maiora in illum, atque etiam in plures, & nominatim in tuam uxorem, quam afflixiſti conjugij fide non ſatis per te obſervatâ. Non abſolvet te Judex cœli, niſi cùm deſieris proximos accuſare: amabit te, ubi tu eos odiſſe deſieris: verbo, agitur de æternitate, tuum eſt ignoſcendo felicem, aut odio miſerrimam comparare. Hâc oratione acriter monitum Deóque commendatum reliquit. Georgius horas aliquot in coquendâ illâ admonitione conſumpſit, tum haud pauló ſedatior, ſuum monitorem revocans, ſacris ad aram operantem audijt. Ubi pervenerat ad eam ſacrificij orationem, quâ Agni cœleſtis, qui tollit mundi peccata, miſericordia imploratur, Georgius decumbens juſſit debile corpus per ſuccollantes miniſtros attolli, ſibique reſidenti, ex Altari de cruce pendentis Chriſti imaginem porrigi, quam manu prehenſam, inundatus lacrymis religiosè deoſculans pectori appreſſit, præſenteque Aulâ & toto Senatu: Jam (inquit) ò Chriſte Ieſu, in cui gratiam & meam ſalutem, omne penitus odium depono, omnibúſque generatim & ſingulis ſpeciatim ignoſco, quicunque me vel meos injuriâ damniſve vexârunt, ſeu facto aut verbis quomodocunque læſerunt. Eorum tu quoque miſerere, méque cum illis ſinu tuæ clementiæ excipe. Tum expiatus, ſacróque Dei corpore refectus, & aliquammulta clarâ voce precatus, cœpit cum morte confligari, ac tandem fractus animam exhalare. Ejus mors ſtudio clàm habita per triduum. Menſæ de more tanquam vivo illatæ, ſolita miniſteria exhibita, donec Senatus, quæ decreverat, eſſet executus. Exenterati viſcera in D. Virginis æde Ingolſtadij condita; funus Landishuti ſepultum. In ventriculo repertus lapis ad oui magnitudinem, Principi lethalis, medicorum judicia correxit. Exinde jure armiſque cœptum agi inter relictæ hæreditatis competitores. Albertus & Wolfgangus fratres jure agnationis, pactorum, & Cæſarearum tabularum nitebantur; Rupertus defuncti teſtamento.

Georgius ad mortem disponitur.

LXXV.

Georgii mors.

Die 5. Nonas Decemb. Ulmæ in Fœderatorum Conventu, Cæſar Alberto Duci in vacuas defuncti Provincias jus clientelare impertijt, deditque mandata ad Boicæ inferioris Ordines, ne quid adverſus Imperij Feudorúmve leges aggrederentur. Altera dedit nono Decembris ad Rupertum ejuſdem argumenti. Econtrà Ingolſtadienſes per expeditum equitatum invadunt arcem Burghuſinam, quò Georgius multorum annorum parſimoniam comportârat: ſimul fuit impoſitum pro Ruperto præſidium caſtro Landishutano. Secundum hæc Ordines ſecundæ

Albertus Boicæ secundæ beneficio investitur a Cæsare. Burghusiū à Ruperto invaditur.

secundæ Boicæ, Idibus Decembris Landishutæ collecti, Provinciæ præfectos in sua verba adigunt, misśâque ad Rupertum legatione, rogarit, velit pro juris sui defensione Oratores mittere ad Cæsarem, & ab adeundâ Principatûs possessione ejusdem injussu abstinere: Penes Ordines interea fore rerum summam; quâ de re Maximilianum quoque fecêre certiorem. Rupertus nihilominus coràm ab Ordinibus semel iterum contendit, ne quicquam moræ facerent, quominus ilicò in

LXXVI Ducatum, velut Successor legitimus, admitteretur: verùm illi, acceptâ ad deliberandum procrastinatione, petivêre à Cæsare, ut de disceptantium jure cognosceret, rogarúntque discordes Principes, ut ejusdem sententiam quieti expectarent, ne Provinciam belli calamitatibus, & causam ipsi suam intempestivâ vi labefactarent. Dum causa per istas ambages ad hujus anni finem ducitur; Alberti partiarij validas suppetias promisêre, in procinctu futuri, ubi primùm Cæsar judicâsset armis esse decernendum.

M. D. IV. Ipsis anni quingentesimi quarti calendis, Rupertus rursum tentavit Ordinum animos ingenti rerum optimarum pollicitatione: verùm illi obtendentes mandata Cæsaris, respondetunt, se ab hujus auctoritate non posse sine crimine discedere, non omissuros tamen, quin per suos Legatos ad diem Augustæ Vindelicorum constitutam, pro virili Justitiæ partes tueantur. Senatus igitur quinto Februarii datus causæ disceptandæ coram Cæsare, Septemviris, Principibus, & Cæsareo consilio. Adfuêre quoque frequentes Suevicæ sodalitatis reguli, Dynastæ & Oratores. Pro Alberto & Wolfgango peroravit Gregorius Lamparterus Jurisconsultus, Ducis Wirtembergici Cancellarius: pro Ruperto Leonardus Egloffstainius Bambergensis & Herbipolensis Canonicus. Primâ actione postulata immissio in defuncti Georgii hæreditatem nomine fratrum Alberti & Wolfgangi, jure proximæ agnationis. Postridie negavit Ruperti Patronus, eos jure hæredes posse haberi, quando Elisabetha filia sanguine propior esset defuncto parenti, & tam ipsa, quàm maritus Georgij testamento scripti essent hæredes bonorum omnium, in quibus haberentur non modò Cæsarea beneficia, sed etiam nonnulla juris præcipui sive eximiæ immunitatis, quæ legibus censentur, Allodialia: Esse præterea aliqua pretio per Georgium aliósque comparata, alia beneficia seu feuda communia: plura, nullo nexu Imperio mancipata, & qualiacunq; demum essent, in Cæsaris potestate esse Elisabethæ hæredi institutæ de iis gratificari: deinde hæredes scriptos jure repetere feudorum augmenta, seu (ut vocant) meliorationes, vel earum æstimationem: denique hæredem ante omnia mitti debere in possessionem.

Lis coram Cæsare agitur.

Prima actio.

Secunda actio.

Septimâ Februarij responsum pro Alberto, non esse dubiam ejus fratrísque agnationem, feudis nobilibus & præcipuæ dignitatis fœminas lege repelli; testamentum verò de feudis, citra domini consensum, perinde nihil prorsus adimere

LXXVII. posse hæredibus necessariis atque proximæ agnationi. Insuper res mobiles cedere Principatui: Feuda item dignitatum, & quæ certis finibus non sunt limitata, comprehendere bona omnia qualicunque ratione quæsita, eò quòd omnia Cæsaris servitio sint mancipata; ab omnibus in jus vocari subditos, peti regalia, eadémque ratione ab omnibus esse unius formæ appellationem: omnia à Domino, beneficij nexu conferri: Præter hoc inspiciendam esse primam transactionem, sancitam in prima Ducatûs divisione, unde clarè eluceat, Ducum atque Ordinum consensu olim convenisse; ut feuda remanerent penes Seniorem; ut certus modus servaretur in tabulis supremæ voluntatis in gratiam uxoris aut aliorum: ut successio reservaretur Agnato proximo, cum obligatione dotandi filias, qui mos usúsque in Domo Bavaricâ esset reipsâ receptus: Denique, ne cuiquam liceret quicquam statuere aut disponere huic pacto repugnans. Postremò, id pactum fuisse confirmatum non ita pridem inter Duces Ludovicum & Albertum Seniores, quando conventum est de hæreditate Ducum Ludovici Patris Ingolstadiensis, & filii item Ludovici Moretanij Graispacensis Comitis. Nonâ ejusdem mensis, Rupertus Soceri testamentum produxit, asserens, filias jure divino & naturali

ad

ad ſucceſſionem admitti. Adductam ab adverſario tranſactionem pugnare cum legibus, eâque duntaxat primos fratres, non eorum poſteros ligari, eandem de filiæ dote certi nihil conſtituere. Pacta de futurâ ſucceſſione à jure improbari: ab eâ fœminas invitas, & injuratas non poſſe excludi, quæ ne conſuetudine quidem in Bavariâ excludantur. Et ſi quid ea tranſactio valuiſſet, eam tamen in deſuetudinem abijſſe, & uſu contrario eſſe ſublatam: nec verò etiam per illam potuiſſe antiquari condendi teſtamenti facultatem omni jure permiſſam. Repetijt eâdem actione Advocatus, quæ de bonis mobilibus, liberis, emptis, in meliorem ſtatum redactis, hæreditarijs, déque favore domini ſextâ Februarij dixerat. Adjecit aliqua de debitis & hypothecis, de jure inveſtituræ, quæ non niſi clientelas comprehendat, neque confundat Allodialia; & hæc quidem per ſubjectorum ſervitia, convocationes aut appellationes non tranſire in Feudorum conditionem, ſive hæc certis, ſive incertis finibus ſint conſtituta. Denique nihil eſſe novum, fœminas in Feudorum dignitatem admitti. Id patere ex Hollandiâ, Carinthiâ, Tiroli, aliunde. ACTIO TERTIA.

Duodecimâ Februarij, Lamparterus repoſuit, in Feudis attendi leges Feudales, per quas non Moſaicis duntaxat, ſed etiam priſco gentium juri ſit derogatum. Binos fratres eſſe hæredes Feudales: Dominum non poſſe gratificari fœminis, quoties extant Agnati melioris ſexûs: Fratrum pacta valere, tametſi agatur de ſucceſſione; dotes Boicarum Principum præſtari à Provincialibus, eóque tolli dubium, an earum ſumma ſit in Bavariâ uſu recepta. Præter hæc, exhibuit litteras Georgij Ducis, quibus admiſit obligationem & inſtitutionem Ducis Alberti: legitimum verò hæredem, aut inſtitutum, in poſſeſſionem debere immitti. QUARTA ACTIO, LXXVIII.

Decimâ quartâ Februarij, Egloffſtainius ad priora hæc addidit: Georgij litteras nihil prodeſſe, extantibus liberis: Rupertum, mandato Ducis Georgij, arces Landishutanam & Burghuſinam occupâſſe. Cæteroqui exhibuit indicem bonorum ab eodem coëmptorum. Tandem concluſæ actiones, ab Alberto quidem & Wolfgango decimâ ſextâ, à Ruperto verò decimâ ſeptimâ Februarij. QUINTA ACTIO. CONCLUSIO.

Secundum hæc, tranſactis Hilaribus, tentatâ in caſſum in oppido Aichâ inter diſſidentes amicâ compoſitione, dies utrique dicta feria quarta poſt dominicam tertiam dierum eſurialium. Albertus, repetitis, quæ prioribus actionibus produxerat, repræſentavit diploma, Cæſaris manu, anno M. CCCC. XCVII. Kaufburæ exaratum, quo diſertè reprobabat omnem diſpoſitionem ſive præteritam, ſive futuram Ducis Georgij de ſuo Ducatu, ſi quicquam in damnum injuriámue filiorum ſororis ſuæ Cunegundis Wilhelmi & Ludovici ſtatueret. Dux Rupertus ſimilem repetitionem cùm detrectaret, Cæſar auditâ Judicis & Aſſeſſorum Cameræ Imperialis ſententiâ, juſſit adeſſe partes die vigeſimâ Aprilis, quando in Auguſtanâ Curiâ pronuntiatum de poſſeſſione capiendâ, in hæc verba: *Poſteaquam nos Maximilianus Romanorum Rex, in causâ inter Albertum & Wolfgangum Bavariæ Duces, & Rupertum item Ducem Bavariæ ejúſque conjugem, per ſingulas diſceptationes nobis audientibus habitas, clarè intelleximus, Georgium Bavariæ Ducem, bonæ memoriæ, nullum Agnatum, propiorémque Feudorum hæredem, quàm Albertum & Wolfgangum, poſt mortem reliquiſſe, cùm & ijſdem Alberto & Wolfgango, prædicti Georgij Principatum, acceptâ ab jis obſequij clientelaris fide, conceſſerimus, His alijſque juſtis, quæ nobis propoſitæ fuêre, cauſis permoti: Nos, utpote Romanorum Rex, & legitimus Feudorum Dominus, juridicè declaramus, decernimus, præfatos Albertum & Wolfgangum Duces, in jam dicti Georgij Ducis relictorum Principatuum Superioris & inferioris Bavariæ, aliorúmque omnium Comitatuum, Dominiorum intra & extra Bavariam, quæ Dux Georgius noſtro & Imperij beneficio obtinuit & poſſedit, abſque omni quorumlibet exceptione, poſſeſſionem immitti debere, prout vigore hujus noſtræ ſententiæ eos immittimus, & pro immiſſis haberi volumus. Nobis tamen tanquam Romanorum Regi, poſt executionem noſtræ juridicæ ſententiæ, pro noſtro intereſſe, quatenus noſter Fiſcalis aperiet, actionem, quantum de jure competit, reſervantes.* Publicata CITANTUR PARTES AD TRIBUNAL CÆSARIS. RUPERTUS VADIMONIAM DETRECTAT. CÆSARIS SENTENTIA. LXXIX.

licata fuit hæc ſententia præſente Duce Wolfgango, in contumaciam Ducis Ruperti, per Cæſareum apparitorem publicè citati. Secuta dein Cæſareì fiſci Procuratoris accuſatio, quâ Rupertum Ducem, ejus uxorem aliósque, ſuſceptæ per vim, in invadenda Landishutâ, Dingolfingâ, Moſpurgo, aliisque locis, expeditionis participes, reos egit læſæ Cæſareæ Majeſtatis, quam accuſationem excepit Cæſarea proſcriptio Ruperti, complicum, adjutorum, conſultorum, conſpirantium, auxilium aut favorem præſtantium, veluti manifeſtè rebellium, pacis publicæ legúmque violatorum, contemptorum Cæſareæ Majeſtatis, & contra Rempublicam facientium.

PROSCRIPTIO RUPERTI ET COMPLICŪ.

Poſt cauſam Ruperti Ducis & Palatini Comitis iſto judicio confixam, ventum ad arma. Septem omnino fuêre exercitus, pars ad Rhenum, pars in Boicâ. Copiæ Ruperti, qui ſimul undique premebatur, pleræque in præſidijs vel in excurſionibus occupabantur, & vexandâ ſuperiore Boicâ. Albertus & Wolfgangus ſuas habuêre in caſtris. Fridericus Brandeburgicus cum filijs Caſimiro & Georgio, Palatinum agrum in Norico habuêre infeſtum. Norimbergenſes Novoforum invaſerunt. Haſſiæ Regulus Haidelbergæ confinia vaſtabat: Udalricus Wirtenbergicus arcibus & oppidis aliquot ad Rhenum frenos injecit. Cæſaris miles, quæ Comes Palatinus antè in Alſatiâ occupârat, recepit. Sueviæ fœderati Alberto miſêre ſuppetias. Ruperto conſilium erat bellum extrahere, quòd crederet, ſe Georgij ærario potitum, tandem Alberti minimè pecunioſi vires opéſque cunctando exhauſturum, ubi ſtipendia defeciſſent: atque tum quidem non fore operoſum, belli nervo deſtitutum ad æquas iniquáſque pacis conditiones adigere. Animum generoſi Principis accendebant ferocium conſultorum æquè feroces ſententiæ; non minuebant tamen curas juvenis rerum adhuc inexperti, quæ ſuâ denique ipſum mole, annis, formâ, morum amœnitate, ſuorum benevolentiâ & præſtantiſſimâ indole florentem, hoc anno oppreſſerunt, ingenti partium, ejus immatura fata lugentium, mœrore.

BELLUM APERTUM. RUPERTUS MORITUR.

LXXX. Id quo pacto evenerit, paucis exequar. Albertus Sapiens conſcius pronuntiandæ à Cæſare geminæ ſententiæ, primæ quidem de poſſeſſione adeundâ; ſecundæ verò de Ruperto proſcribendo; relicto Auguſtæ Wolfgango fratre, 14. cal. Majas, cum trecentis equitibus, ſub veſperum, ex urbe digreſſus, intempeſtâ nocte Fürſtenfeldam advenit. Poſtero diluculo, Monachium diſceſſit, coëgítque ſub ſigna militem, paucis pòſt diebus luſtrandum.

Rupertus per idem temporis, per Georgium Wisbeckium, Oetingam & Craiburgum loca indefenſa ſui juris fecit, indéque caſtra movit ad obſidendum Brunovium. Prima illi cura, intercipere aditum Alberti ſubſidijs, ne quà urbem ingrederentur. Ergo miſſis, qui remotiorem pontem, quo Oeni brachium agro confini jungitur, exurant, poſtulat à civibus extemporaneam deditionem. Repulſam paſſus, auctore Platnero cive annoſo domi militiǽque præſtanti, curules machinas mœnibus admovet. Blaſius Roſenſtingelius Ranshovienſis, præclariſſimi hodie D. Auguſtini Canonicorum Aſceterij, primo à Brunovio lapide, Præpoſitus, vir ætate grandi, manſuetis potiùs pietatis ſtudijs, quàm Bellonæ aſſuetus, operam dabat Numini per orationem propitiando, in ſuo conclavi, cùm primum obſidentium fulmen in Brunovij murum detonuit. Bonus ſenex fragore territus, ac credens ſe fulmineo telo contactum, tantum virium languorem contraxit, ut paucis pòſt diebus candidam animam exhalârit. Pergebat interea Wisbeckius Brunovij mœnia arietare, jámque aliquam ſtragem ediderat, cùm cives, obſtructo hiatu, non tantùm ſe ad excipiendam impreſſionem comparârunt, ſed factâ etiam eruptione, hoſtem ſunt auſi laceſſere. Adfertur inter hæc Wiſbeckio, Erdingam ab Alberto obſeſſam in ultimo verſari diſcrimine, niſi mox ſuccurratur: quamobrem ille, omiſſâ Brunovij oppugnatione, convulſis ſubitò ſignis, illuc advolans, in itinere comperit, loco jam dedito, ſera fore auxilia. Brunovienſes porrò 7. Idus Junias obſidione ſoluti, in Alberti verba jurârunt.

Chron. Ranshovien. OBSIDIO BRUNOVIJ.

LXXXI.

Ruper-

Rupertus collectos ad Rhenum sexcentos equites & trecentos pedites, Ambergam, atque inde Neoburgum adduxit. Eum cives haud gravatè admissum mœnibus excepêre sub Majum ineuntem. Pari facilitate Rainam ab Ottingero Præfecto traditam invasit.

Fridberga à Georgio Gumpenbergio, Aicha à Cæsarianis occupatæ, in Alberti fidem concessêre. Fridericus Brandeburgicus Hiltpoltstainium redegit in suam potestatem. Wasserburgenses, suadente Georgio Preisingio, spretis arroganter Alberti litteris ac copijs, toto hoc bello, hostium partes fuêre secuti. Lavingæ ægrè persuasum, ut manus daret Cæsari. Gundelfinga dedita à Joanne Stadione: Haideca à Guilielmo Wolwarto: Wemdinga à Georgio Rechpergio: Monheimium à Gruggenhofio: Weissenhornium & Kirchberga à Comite Philippo Kirchbergio: Baldera & Stauffa eodem pacto venêre in Cæsaris manus. Georgius Reindelius dedidit Cronspergam: Leonardus Rorbachius Wollenzachum: Bernardinus Stauffius tradidit Ingolstadium, quicquid contrà Palatini molirentur. Eodem ad Albertum missi subsidio ab Electore Friderico Saxone ducenti equites, ductore Joanne Wilsdorffio: Fridericus Marchio Brandeburgicus id loci suas cum Alberto copias conjunxit. Jam antè Boicus exercitus ad Donawerdam castra habuerat, captóque per transennam Schrobenhusio, moverat Pfaffenhovium, unde Dorfenâ & Mosenâ à Joanne Comite Sonnenbergio expilatis & concrematis, miles Monachium reductus, trajecit in agrum Suabensem, Majo ad exitum properante. Per idem tempus ab Alberto jussi Provinciales coire in suas centurias, & ad ferias D. Viti proximas ad Ducis imperia esse parati. Paulò antè Christophorus Laimingius coactus fuit ad faciendam Ratenbergæ deditionem. Inter hæc Ulricus Dux Wirtenbergicus, subactâ cœnobii Maulbrunnensis munitione, Leonstainio, Neostadio ad Cocherum, Weimbergâ, locísque aliis; miserè vastabat Philippi Electoris Palatini ditiones. Navatæ operæ præmium tulit arcem Helestainiam & oppidum Haidenheimium. Nihilo mitiora passi ab Hassiæ Landgravio agri Palatinenses, deformati prorsus ad usque ipsa mœnia Haidelbergæ. Similis sors fuit Hagensis in Boicâ Comitatûs, donec Leonardus Comes Sigismundi filius à Ruperto Duce transitionem fecit ad partes Alberti. Hæ ferè fuêre mensis Maij in miserorum fortunas progressus minimè vernantes.

Varia loca Alberto deduntur.

LXXXII.

Itum, ineunte Junio, plenis castris in Ampfingensem agrum: capta mox Zangenberga, Neoforum exustum, Eggenfelda, Pfarkirchium, Reichenberga, tota vallis Rottalia redacta in Alberti potestatem, universâ passim nobilitate ad ejus partes receptâ. Dehinc in agro Brunoviensi militi data aliquot dierum quies & stipendium.

Minùs prosperè res gerebantur ultra Danubium. Bavari à Palatinis velitari conflictu in fugam effusi, ad Sylvam Bohemicam, è suis aliquot desiderârunt, Walprunnio ductore sauciato & in captivitatem abducto. Norimbergensium conatus, in obsidendo Neoforo, cessêre in irritum; obsessis sese magno animo tuentibus. Ad hostem etiam accessêre è Bohemiâ septingenti equites, pedites quingenti, Regis injussu, Ductoribus Henrico & Theodorico Guttensteinijs. Alberto item Sternbergio & Joanni Weitmulio Landishutanis, absente exercitu, relicta facultas latè excurrendi. Vastârunt agros incendijs rapinísque ad usque Pfaffenhovium, quod ipsum subjecêre flammis: unde certatim post hæc mutuis conflagrationibus cum immani colonorum detrimento. Sub nonam Junij Fridburgum, cui Joannes Trucsessius Wolhusius præerat, ab hoste incensum. Per eos dies Landavium ab Alberto expugnatum, cessit militari direptioni: Rosenheimium à Monacensibus occupatum.

Clades Bavarorum.

Ad decimum tertium Julii, Albertus castra locavit ad Altorfium è regione Landishutæ. Initio, majoribus utrinque tormentis fulminatum, tandémque, Landishutanis justo numero erumpentibus, acriter pugnatum. Victores è conflictu excessêre Bavari, quæ res urbem ipsúmque Rupertum vehementer per-

culſum permovit, ut dimiſſo Georgio Wisbeckio, exercitum cum amplâ pote-
ſtate Georgio Roſenbergio demandaret. Signis inde refixis, Albertus te-
tendit ad Mospurgum, dies omnino duodecim, ut fatigato militi ſpacium da-
LXXXIII. ret reſpirandi. Inter hæc Hala dives à Petro Froſchelo Alberto permiſſa. A-
ſperſus fuit ſubinde Philippus Epiſcopus Friſingenſis ſanguinis Palatini aliqua ſu-
ſpicione, quaſi clancularia conſilia cum Ruperto agitans, Monachio inſidiare-
tur: verùm præter malè ſartas opiniones nihil repertum. Venêre inter hæc
Alberto nuntij, de Schwanigdorfenſibus repentè per Bohemos oppreſſis vaſta-
tiſque. Landishutani rurſus excurrentes, flammis graſſati, ad Monachij con-
finia auſi prædas proferre, quibus tamen non ſine ſuorum ſtrage ad pagum Frei-
mannum fuêre ab Albertinis exuti. Per id tempus Cæſariani, ductu Petri Wil-
helmsdorffij, arcem Kirchbergiam deditione acceperunt: Præfecturæ Hageno-
enſis decem civitates, & pagos ſexaginta præterea redegerunt in Maximiliani
poteſtatem. Eandem fortunam ſubiêre Mortenavia, Offenburgum, Ge-
genbachium & Zella. In Alſatiâ Ulricus Wirtenbergius Beſeccam & Wins-
bergam expugnavit: Haſſus ultra trecentos pagos Palatino exuſſit. Famâ paſ-
ſim diditâ, Palatinis magnas ſuppetias è Bohemiâ adventare, ductore Colobra-
tio ſupremo Epiſtolarum Magiſtro, qui decem aureûm millibus emptus ad ho-
ſtem defecerat, Cæſar ad belli emolumentum pertinere ratus, ſi Palatinis Neo-
burgum, quo Danubium frenabant, excuteretur; Albertum monuit, ne ante
Bohemorum adventum ejus occupandi occaſionem negligeret: Quam ob rem
Albertus Cæſaris authoritatem ſecutus, Auguſto menſe, caſtra Urbi admovit:
verùm cùm aquarum illuvies, ex continuâ propè nimborum inundatione coor-
ta, ingentia militi incommoda faceſſeret, omiſsâ obſidione fuit abeundum. Ca-
ſtra inde ad Ingolſtadium mota. Eodem menſe Joannes Pienzenavius arcem
Kuefſtainiam hoſti, non magnâ vi adactus, permiſit, niſi (quod aliqui volunt)
farta triginta aureorum millibus machina ejus fidem expugnavit; quæ res illi
demum exitio fuit. Aurburgum & Rotenberga auſa belli aleam experiri, ma-
gnum nomen Præfectis Parciſaldo, Urfarero, & Gaſpari Laubenbergio pepe-
rerunt.

Dum Albertus ad Danubium de hoſte reprimendo ſatagit, Bohemi in No-
rico Lengfeldam compellunt ad deditionem, firmántque præſidio, donec pro-
fligati, arce crematâ abiêre. Idem fruſtra oppugnavêre Sultzbacum. Amber-
genſes Schmidmilam ſubegêre. Jam Sueviæ Fœderati agebant pro Alberto re-
miſſiùs: negatis enim Marchioni Brandeburgico ſubſidiis, quæ operoſum erat
impetrare à mercenario milite, qui jam aliquoties in caſtris, immo ſub ipſis Al-
berti ſignis, intráque Monachij muros tumultuatus, ægrè fuerat compoſitus. Ea-
propter Cæſar, ne longiùs iſta defectionis initia ſerperent, cum Suevicæ Socie-
tatis conventu putavit eſſe agendum, ut, quam cœperant operam, eandem
porrò ad belli finem perſeverarent.

Brunovium Palatinis deditum. Chron. Ranshov.

Inter iſta alternantis fortunæ ludibria, grave vulnus Alberti rebus fuit in-
flictum intempeſtivâ Brunovij deditione. Ejus oppugnatio cœpta 17. cal. Septem-
bres, à Burghuſinis mille octingentis, quorum plurimi erant ex colonis tumul-
tuario delectu centuriatis. In urbe curabat Georgius Comes Helfenſteinius
cum exiguo admodum præſidiariorum numero; ſeptuaginta circiter fuiſſe me-
morant. Numerum minuerat ſpectatus nuperâ obſidione ardor civium, quos
LXXXIV. frequentiore contubernio onerare Albertus ſupervacaneum eſſe crediderat. Co-
mes paucitati diffiſus, cùm graviter jam ab hoſte premeretur, à Scherdinganis
quatuor centurias, propoſito, quod ſtatim numeraretur, ſtipendio, per Gaſpa-
rem Wingerum irritus rogavit. Albertus, gliſcente in exercitu ſeditione, au-
xilio advolare non potuit. Id vertit in ejuſce præſidij perniciem. In ejus de-
ſcribendâ oppugnatione, aliqui ſtylo ſuo ac genio potiùs, quàm vero indulgent.
Rem deſcribam ex Auguſtini Colneri viri prudentiſſimi Commentarijs, & mem-
branis Ranshoviani Cœnobij, in cujus conſpectu res geſta eſt. De Wisbeckio,

quem exauctoratum ex Monacensi tabulario diximus, nulla prorsus mentio apud dictos authores. Ranshovij annales Theodorici Wizlebij meminerunt. Primus obsidentium labor fuit in ponte, qui Oenum jungit urbis mœnibus, expugnando. Hostis intempestæ noctis beneficio rem aggressus, sensit se cum viris cordatis certare: nam fortiter ab excubitoribus exceptus, ac subinde augescente propugnatorum numero, repressus, non tam virtute, quàm multitudine acerrimè resistentes, inter creberrimas tormentorum procellas, non suorum sanguine loco dimovit, ignéque subjecto, sublicij pontis usum obsessis ademit. Clauso ex eâ regione urbis aditu, Burghusini castra in Aquilonari Oeni ripâ locavêre ad Symbachium; unde loci, omnis commeandi libertas obsessis fuit intercepta. Dispositis dehinc in suas sedes fulmineis machinis, noctes atque dies continuata muri verberatio; donec pars mœnium unâque turris procubuit. Muri stragem excepit cruenta impressio. Sauciati utrinque bono numero, cæsi ex hoste permulti. Ex ijs quinque duntaxat in urbis fossâ desiderati. In eâ sparsi murices haud paucos lancinârunt. Protractâ demum in diem duodecimum obsidione, Comes Helfenstainius cum hoste deditionem orsus pacisci, vigesimâ octavâ Augusti, hoste recepto, cum omni præsidio & sarcinis, militari lege urbem est egressus. Miles Scherdingam, ipse ad Albertum profectus. Eodem penè momento, quo hostis loco potitus est, advenêre recentia quadringentorum Bohemorum auxilia victoribus. Albertus eam jacturam, velut ignaviâ Comitis Georgij deproperatam, tulit ægerrimè, eò maximè, quòd inconsulto Gaspare Winzerero & Christophoro Ungeltero, in hostis colloquium & pacta deditionis venisset.

LXXXV. *Ruperti et Elisabethæ mors.*

Hæc dum in eo sunt, Albertus, abducto rursus à Neoburgo in agrum Eistettensem exercitu, Donawerdæ cum Fœderatis consultans, per certos nuntios accipit, Rupertum 13. cal. Septemb. præter omnium expectationem è vivis Landishuti cruento alvi profluvio sublatum. Agebat tum Rupertus annum quartum supra vicesimum, Princeps præclarissimus, benignus, tractabilis; ante matrimonium Episcopatui Frisingensi destinatus. Elisabetha uxor altero mox mense 17. Cal. Octobris est secuta eodem lethi genere (si fides est Kolnero, qui eodem isto tempore vixit, & scripsit Alberto à secretis) non verò in gemellorum nixu, aut veneno, quod alij prodidêre. Ruperti casus Fœderatos, qui abitum meditabantur, in castris retinuit.

Bellum continuatur.

Bellum igitur, quod Ruperti morte videbatur haud ægrè posse sopiri, à Philippo Septemviro ejus parente continuatum, novis animis cœpit excitari. Sustulerat ex Elisabethâ Boicâ Rupertus tres filios, Rupertum in cunabulis extinctum, Othonem Henricum natum Idib. April. anno hujus sæculi secundo: Philippum Bellicosum natum prid. Id. Novembr. anno tertio supra M.D. De horum jure susceptum ab avo certamen. Ejus copiæ junctæ Bohemicis, Brandeburgici fines ingressæ faces Trietshaimio, Arzbergio & Novostadio subjecêre. Vim etiam intulêre Sulzbacensibus; quos Brandeburgicus, ope Norimbergensium, egregiè est tutatus.

Cæsar Francofurti Curiam indixerat. Eò convenêre Salisburgensis, Wurceburgensis, Bambergensis, Eistattensis Antistites, aliique, cum quibus actum de ferendis Alberto auxilijs; sed nihil prorsus impetratum. Quare Cæsar & Albertus, lustrato, qui supererat, milite, scriptísque legionum supplementis, suis ipsi viribus & Brandeburgici Marchionis, Brunswicensium ac Norimbergensium accessione, belli molem sustinere constituunt. Sub medium Septembrem totis castris motum in hostem, qui ad Schonbergam consederat. Habebat sub signis Bohemorum quatuor millia, cæteros Palatinianos. Miles Cæsareus cum Boico & auxiliaribus, citatis itineribus, Etterzhusium profectus, Rengone amne nocturnis tenebris transmisso, primâ luce venit in hostium conspectum. Palatini inopinato adventu & tot legionum numero territi, discessu tempestivo sibi consuluêre. Bohemi haud paulò fidentiores, dum paulatim in

BOHEMORŪ AUXILIARIŪ CLADES.

LXXXVI.

editum collem enituntur, levioribus prælijs continuò lacessiti, cùm nullus ipsis receptus pugnâ tutior videretur, aciem instruunt. Cæsar in castris aderat cum Alberto, Friderico item Brandeburgico, binisque filijs Casimiro & Georgio: aderant unà Ericus Brunswicensis & Georgius Lignicensis. Cæsar ipse, Ducibus licèt reclamantibus, manus prælio commodare voluit. Bohemos scutis oblongis tectos ipsa desperatio efferaverat. Fracti fuêre nihilominus haud longo conflictu eorum ordines. In vestigio mille octingenti obtruncati, sexcenti capti, reliqui, quos fuga subduxit, palantes, passim ab agrestibus mactati; vix superfuêre ex quatuor millibus, qui cladis acceptæ nuntium in Bohemiam deferrent. Destinârant illi suæ avaritiæ & crudelitati Straubinganos adhucdum à belli hujus maleficijs intactos, quos tamen Albertus tempestivè monitos, idoneo præsidio munierat. Multis parasangis abit Theatrum honoris Fuggeriani à candidâ Kölneri, qui rem propè ipsam spectavit, historiâ, dum miranda quædam in pugnâ non admodum memorabili coacervat ex, nescio quibus commentis consarcinata, quæ nonnemìnem alium induxêre in fraudem, ut rem in majus augeret. Cæteroquî Cæsar, Albertus, Principes alij, die, quo pugnatum est, advesperascente, Ratisbonam iniêre, Deo grates acturi. In eo prælio cecidit Georgius Schenckius, Neideckiæ familiæ ultimus: plures sauciati, quibus curandis Albertus sedulam curam Ratisbonæ jussit impendi. In eorum numerum referunt Ericum Brunswicensem tibiâ glande quassatâ, brachióque gemino vulnere transfosso, Cæsarem acerrimè pugnantem, jámque equo propè excussum, præsentissimo discrimini eripuisse, atque eâ causâ Goritiensis Comitatûs usufructu fuisse donatum.

And. Brunn. in Excub.

PALATINI IN BOICA PRÆDAS AGUNT.

Elisabetha marito orbata, Georgium Wisbeckium in pristinum Strategi locum restituerat. Hic è fugâ collectum hostem ad mille circiter equites, Neoburgi recepit. Non mediocriter obfuit, Cæsaris Principúmque copias, reportatâ de Bohemis victoriâ, præproperæ securitatis fiduciâ palantes in diversa secessisse. Istâ etenim occasione usus Wisbeckius, in agrum Vohburgensem irrumpens, omnem planè istius Dynastiæ regionem, unáque Ingolstadiensem, rapinis incendijsque fœdè devastavit, cúmque suppetias Landishutanis duceret, haud longè à Geisenfeldâ Andream Comitem Sunneburgicum, ejúsque comites tres & sexaginta, in quibus Bernardus Seybolsdorfius & Gaspar Winzererus, oscitantes oppressit, abduxitque captivos.

LXXXVII.

ALBERTUS NOBILITATEM SECUNDÆ BAVARIÆ FRUSTRA AD SUAS PARTES INVITAT.

CIVITATES PALATINIS ADDICTÆ.

Post Ruperti excessum, Albertus Boicæ secundæ Nobiles defuncti militiâ & sacramento solutos, ad sua castra edicto vocavit: verùm, ut in re adhuc dubiâ, bello nondum confecto, vix quicquam eâ denunciatione profectum. Etenim supererant adhuc in Boicâ Palatinis haud contemnendæ vires, quæ non inanem metum trepidæ Nobilitati creabant. Landishuti curabant bis mille viri fortes, atque inter hos Georgius Rosenbergius, Paulus Rochus Sprinzensteinius, Ludovicus Comes Leonsteinius, Ludovicus Huttenius, Suicardus & Martinus Sickingij, aliíque præcipui sanguinis bellatores. Neoburgum tam valido præsidio tenebatur, ut, tametsi Cæsar illud cuperet expugnatum, ejus tamen obsidium, postquam sæpius non successerat, non putaverit denuo hoc tempore esse tentandum. Wasserburgum manebat immotum in fide Philippi Septemviri Palatini. Brunovium & Burghusium Transoenanam Boicam frenabant; & nova subsidia à Philippo expectabantur. E diverso Fœderati ordines ac Principes, post Bohemorum cædem, à Cæsaris & Alberti castris abierant, ut vix quicquam memorabile cum cæteris copijs posset eâ tempestate tentari. Sic, quod reliquum erat Septembris, datum legendo novo equitatui & quieti.

KUEFSTAINII EXPUGNATIO.

Ineunte Octobri, Albertus equitatum Monachio versus Alpes eductum, secundis castris ad Arcem Altenburgicam Maxelrainicæ toparchiæ habuit. Postridie, quæ fuit mensis tertia, Cæsari occurrit Rosenhaimij; ubi de belli ratione collocutus, junctis cũ Cæsare copijs, cum Aulâ Aurburgum secessit, mandata Cæsaris, ad usque 17. cal. Novemb. præstolaturus. Consilium erat, Kuefstainium, nuper

à Pien-

à Pienzenavio hostibus deditum, in potestatem redigere. Id oppidum in extremâ Boiariâ situm ad Oenum, arcem habet in rupe editâ, naturâ loci & operibus apprimè munitam. Idem ille tuebatur arcem, qui hosti dediderat, vir florenti ætate, acer & militaris, eò futurus obstinatior, quò noverat se Cæsarem habere infensiorem. Ad oppugnationem majora tormenta Oeniponto vecta sunt, secundo Oeni alveo. Omnibus ad obsidium comparatis, Albertus ad castra à Cæsare vocatus, ut pars esset & spectator arduæ expugnationis. Castris è regione oppidi positis, Cæsar per caduceatorem poposcit à civibus deditionem. LXXXIIX. Paratos imperata facere, Pienzenavius minis absterruit, præsidio ad propugnanda mœnia relicto. Tum reversus in arcem, effusâ in castra Cæsaris ænearum ballistarum procellâ, ostendit, obsidentes non satis tuto loco tetendisse. Quamobrem jussit Cæsar mutato situ, capi securiorem stationem: Mox arci verberandæ septem majoris modi tormenta, basilisci dicta (vulgus serpentes vocat) admota, horrendum tonuêre in mœnia, sed nullo propè operæ pretio, quòd muri firmitas & latitudo omnem vim eluderet. Quam rem Pienzenavius vertit in ludibrium, ausus, Cæsare spectante, de mœnium pinnis, pulveres scoparum fasce abstergere, plausibili spectaculo, quasi Cæsari impotentiam & projectos in auras tormentorum ictus exprobraret, nec alijs armis, quàm virgarum fascibus ad eos retundendos opus foret. Cæsar offensus; *En*, inquit, *miles iste novo invento impacta muro vulnera scopis curat; viderit porrò, ne isti fasces ejus cervicibus securim accersant.* Tum factis tridui inducijs, Maximilianus Oeniponto geminas ingentis molis machinas, quibus majores Germania non viderat, curat advehi. Alteri Excitatori nomen; alteri, gentis vocabulo, Burlabaus, ab immani, quod edebat, tonitru, appellatio. His instaurata muri fulminatio cùm stragem mœnium tam luculentam ederet, ut rupe domitâ, quatuordecim pedum parietem, arcísque intimos recessus pilæ fulminatrices pervaderent; Pienzenavius, desperatâ defensione, binos ex Ephebis Redwizium & Stausferum candidatos, cum pacis insignibus ac precibus misit ad Cæsarem, qui obsessis abiturientibus vitæ & sarcinarum veniam rogarent. Eos Maximilianus nihil moratus, ostendit, se nondum verniles scoparum sannas decoxisse: *Tandem*, inquit, *nobis herus vester fasces, quibus insultare ausus est, vult submittere: Ite, renuntiate, nullas nos conditiones ab hujusmodi sannione admittere, qui nobilissimam arcem tam temere passus sit lacerari: servet ille se, quoad licebit, intra rudera.* Ita dimissis fecialibus, cùm obsessi omnem sibi indulgentiæ spem ademptam intelligerent, pars per muri hiatus, & quacunque patebat exitus, elapsi, incidunt in obsidentium manus, pars in arce promeritæ pœnæ residui, cùm Cæsariani, oppido devicto, in summa propugnaculorum enixi, totâ munitione potirentur, vincti & extracti ad Cæsarem. LXXXIX. In his Præfectus, & qui nobiliores propugnatores. Eos jussit Maximilianus arctâ custodiâ servari. Repertus in loco grandis ballistarum & nitrati pulveris apparatus, cum magnâ pecuniâ. Arce præsidio bene firmatâ, Cæsar in captivos tulit capitis sententiam. Vetuerat, ne quis eorum patrocinium susciperet; daturum alioqui intempestivæ pietatis pœnas, quisquis intercederet. Ita Pienzenavio multa nequicquam excusanti cervices primo omnium præcisæ. PIENZENAVII ET SOCIORUM SUPPLICIUM. Ejus casus & virtus militaris, patrio carmine, diu decantata. Wamboldo, Trauttenpergio, Tirigello, tribúsque machinarum libratoribus simile inflictum supplicium. Bohemus quidam capite pedibúsque morti lictoríque obluctatus, fatalem ictum, non injucundo spectantibus certamine, Cæsare jam mitigato & condonante, elusit, Felice Werdenbergio & Zollerano Comite deprecatoribus. Deni octoni præterea jugulum carnifici præbuerunt: viginti alios Ericus Brunswicensis, Cæsari factus pro eorum salute supplex, servavit. Scribunt, Cæsarem pro reis precanti leniter malam percussisse, & violatæ legis sereno vultu monuisse; fecisse tamen voti compotem. Cùm tenuisset obsidio dies septendecim, Albertus Cæsarem secutus in Alpes, consumptis in caprearum venatione aliquot diebus, Monachium revertit.

Wisbeckius ejus absentiâ ad grassationes abusus, cum mille quadringentis equitibus, bis mille peditibus, Landishuto egressus, latè omnia Monachium usque ferro flammísque miscuit: ex Iserano colle Monacensem Alberti Regiam missilibus petijt: sed cùm ex urbe paria reponerentur, suum iter relegit. Tormenta, ne militi moram facerent, cum raro custode præmiserat. Weisdorfius, arcis Suabensis Præfectus, exploratâ defensorum paucitate, regredientium fiduciam egregiè castigávit. Nam factâ cum expeditâ præsidiariorum manu, in securos eruptione, primùm custodes & machinarum præfectos oppressit, deinde machinas in potestatem redactas, in arcem triumphans invexit. Gravior visa Wisbeckio hæc ignominia, quàm ut eam Weisdorfio condonaret. Ergo raptis ad Suabense castrum copijs, molitur ejus expugnationem. Verùm cùm arx mœnibus, & virorum à victoriâ recentium protecta pectoribus, ejus iras rideret, ipséque ex amissis tormentis fulminaretur, luculentè multatus discessit. Georgium Rosenbergium ferunt, secundùm brachium glande trajectum, in sauciorum numerum venisse, & perculsum eo casu Wisbeckium, expilatâ Ebersbergâ D. Sebastiani domicilio, copias Landishutum & Wasserburgum retraxisse.

PALATINORUM GRASSATIONES.

XC.

TORMENTA AMITTUNT.

SUABAM FRUSTRA OBSIDENT.

Kolner. p. 378.

AB UTTENDORFIO REIICIUNTUR CŪ CLADE.

BURGHUSINUM INCENDIUM.

VILSHOVII IRRITA OBSIDIO.

Burghusini Uttendorfium occupare conati, à Georgio Helfenstainio intercepti, pars capti, pars obtruncati, cæteris excurrendi licentiam suo malo minuerunt. Major clades Burghusio illata 4. Id Novembris, ex officinâ nitrati pulveris, qui igne concepto, incendium in totius civitatis tecta propagavit.

Haud multò pôst Wisbeckius Vilshofium infaustâ obsidione tentavit. Scribitur in eâ expeditione sex pugnatorum millia sub signis habuisse. Est ea civitas ad Vilsam flumen, quâ se in Danubium exonerat. Oppidum tuebantur viri fortes, Sigismundus Schwartenstainius, Erasmus Schiltius, Albanus Closelius, Michaël Beerus, & Hieronymus Stauffius. Fuêre universim propugnatores quingenti. Hostes admotis tormentis, murique ruinâ sexaginta omnino pedum editâ, signum dant invadendi. Procursum summâ vi à legionibus, propugnatum ingenti alacritate à defensoribus, in quibus Walterus Algouius & Matthæus Peckerus geminæ cohortis centuriones. Impressionis utrinque fortiter actæ is fuit exitus, ut multis desideratis, Wisbeckius omissâ oppugnatione, victus, suas copias noctis silentio subduxerit; avectis partim occisorum cadaveribus, partim in horreo flammâ absumptis, quò minùs acceptæ cladis magnitudo notaretur. Obsessi quinque duntaxat occubuerunt. Cæsar obsidionem fuit detestatus, quòd iniquissimo tempore fieret. Jam enim de pace agi cœptum erat, Friderico Palatino, & Frisingensi Antistite intercessoribus. Quamobrem copias ad Anassum hiemantes, mox jussit auxilia obsessis properare. Post rem quidem venêre, potiti tamen sunt Eckenfeldâ, omnique Rottelenicâ Vilsthalensi regione.

XCI.

Cæsar interea junctis cum Alberto legionibus, senescente jam Decembri, Duce Reinperto Reichenbergio, minùs defensa Georgianæ ditionis oppida in fidem recepit. Expeditioni datum nomen ludicrum ab everriculo, quasi suprema immineret patriæ catastrophe, & irreparabile afflictissimæ fortunæ exitium. Imperatum tamen lytrum ijs, qui rerum suarum reliquias salvas vellent ab incendijs. Eam pecuniam, quod meritò aurum Tolosanum dixeris, cùm Cæsarianus miles, neglectis Albertinis, in suos usus verteret, gliscebant in exercitu dissidia, quæ facilè erupissent in tumultum, nisi ductorum auctoritate & Alberti moderatione fuissent compressæ. Landishutani interim immissis in Alberti ditionem quingentis equitibus, Neoburgensem & Rainensem agrum igne deformant: Pontem Ingolstadiensem incendunt: Præfecturam Haidaviensem, Laberthalienses fines à Pfeterâ adusque cœnobium Malerstorfense, cædibus, rapinis, incendijs fœdum in modum depopulantur. Gesta hæc expirante anno istius sæculi quarto.

Kebrab.

Bohemi hucusque fortunæ melioris auram præstolati cùm in deterius omnia labi animadverterent, impetratâ à Cæsare & Alberto publicæ securitatis tesserâ,

ſerâ, domum magno numero remigrârunt, quos cum numeroſâ Nobilitate Hennebergius & Leuchtenbergius ſunt ſecuti. Quâ ex re Landishutani cives parùm abfuerunt à ſeditione, veriti, ne tandem & ipſi à Cæſare & Alberto opprimerentur: eos vehementer commotos Fridericus Palatinus juſſit periculi eſſe ſecuros, quòd ad tutandam urbem & arcem ſat domeſtici militis ſupereſſe diceret. BOHEMI PALATINOS DESERUNT.

Feſſi tot miſerorum calamitatibus non Palatini duntaxat, ſed etiam Albertus, de quorum potiſſimùm fortunâ & detrimentis agebatur, pacem cœperant multò quàm ante cupidiùs reſpicere, Cæſare ad eandem impensè proclivi, cùm Cæſariani milites 8. cal. Februarij Biburgum pagum involantes flammis ſubijciunt. Captus in eo tumultu Hugo Comes Montfortius, cum nonnullis alijs, in balineo deprehenſus. Cùm fortè fortunâ Wisbeckius centum equitibus ſtipatus ſuperveniſſet, in Cæſarianos invectus, obuium habuit Georgium Senheimium Cæſarianorum ductorem. Hic primo congreſſu fractâ in Wisbeckij pectore velitari haſtâ, dum enſem ad hoſtem conficiendum ſtringit, à Wisbeckiano armigero confoſſus occubuit. Ducis caſu in vindictam accenſus miles, multò ardentiùs in Wisbeckianos incurrit. Pertinaciter utrinque certatum, donec ſuperati Cæſarianorum conſtantiâ ac fortitudine Palatini fuſique in fugam, malè multati Geiſenhuſium ſe recepêre. Cæſariani fugientium tergo hærentes, pleroſque vel cepêre vivos, vel dedêre morti. Capti Joannes Comes Montfortius, Comes Ludovicus Leonſtainius, Ladislaus Lippius, Tautenbergius, alij domi militiæque præclari. E Cæſarianis venêre in hoſtium manus Ulricus ſupremus Luneburgenſis militiæ Legatus, Freundſpergius Junior, Georgius Puhlerus, Wolfgangus Theodoricus Haumbergius. Atque hic fuit belli pernicioſiſſimi exitus, cui pax hoc anno ſucceſſit. AN. M.D.V. XCII. DE PACE AGITUR. MONTFORTIUS A CÆSARIANIS CAPTUS. PALATINORŨ CLADES.

Anno ſuperiore, cùm Philippus Palatinus bello undique premeretur, lubens ineundæ concordiæ mentionem jam admiſerat, ſuaſu Trevirenſis Archiepiſcopi, Herbipolenſis Epiſcopi, & Badenæ Marchionis. Cæſarem & Albertum eodem tempore ſolicitârunt Salisburgenſis Archiepiſcopus, Friſingenſis, Eiſtattentis & Paſſavienſis Antiſtites. Idem egit Ludovicus Ruperti Palatini germanus, cui Albertus Sapiens Sidoniam filiam deſponſârat. Jam antè alluxerat non modica ſpes belli ſopiendi, cùm Ruperti exceſſus bonis conſilijs interceſſit. Cæſar, inſcio & indignante Alberto, per Chriſtophorum Badenſem Marchionem, & ſuum Cancellarium Nicolaum Zieglerum, Philippo Palatino in gratiam recepto, quartam Decembris ad agendum de pace conſtituit. Eidem ab Alberto & Wolfgango Fratribus, & à Friderico ad tutelam filiorum Ruperti deſtinato, permiſſum finiendæ controverſiæ arbitrium. Res ſtetit inter diſceptationes uſque ad 4. Idus Septembris anni quarti: tum Chriſtophoro Badenſi datum negotium, pactas uſque ad D. Georgij pòſt futuri inducias publicandi, eâ tamen lege, ut Philippus interea Imperij Comitia adiret, & datis fidejuſſoribus, Bambergenſi & Würceburgenſi Epiſcopis, reciperet, ſe in Cæſaris auctoritate futurum, & quicquid de lite conſtitueret, admiſſurum citra cunctationem. Hæc ubi convenerant, Fridericus Palatinus Ruperti frater, pupillorum Othonis Henrici, & Philippi à Cæſare tutor inſtituitur: induciæ ad finem verni jejunij protrahuntur, liber omnibus ac ſecurus datur commeatus: Coloniam Agrippinam à Cæſare Principum conventus indicitur menſe Quintili. Iſthic actum de pace inter utriuſque ſtirpis Boicæ Principes, ſenatu frequenti, cui operam dedêre Hermannus Agrippinenſis, Jacobus Trevirenſis, Fridericus Saxo, Joachimus Brandeburgicus Imperij Septemviri; Georgius Bambergenſis, Laurentius Herbipolitanus, Conradus Monaſterienſis, Petrus Tridentinus, Chiemenſis & Labacenſis Chriſtophori, ſacri Antiſtites. Interfuit etiam Henricus Brunſvicenſis cum Filijs Henrico & Erico; Joannes Dux Saxoniæ, Henricus Megapolenſis, Georgius Juliacenſis, Adolfus Naſſovius, Utilo Fridericus Zollerenſis Præfectus Palatio. Ex intimo Cæſaris conſilio Mat- *Kölner. fol. 328. fac. 2.* PAX CONCILIATUR. XCIII. COMITIA COLONIENSIA.

Matthæus Langus, aliíque Jurisconsulti & civitatum Legati. Lectis Alberti & Wolfgangi, Friderici quoque tutoris litteris, quibus se eas, quas Cæsar diceret, pacis leges sanctas habituros profitebantur; 3. cal. Augusti, de universâ Georgij hæreditate constitutum. Natus inde novus in Norico Palatinatus, Ruperti pupillis attributus. In eo princeps civitas Ducúmque sedes, Neoburgum, & quæcunque trans Danubium (excepto Ingolstadio) Georgius possederat, unde si viginti aureorum millia ex annuis vectigalibus redigi non possent, quatuor millia ab Alberto adderentur ex proprijs, quæ in Norico, ultra Danubium ditione tenebat: vel si hinc non præstarentur, in Cæsaris foret arbitrio, dictare supplementum ex alijs Alberti possessionibus. Cæteræ Georgij ditiones Alberto & Wolfgango cessêre. Cimelia & mobilia in arce Landishutanâ & Burghusinâ pupillis adjudicata, dempto tamen sacrorum apparatu & communi supellectili: cætera ejusmodi, suo quæque loco relicta. Tormenta bellica ex æquo divisa & annona frumentaria, nisi ad loci alicujus commeatum, defensionem, debitámque sustentationem forent necessaria. Nomina, quæ partes post Georgij mortem contraxissent, suo quisque ære dilueret. Subditi ac Ministri ne inclementer haberentur. Georgij libera debita & credita, ad Fridericum pertinerent, pigneratitia ad Albertum. Fridericus tutorio nomine, quæ ipsi bona addicta à Cæsare, fide beneficiariâ acciperet, nisi quæ immunia vel optimi juris esse ostenderet. Utrinque tabulæ ad bona singulorum pertinentes traderentur. Firmarentur subjectis privilegia. Friderico tradi jussa sub exeuntem Septembrem, Neoburgum, Richardi aulæ castrum, Lavinga, Höchstadium, Gundelfinga, Haideca, Sulzpachium, Lengfelda, Veldorfium, Hemavium, Calmunza, Weida cum omnibus ad ea pertinentibus. Donec traditio fieret, loco pignoris Friderico relicta Wasserburgum, Traunsteinium, Walda, Drospurgum, Mermosum, Marquardsteinium, Clinga: quæ tamen partitio in aliam fuit mutata post biennium. Ad decernendam proventuum æstimationem & divisionem, quævis partium tres arbitros jussa eligere, qui si inter se dissiderent, septimus à Cæsare adderetur: Maneret interim penes Cæsarem potestas declarandi, si quæ in his legibus ambigua viderentur. Cessaret proscriptio & injuriarum memoria. Cæsari pro impensis, eóque quòd ipsius interesset, salvum maneret jus super Georgij bonis quibuslibet. Salvum item foret Georgij filiæ superstiti, quod ei debebatur. Id Laudum ex compromisso firmum maneret; qui contrà faceret, auri millione puniretur. Ad eius executionem dati à Cæsare delegatæ jurisdictionis Judices Joannes Truchsessius Baro Walpurgius, & Bernardus Scherffenbergius. Dies executionis ob Friderici comperendinationem protracta ad 3. Idus Novembris; cúmque aliæ super alias disceptationes orirentur, Friderico pignora, Alberto debita retinente, ducta res est in alterum annum, donec Albertus in Comitijs Constantiensibus, impetratâ à Fœderatis auxiliorum pollicitatione, à Cæsare novum edictum obtinuit, quo tandem Georgij Provincia in tres partes fuit divulsa. Earum prima & potissima cessit Alberto; Altera pupillis; tertia Cæsari ad reponendas belli impensas. Quædam etiam Cæsaris Administris fuêre transcripta. Tandem post difficillimas altercationes, factâ censuum æstimatione, Ruperti pupillis ex totâ Bavariâ cessêre, primùm quidem ex bonis Georgianis Neoburgum cum arce, Præfecturâ, & adjunctis nemoribus: Hœchstadium, Lavinga, Gundelfinga, Monheimium, Hilpolsteinium, Haidecca, Weida. Fora Burgheimium, aula Richardi, Labara, Allersberga, Flossum, Vohendrossum, Erndorfium, Korenbrunna, Hainsperga, Graispachium, Burgstainium. Addita deinde ex Alberti possessionibus, Sulzbachum, Lengfelda, Reginostauffium, Velburgum, Veldorfium, Calmunza, Schwaigendorfium, Schmidmulium, Hombaurum. Quæ præterea illis ex regione ad Sylvam Bohemicam oppida, arces, obvenêre, Albertus suo ære redemit.

Margin notes: Pacis conditiones. — XCIV. — XCV. — M. D. VII. — Provinciarum partitio.

Utiloni Friderico Zollerano Palatij Cæſarei Magiſtro ceſſere Spiza & Swalnpacum in Auſtriâ. Epiſcopo Friſingenſi facta poteſtas Maſſenhuſij, eo pretio, quod Comes Hardeckius antea dixerat. Duci Wirtenbergico Haidenheimium, arx Helenſtainia, Præfectura Prenztalia: Marchioni Friderico Brandeburgico Freienſtadium & Præfectura Hirſpergenſis, redempta deinde à Palatinis: Norimbergenſibus, Reichenecka, Herſpruckum, Lauffa, Alerſperga, Hohenſteinia: Hieronymo Croarienſi Juriſconſulto Arx Conſtainia: Joanni Langemantelio Conſuli Auguſtano, arx & ditio Wolfſpergia, Yglinga ſupra Lanſpergam: Oetinganis Comitibus Baldera arx & dominium: Wolfgango Lauckofero ac deinde Hildebrando Dutſchero Ellenkovium: Gaſpari Winzerero arx Brandeburgia & forum ad Alpes: Paulo Liechenſtainio Baroni Caſtelcornio, Marquartſteinium, poſtea redemptum magno pretio: Brunovienſi civitati forum Vorſterium: Bertero, poſt Alberti obitum, arx Waldenſis & dominium haud longè à Burghuſio: Joanni Peeffenhuſio, Eberſpuntenſe forum: Chriſtophoro Comiti Ortenburgico arx Matticovia cum oppido & ditione. AUXILIARIORUM PRÆMIA.

XCVI. CÆSARIS COMPENSATIO.

Maximiliano Cæſari, ne ſuo ipſe ære bellum geſſiſſe in Alberti ſubſidium aliquando diceretur, attributi Spitzenſis & Schwalenbacenſis in Auſtriâ dominatus loco pignoris. Attributa præterea Ratenberga arx ad Oenum unáque regio Zilleranæ vallis, civitas & arx Kueffſtaina, cum nemoribus ad ditionem Kitzbihelenſem ſpectantibus, quantum ſatis eſſet ad Tirolenſes rei metallicæ officinas. Item Neoburgum ad Oenum, ſupra Paſſavium. Arx Rennarigela ad Danubium, & Neohuſium. Comitatus Kirchbergenſis: Weiſſenhornium civitas & caſtrum: Obenhuſium, & quicquid à Verberenis Ulmenſibus provenerat: Maurſtetta & Buecha: Pfaffenhofium ad Ulmam: Smihena arx ad Lycum, Sylva Wörteria & Weiſſenburgica, ſpectantes ad Imperij Præfecturas: Wörtera, Augia Marchionatûs Burgovici: Ius Georgij ad Ellerbachum: Præfectura & Advocatia Salisburgenſis Archiepiſcopatûs, Epiſcopatûs Paſſavienſis, & Monaſterij Regiobrunnenſis prope Giengam: jus venandi & tota juriſdictio Marchionatûs Burgovienſis inter Danubium, Lycum, Wertacum amnes: Juriſdictio in Judæos Ratisbonenſes, & quædam alia Georgio pignori oppoſita. Venatio Spitzenſis & principalis juriſdictio. Kitzbihela civitas & annexa ditio. Præfectura Manſeenſis unà cum Cœnobio. Arx Wideneckia cum juriſdictione. Præfectura Schattenbergenſis, Vectigal Waſſerburgenſe ad ſingulos frumenti medimnos. Millia florenorum quatuordecim, à Maximiliano ex coëmpto frumento ad Turcicam expeditionem Georgio Duci debita. Item ſubſidiaria centum florenorum millia à Georgij Provincialibus addicta non dúmque perſoluta. Remiſſa item omnia alia nomina, quæ Cæſar Georgio præſtare tenebatur: Demum immunitas à vectigalibus in Oeno atque alijs quibuſdam locis Baioariæ. Frumentum ex penu Lavingenſi valens quinquaginta florenorum millia. Atque ex his quidem patet res humanas æſtimanti, quàm noxiæ ſint in herciſcundâ familiâ diſcordiæ, quàm pernicioſa bella, quibus non modò nobilitatis & miſeræ plebis opes, ſed ipſi quoque diſcordium Principatus lacerati, in extraneas manus projiciuntur; cùm per concordiam in unâ Domo ac familiâ poſſent gratis retineri. Id quamvis Alberto non erat ignotum, tamen recenti hoc experimento rurſum fuit edoctus, hujuſmodi incommodis in futurum eſſe ponendum obicem. Quamobrem, ne contentioſum Principatum & bella tranſmitteret ad poſteros, Wolfgangum Fratrem, ex periculorum & curarum conſortio jam magis tractabilem, haud difficulter induxit, ut vellet indiviſum Boiariæ Principatum unius duntaxat imperio gubernari. Ergo factum utriuſque fratris voluntate, probantibus lectis ex omni Provinciâ ſexaginta quatuor ſacri profaníque ordinis optimatibus, ut æternâ lege in tabulas relatâ ſtatueretur, ne quis Principalium filiorum, præter natu maximum, eundémque Provinciæ hæredem, ſummæ rei præeſſet: cæteris Comitum titulus & digna ſuo ſanguine conditio, ex hæreditarij cenſûs uſuariâ aliquâ contributione ſervaretur. Wolf- XCVII. PRINCIPATUS BOICÆ AD UNIUS IMPERIUM REDACTUS.

gangò relictum Ducis nomen & pristina dignatio : attributa simul ad sustinendam dignitatem, Lansperga, Aicha, Möringa ; Weilhaimium, Pala, Hegneberga, Liechtenberga, & Greiffenberga. Eundem Albertus suis liberis dedit primarium tutorem, additis rerum administris Joanne Neuhausero Marianæ ædis Monachij Præposito Principis Cancellario, Bernardino Stauffio (cui demortuo successit Joannes Scaliger) Joanne Peffenhusio, Georgio Trembachio, Bartholomæo Schrenckio & Vito Beringero. Hæc primaria origo unici in Boiariâ Dominatûs, ad quem perpetuandum denique accessit Cæsaris auctoritas, ne rursus hæredum inter se collisione dissolveretur. Motus quidem aliqui eam ob rem inter Guilielmum & Ludovicum fratres, uti suo loco videbitur, extitêre, sed pervicit tamen salutis publicæ ratio, ut inconvulsa Alberti & Wolfgangi dispositio ad posteros transmitteretur. Unde rei communis longè major securitas, Domûs concordia, potentia, Justitia, & intemerata in Boicâ religio.

COMITIUM CONSTANTIENSE.

XCVIII.

Constantiæ, hoc anno, quod paulò antè meminimus, frequens Imperij Principum & Ordinum conventus fuit, ad quem traxit Albertum Sapientem, quam dixi, necessitas, ne diutiùs Landishuta & Burghusium à Palatino milite retineretur. Causæ cogendi Comitij duæ potissimæ; Expeditio in Italiam adversus Ludovicum XII. Galliæ Regem, qui Carolo VIII. morte immaturâ sublato, ante decennium successerat, & fusis prælio Genuensibus, Rempublicam, urbe occupatâ, pristinæ formæ reddiderat, videbatúrque res in Italia novas moliri. Causa altera, quòd Maximilianus Imperatorios titulos à Julio II. Pont. Max. petere destinaret. Censi in conventu sex & viginti Principes. Interfuêre Legati Ludovici Franciæ Regis, Civitatum Imperij, Venetorum, Ducis Moscoviæ, Ordinum Helvetiæ. Cæsari fuêre addicta ab Imperio octo equitum, viginti duo peditum millia, qui illum in Italiam sequerentur : centum viginti aureorum millia ad sumptus rei tormentariæ.

Gerard. Rous. p. 434. Fasciculus Monachus Hirsaug.

M. D. VIII.

Trithem. Chron. Sponh. Staind. M.S. Kölner. M.S.

MORS ALBERTI SAPIENTIS.

Philippus Palatinus, quem Rous bonus author, Fuggero contrarius, Comitijs adfuisse testatur, domum redux 3. cal. Martias, ex calculi & articulari morbo, sacris ritè expiatus, fatis concessit. Altero pòst mense Philippum secutus est Albertus IV. Sapiens decimo videlicet die Martij, uti Kolnerus habet ab ijs dissentiens, qui decimum octavum diem ejus morte signarunt. Illi singularis animi solertia & sapientia, totius Germaniæ confessione, Sapientis nomen dedit. Reliquit ex Cunegunde trigeminos filios, Guilielmum, Ludovicum (qui cælebs provixit ad annum quadragesimum quintum) & Ernestum Administratorem Passaviensem, demum Archiepiscopum Salisburgensem : Filias quinque ex ijsdem nuptijs sustulit : Sidoniam Ludovico Palatino Philippi Septemviri filio desponsam, & antè quàm nuberet, ad meliorem sponsum evocatam. Susannam, quæ infans obijt : Susannam alteram, Casimiri Brandeburgici primùm, deinde Othonis Henrici Palatini Rheni conjugem : Sibyllam, quæ in Sidoniæ locum, uxor Palatini, Pontificiâ auctoritate, successit : Sabinam denique Ulrico Duci Wirtenbergico elocatam. Potest Albertus censeri alter Boici Principatûs conditor, eo in meliorem formam redacto. Vitam duxit rebus adversis mirè exercitam, sed sapientiâ ductrice, omni fortunâ fortiorem. Cunegundis vidua, mox à justis funebribus Alberto persolutis, ab æde sacrâ se contulit ad Tertiarias D. Francisci, inter quas religiosissimè vitam exegit ad annum sæculi vigesimum.

BOICÆ

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS II.

LIBER X.

Guilielmi IV. & Ludovici Fratris conciliata concordia. Ernesti Ducis Passaviensis & Salisburgensis Antistitis res gestæ. Bella Turcica: Brunsvvicensia. Smalcaldicum: Tumultus Rusticorum extra Bavariam. Concilij Tridentini initia. Varia Imperij Comitia. Guilielmi in tuendâ religione constantia.

GUilielmus vulgò quartus, à patris Alberti Sapientis excessu, triennium egit sub tutelâ Curatorum. Primæ his curæ Principatum firmare domi, constanti quiete & solidâ cum finitimis concordiâ. Ex illâ populi salus, opes, amor in Principem: ex hac tranquilla securitas. Tametsi pax cum Domo Palatina erat sancita, non tamen ita coaluerat, ut èx nondum satis liquidò definitis litibus facilè non posset abrumpi. Multùm igitur intererat supremam manum rebus omnibus ad absolutam consensionem adducendis imponere, ne cognatæ gentes, denuo collidercntur. Quamobrem Duci Wolfgango Tutorum Principi bonum visum, ad vitandos ejuscemodi scopulos, certas leges, communi Domûs utriusque voluntate, dictare. Re per internuntios propositâ, constituta dies ad 8. cal. Sextileis, quâ ex Palatinis juxtà ac Boicis Consiliarij universim octoni, pari utrinque numero, Ingolstadij colloquium inirent, atque omnem reliquam litium materiam sic è medio tollerent, ut duæ Principes familiæ arctioribus inter se amicitiæ vinculis necterentur. Ea res post accuratam disceptationem cecidit ex animi sententiâ: Unde factum, ut Fridericus, Ruperti pupillorum tutor, ad 3. Id. Novembris Coloniensi Cæsaris decreto, omnibúsque, quæ ex eo nexæ erant, actionibus, renunciaret. Quæ in istâ transactione fuere constituta, annis succedentibus sedatè admodum mandata

An.M.D.IX. I.

Absoluta inter Domum Bavaricam et Palatinam litiū compositio.

Kolner. in Diario f. 388.

data fuere executioni, itáque integro & suprà sæculo, pax inter utramque domum constitit, longè futura diuturnior, nisi eam nostri sæculi turbæ diremissent.

AN. M. D. X. Guilielmum manebat alia cum Ludovico fratre controversia. Albertus caverat tabulis, anno sexto supra millesimum quingentesimum Monachij datis 9. cal. Augusti, ut, quemadmodum Wolfgangi Ducis & Boicorum Ordinum assensu convenerat, Guilielmus filius unus ac solus totius Boiariæ Principatum obtineret, postea quam decimum octavum ætatis annum exegisset. Ergo exeunte Tutorum ac Curatorum administratione, eidem rerum summam deferri oportebat. Ejus inaugurationem recenset Trithemius anno decimo. Ei libenter assentirer, nisi Guilielmi ætas refragaretur. Cùm enim, teste accuratâ Originum Bavaricarum Manuscriptâ Genealogia, quam in sua editione secutus est Christophorus Gewoldus; Guilielmus decimo tertio Novembris A. M. CCCC. XCIII. primam lucem aspexerit, anno hujus ævi decimo nondum poterat decimum octavum ætatis annum absolvisse, quod tamen tempus, ad ineundam gubernationem suprema parentis voluntas requirebat. Quare dubium non est, quin ut minimùm in Novembrem anni undecimi tutorum potestas fuerit producta, & dilatus Guilielmi dominatus.

II.

AN. M. D. XI. Trithemium videtur in errorem duxisse splendida valde pompa geminarum nuptiarum, quibus Guilielmus cum præclaro comitatu interfuit, quasi verò soli Dominantes ejusmodi celebritatibus interessent. Primo connubio Ludovicus Rheni Comes Palatinus, Philippi filius Sibyllam Guilielmi sororem sibi conjunxit. Nam Sidoniam sororem natu majorem eidem Ludovico desponsam, anno sæculi quinto, octavâ, post ferias Paschales, die, immatura mors, an melior vita abstulerat. Ergo Guilielmus non Sibyllam modò Heidelbergam, sed etiam sororem alteram Sabinam nomine, Stutgardiam Udalrico Wirtenbergico Duci tertio nupturam, pararius & comes honorarius deduxit. Fuere in comitatu trecenti quinquaginta equites vestium cultu eximio, Gynecæum pariter nobilissimum. Haidelbergæ, ante Liberalia, geniales cæremoniæ triduum admodum tenuère. Sibylla octavo pòst anno Ludovici thorum, nullâ relictâ prole, cum sepulchro mutavit. Longior fuit Wirtenbergica celebritas, toto ferè mense extracta inter festos ludos & magnificentissima gaudia, quæ secutum bene nuptorum divortium, postea malè occupavit. Ergo hujus anni exitum inaugurando Guilielmo Boicæ Duci veriùs, quàm superiorem assignamus, ne peccasse eum adversus parentis legem cogamur asseverare.

SIBYLLÆ BOICÆ CUM LUDOVICO PALATINO, ET SIDONIÆ SORORIS CŨ UDALRICO WIRTENBERGICO MATRIMONIA.

III.

M. D. XII. Ludovicus Guilielmi frater secundò genitus, quâ erat animi celsitudine, nihil minùs somniabat, quàm sui in capessendo Principatu neglectum. Agnoscebat quidem in fratre prærogativam ætatis & nascendi ordinem, sed nullam disparitatem natalium. Credita etiam Cunegundis mater, filio ad fastigium aspiranti, igniculos admovisse; indignum rata, ut Cæsaris Filia, nupta magno Duci, à posteris diceretur unicum Guilielmum Ducem, filios cæteros Comites peperisse, cum labe nobilissimi sanguinis. Prolatæ Alberti tabulæ, pactúmque cum Wolfgango fratre, de unico familiæ capite & Principe sancitum; neque Matri neque filio satisfecêre. Eò excusabilior visa Cunegundis contentio, quòd speciem maternæ pietatis præferret; Ludovici conatus non usque adeò à ratione censebantur alieni, quòd matris judicio, avorum more, & multorum aliorum Principum usu ac jure niterentur. Mater, etsi res curásque humanas, à mariti funere, statim abdicârat, retinuerat tamen famæ studium & filiorum charitatem, quæ nisi cum naturâ, veriùs ferè nunquam exuuntur. Eam urebant Alberti tabulæ, quòd se insciâ & inconsultâ essent confectæ, nec dubitabat, Maximilianum Cæsarem, utpote fratrem & Ludovici avunculum ijs intercessurum, tametsi ille Alberti & Wolfgangi, de futuro unico familiæ Principe, pactum comprobârat. Tales erant Magnanimæ Principis & adolescentis filij obtentus. Nec deerant, qui, sive Ludovici commiseratione, sive rerum novandarum fiduciâ, Guilielmo

GUILIELMI DUCIS ET LUDOVICI CONTROVERSIA MATRIS INSTINCTU.

patùm

parùm ſtudebant; quòd Ludovicus blandis moribus & amœniore genio, magis videretur eſſe popularis.

Verùm Guilielmus à patris decreto ſibi putavit non eſſe diſcedendum; & Ordinum maximè intererat, ne, quod publico bono ad Principatûs incolumitatem probârant, immaturo ambitioſi juvenis ſtudio convelleretur. Erneſti tertij è fratribus, ætas, quæ annum duodecimum non erat egreſſa, nondum erat ad ambitum habilis: quare nil mirum eſt, ſi ſe permiſerit Guilielmi poteſtati. IV.

Cùm ex iſtis diſſenſionibus ſimultates gliſcerent unàque periculum, ne ex ijs naſcerentur pernicioſæ factiones, cùm Ulricus Wirtenbergiæ Dux non obſcurè Ludovici partibus eſſet addictus, alijque Guilielmi cauſæ faverent, Cæſar de periculo admonitus, 4. Id. Novemb. Auguſtæ Vindelicorum, ſeverè utrique indixit, ne quid armis tentarent, ſe enim ex æquo, cauſâ cognitâ, dicturum ſententiam. Ab eo Monachium miſſi Joannes Thalhaimius Wetzlarienſis Præpoſitus & Georgius Goldachius, cum mandatis, ut litem amico Fratrum conſenſu dirimerent. Suaſère Guilielmo, vellet fratri eam Principatûs portionem addicere, quam Dux Wolfgangus amborum Patruus, Alberti voluntate obtinebat, retento ſimul Ducis nomine & ſpe ejuſce portionis potiundæ, poſtquam Wolfgangus fato conceſſiſſet. Quòd ſi verò Ludovicus filios procrearet, in natu maximum Ducis quoque titulum transferret. Aſſentiebatur Guilielmus: ſed Ludovicus indignè ferens ſe ſuáſque ſpes in tempus incertum mortis alienæ differri, rem detulit ad Boiariæ Proceres, non quieturus aliter, quàm ſi vel indiviſum cum Fratre imperium, vel certè Principatûs trientem impetraret. Recepit interea ſe Auguſtam ad Cæſarem, Ordinum reſponſa exſpectaturus. Cauſæ ſuæ patrocinium commiſerat Rudolfo Ehingio & Henrico Winckelhofio, quos ei Ulricus Wirtenbergius ſubmiſerat. Juſſerat patronis adeſſe Baronem Fleckenſtainium & Joannem Weiſenfelderum ex ſuis familiaribus.

M. D. XIII. *Rom. p. 465.* TENTATUR CONCORDIA. V.

Proceres veriti, ne abſente Ludovico, dum ultrò citróque dicta ac reſponſa mitti atque moroſè expendi oporteret, diſceptandi finis ægrè poſſet reperiri, impetraverunt à Cæſare, vellet Ludovicum ſuâ auctoritate movere, ut Monachij ipſe cauſæ auditor & actor, fide publicâ liber ac ſecutus intereſſet. Cæſari paruit Ludovicus: Auditi utriuſque partis Cauſidici, réſque eò deducta, ut anno decimo quarto, Principes Procerum conſilium ſecuti, triennes inducias ſint pacti, legibus in tabulas relatis, vigeſimâ die Novembris, in hanc ſententiam. *Boiaria univerſa indiviſa, triennio, pari poteſtate, velut unicus Principatus, ſimul à Guilielmo & Ludovico fratribus, petito à Cæſare clientelæ beneficio, adminiſtrator. Provinciarum Ordinibus in fidem acceptis, priſca jura ac privilegia ſancta ſalva ſervantor. Neutri Principum, alterius injuſſu nova concedere fas eſto. Monachij & Burghuſij Wilhelmus; Ludovicus Landishutæ & Straubingæ, jus per Prætores, ſuis quiſq; ſubjectis dicunto. Ejuſce gubernationis, à proximo luſtratæ Virginis feſto, initium eſto. Quæ privata ſingulorum tribunalium negotia, ſuis quiſque litteris per ſe expedito. Quæ ſpectant ad Univerſam Boicam, leges, vectigalia, decreta, clientelæ nobiles, emenda, redimenda, vendenda, communi utriuſque voto decernuntor. Neuter quicquam de Provinciâ ſolus alienato, transſcribito, oppignorato, vendito, donato. Quæ à patris obitu à Guilielmo Duce & Tutoribus hactenus acta de clientelaribus beneficijs, rata firma ſunto. Quæ Franconiam & Sueviam ſpectant, à Guilielmo; quæ Auſtriam & Bohemiam, à Ludovico conceduntor. Si exacto triennio, neceſſarijs ex cauſis indiviſum imperium improbabitur, Ludovicus Ducatûs triente & Landishutâ fruitor cum plenâ auctoritate. Nomina jam contracta, ab utroque pro cujusque facultate & proportione censûs, diſſolvuntor. Cuique ſua parſimonia prodeſto. Peculiares utrique adminiſtri pro arbitrio deliguntor. De palatinis impenſis, officijs, modo frugalitatis, judicium eſto penes octo tutores. Æs alienum parſimoniâ diluitor. Si qua belli vis ab hoſte immineat, communi conſilio, ope, armis, ſumptu, defenditor: nulla vis inferatur, niſi utriuſq; juſſu, & aſſenſu Ordinum. Pax, nova fœdera, Ordinum conventus, Imperij collecta, ſunto penes utrumque. Salis commer-*

PACTÆ TRIENNII INDUCIÆ. VI.

mercium pristinum morem usumque retineto. Unicum esto documentorum, tabularum Chartophylacium, utriq; commune. Ex metallicis fodinis, triens sit Ludovici. Bellicum instrumentum, annona, penus suis quæq; locis sunto communia. Lites fraternæ arbitris Provincialibus committuntor: suum cuique in propriam familiam jus esto. Omnium dissensionum, offensarum memoria oblitterator.

Hæc loquuntur publicæ membranæ, quibus (credo) plus debetur fidei, quàm Fascelio Naucleri continuatori, asserenti, ex æquo fuisse inter Principes divisam
lib. 12. p. 455. Bavariam. Gerardus Rous paulò cautior sat habuit dicere, Cæsarem fratrum discordijs intercessisse, ac suâ cuique attributâ parte, dictis quibusdam conditionibus, mirâ dexteritate pacem inter eos confirmasse. Hæc And. Brunnerus in Excubijs enucleatiùs. Partam videlicet inter fratres concordiam mirè pla-
DISCORDIÆ NOVI AUTHORES. cuisse Boicis Ordinibus, dignámque censuisse, quæ ad Cæsarem referretur. Sed (inquit ille) invidia conceptum ex consensione gaudium intercepit. Fuere videlicet optimi facti pessimi interpretes, qui obtinuerunt à Cæsare, ne fratrum pacta placerent. Tantum potuit maledicentia, quæ utilissimum Ordinum Boicorum officium pravè vertit in Cæsareæ Majestatis injuriam, quasi in Cæsaris jura involassent, usurpatâ de summis rebus decernendi licentiâ. Quid enimvero non sint deinceps tentaturi, qui ausi sint Ducum causam suo judicio subijcere, eosdem redigere in ordinem, & apud se disceptantes quasi pro tribunali au-
VII. dire? Quid Cæsaribus deinceps in nobiliores controversias futurum sit reliquum, si, quod sibi Boij sumpsêre, cætera Germania imitetur? quid Principibus mansurum sit libertatis, si se pari ratione, in Imperio, subjectorum jugo premi patiantur? Cæsarem edicto ad suum tribunal Ducum litem evocasse; pro Cæsaris tribunali debuisse audiri & judicari. Mira obtrectandi libido, quæ ausa sit Principibus negare libertatem sibi ipsis mutuo consensu leges amicitiæ fraternæ, ex fido proborum hominum consilio & arbitratu dicendi; quod ne capite quidem censis mortalibus unquam fuit negatum.

CÆSAR PACTIS INTERCEDIT. Nihilominus venêre ex Aulâ Cæsareâ litteræ plenæ hujusmodi aculeorum, quæ longè alia expectantes Proceres variè affecerunt. Ne tamen in tam manifestâ rei bene gestæ conscientiâ suam innocentiam obrui, & admissam fraudem silentio profiteri viderentur, egêre per Legatos, ut imbutæ accusatorum artibus Cæsaris aures, ab errore liberarentur. Id Theodoricus Pleningius vir prudens in paucis & eloquens, qui Salustium Germanicè reddidit, abundè præstitit Vœclabrugi. Illic Cæsarem opportunè nactus, tot argumentis, tam clarè maledicentiam confodit, ut Cæsar non obscurè ostenderit, se jam longè alia de Boiorum in Cæsaream Majestatem reverentiâ, déque fide in suos Duces sentire. Desijsset conflata Ordinibus invidia in luculentam ipsorum commendationem, nisi, qui humani ingenij genius est, confessio erroris visa fuisset fore aliqua imminutio Majestatis: ut enim peccent Principes, nefas est,
MALEVOLORUM ARTES. ideò adduci in contemptum, atque eo labefactari vim dominatûs & auctoritatem. Consultum itaque famæ Principis inviolabili, per morosas ambages, ne, quod factum Cæsar damnaverat, silendo laudare crederetur. Ergo lite Ducum refossâ, mali consultores nodum in scirpo quærere, instaurare priores querimonias, novas aggerare, suóque velle consulere pudori, ex dedecore alieno. Cæsar passus est sibi persuaderi, tentarent illi, qui adversus Pleningium tam disertè declamabant, possentne aliquo colore sua errata inducere. Illi, quò speciosiùs id faciant, Gabrieli Eybio Aichstettensi, & Philippo Comiti Palatino Frisingensi Episcopis, permagnæ dignationis Principibus, obtinent à Cæsare legationem ad Boicos Ordines, qui Monachij habebant Provinciæ Comitium. Hi
VIII. recentibus mandatis instructi, ad priores, quos Cæsar antè miserat, Legatos, Monachium venientes, omnem, quâ pollebant, facundiam, in rescindendis Principum Ordinúmque placitis, & revocandâ ad Cæsarem controversiâ, consumunt. Sed cùm Boios nec oratione moveri, nec terreri minis adverterent, professi se suo functos officio, & Cæsari curæ fore irritæ Legationis vindictam;

infectâ re ad Maximilianum rediêre. Duces Ordinibus modestiores id tribuêre Cæsaris reverentiæ, ut dicerent, se coràm Cæsari satisfacturos. Cunegundis inter hæc Cæsarem onerabat quiritationibus, intentáque in omnes Wilhelmi filij actiones, causas aucupabatur ejus insimulandi, ne & ipsa Ludovico filio, quem teneriùs complectebatur, justo impensiùs studuisse videretur. Ansa conquerendi ultrò ipsi venit in manus ex liberaliore Guilielmi ingenio. Paulatim in ejus consuetudinem irrepserant homines, quibus privata commoda publicâ salute erant potiora. Cùm Burghusium, ad Cæsarem iturus, divertisset, infidi Gnathones incautum aggressi, velut Principis sortem miserantes, queruntur passim ejus famam vulgi sermonibus traduci, quòd imperium cum fratre communicasset. Quid enim inde futurum sit aliud, quàm ut Octovirûm perpetuæ inspectioni affixus, aulæ sumptus ex ipsorum dictamine metiri cogatur? Principatûs opes jam non esse in ipsius arbitrio; nec sanè fratre videri majorem, qui pari cum ipso conditione, quasi precariò, ærarij in duas partes divisi portione fruatur: quid illud sit, quòd Caput Domûs illustrissimæ, præter aliorum morem, sumptuum rationem, cum non omnino medio Provinciæ censu subducere cogatur? Exeundum esse quidem magnis æris alieni nominibus, quæ Albertus parens temporis iniquitate coactus fecerat; verùm ea non ad Principem, sed ad Provinciam pertinere. Eorum nihilominus obtentu Octoviros manus contrahere, queri illis paulatim luendis exhauriri ærarium; verbo, Ordinum onus reijci in humeros Principis, cum dispendio honoris & imminutione necessariæ honestatis ad sustinendam cum solito splendore, aulæ olim splendidissimæ, dignitatem. Eò spectasse Parentis tabulas, non ut indecora Principi parsimonia indiceretur, sed ut opes ad unius nutum affluentes primò omnium Boicæ Domûs Majestati obsequerentur, deinde ut ejusdem unius voluntate ex æquo & bono fratrum natu minorum condignæ sustentationi servirent. Feriebant ista juvenilem animum, cæteroqui ad sumptuum mediocritatem minimè proclivem. Et jam cœperat nonnihil laxare habenas profusioni, cùm Cunegundis sollicitè Cæsarem rogavit, ne plus justo Guilielmo ad rem nihil attento, cum fratrum damno, vellet indultum. Cæsar nihilo secius causâ ad libellam Oeniponti rursum expensâ, Guilielmo adversus matrem favit, abrogato bicipiti imperio, quod ipsa tantopére probabat. Dominatum verò sic est partitus suomet arbitratu, ut Provinciæ quadrantem Ludovicus possideret amplissimo jure, veluti Principatum Guilielmo minimè obnoxium, cætera majori natu cederent, eâ lege, ut Ernesto fratri, si quidem ad sacras dignitates aspiraret, pro eo ac Principem deceret, prospiceret, sin secus, in aliquâ parte paternæ hæreditatis collocaret. Ægrè factum Ludovico, suam dignitatem Cæsaris sententiâ esse depressam, cui tamen nefas & improvidum credidit repugnare. Proinde cùm neque Cæsaris de proposito deducendi spes ulla appareret, quíque Cæsaris aures in potestate habebant, haud insuetis frustrationibus, Principum litem velut auream ovem, lanæ gratiâ, alerent; Ludovicus, quàm minimo fieri posset periculo, tædio fastiditæ altercationis defungi properavit. Ergo repudiatis aliorum consilijs, cum Fratre rem statuit decidere, accepturus, si quid amplius amor fraternus concederet. Ea mens illi bene vertit: nam fratrem nactus est Cæsare longè liberaliorem: pro quadrante Principatûs trientem, uti antè convenerat, accepit: ne tamen arguerentur Fratres à Cæsaris judicio deflexisse, consultò à trientis nuncupatione duxerunt esse abstinendum. Cùm melior videretur res magna minore nomine, quàm parva grandi nomenclatione.

CUNEGUNDIS DE GUILIELMO QUERELÆ.

IX.

CÆSARIS SENTENTIA.

FRATRUM ULTRONEA CONVENTIO.

X.

Magnum fuit istius fraternæ facilitatis pretium. Nam vix annus abierat, cùm Fratres amor unâ regiâ curiáque conjunxit. Mox enim ut congeminato palatinorum ministerio se non sumptus modò, sed etiam Ludovici curæ cœperunt intendere, fastidium ex laborum assiduitate, Aulæ vitia, magnitudo impensarum, æris alieni gravitas, Principi horum insueto, fraterni consortij desiderium M. D. XV.

derium reddidere. Nec difficile fuit illud impetrare, quod Guilielmo jucunda foret fratris consuetudo, & placeret crescens ex ejus accessione aulæ magnificentia. Certè tam sincerè coaluit amicitia, ut Guilielmus Ordinibus Ingolstadij coactis asseverârit, neminem inposterum suo fratrísque candori perniciosâ loquacitate illusurum. Hieronymo Stauffio Prætorij Præfecto capite stetit, tentasse fratrum amicitiam insidiosè dirimere. Cùm enim, ut everso Ludovico unus omnia posset, suadente ambitione, discordiæ semina apud utrumque jecisset, deprehensus susurronis partes agere, dum Guilielmo apud Ludovicum, & Ludovico apud Guilielmum obtrectaret, paulatimque bene coalitam amicitiam suspicionibus involveret; ab utroq; denique agnitus, demandatúsque rerum capitalium quæsitoribus, crimen inter tormenta confessus, Ingolstadij, Anno decimo sexto, cervicem in foro salinario carnifici præbuit, documento futurus cæteris, ne crederent sibi fore impunè, si paris perfidiæ crimen admitterent. Simul ac turbulentus insidiator spirare desijt, etiam simultatum initia, quibus Fratrum concordia cœperat agitari, exspirârunt. Cæsar quoque eò usque in Fratres imperiosior, de rigore remittens, nullum illis deinceps negotium facessivit: unde nata opinio, Stauffium in Aulâ etiam Cæsaris, Principes perfidè traduxisse.

STAUFFII SUSURRONIS SUPPLICIUM.

XI.

Chron. Aug.

HALÆ DIVITIS ET WEIDENHOFII DEFLAGRATIONES.

Dum ille dissidiorum faces jactaret, mala sors, casu an studio, Halam divitem nobilissimam rei Salinariæ officinam accendit. Illa enim, cùm claro sole ignem concepisset, in cineres concidit. Hausti simul ducenti homines, quorum magna pars intra cellas & fornices fumo & vapore perijt. Eodem die simile fatum subijt Weidenhofium, quantumuis longè ab Hala remotum, ut quemadmodum non uno loco Vulcanus, ita nec uno modo ambitio incendia notaretur concitasse.

SABINÆ DIVORTIUM.

Chron. Aug.

Longè tristior accidit Sabinæ Principis Ulrico Duci Wirtenbergico ante quatriennium magnificentissimè nuptæ in Boicam reditus. Illa marito alteram jam prolem dederat, argumentum fœcunditatis. Inerant illi cumulatè quâvis heroide dignæ animi corporisque dotes, Ulricum ex asse conciliaturæ, si per insitam viro duritiem licuisset. Verùm Sabina experta indomitam ejus sævitiam; ope Theodorici Spethij, quotidiana propè cruciamenta cùm diutiùs ferendo non esset, evasit. Familiare erat mariti pugnis innocenrem contundi, affligi calcibus, probris lacerari, vexari modis insanis. Quod bestiam vix decuisset à marito instar quadrupedis insessa, admotisque ad latera calcaribus suffossa, habita fuit more belluino. Accesserat Joannis Hutteni cædes à Duce patrata, eo tantùm nomine, quòd ipse pellicem Sabinæ invisam, Conradi Thummij Palatio præfecti filiam, nuptum duxisset. Id velut plagium Ulricus suâ manu vindicavit. Jusserat Huttenum ad venationem prodire inermem: miser paruit: Ulricus cædi opportunum nactus, confodit, & ex arbore suspendit. Hinc Ulrici Hutteni, cognati necem deflentis, in Ducem Ulricum Lycambæo felle tincta maledicentia, cum ingenti Ducis apud vulgus invidiâ. Cæsaris aures in Augustanis Comitijs miserandis vocibus implevit Ludovicus Huttenus cæsi pater, mille ducentos equites ostentans filij manibus parentaturos, si per Maximilianum liceret. Longè validiores fuêre Cunegundis obsecrationes, pro filiæ vindicijs. Nec siluêre Sabinæ fratres, sororis sortem acerbissimè indignati. Causæ tot telis oppugnatæ, Lamparterus Ulrici patronus, tam parùm habuit, quod opponeret, ut notas objectorum criminum ipso conatu & defensionis inanitate reddiderit conspectiores. Ne tamen ob unius Ulrici noxam Imperium turbaretur, Cæsar distulit sententiam, ut reo pœnitudinis & melioris frugis spatium superesset. Certè nemini fuit obscurum, Sabinæ divertendi à tali marito causas justissimas, ultrà quàm satis esset, fuisse.

ULRICI WIRTENBERGICI FEROCIA.

XII.

M. D. XVI.

ERNESTI DUCIS STUDIA.

Inter tot rerum agitationes Ernestus Ducum natu minimus altâ pace & otio litterario jucundè fruebatur, menti bonis artibus excolendæ intentus. Anno decimo sexto, 24. Aprilis, Ingolstadij Magistratum Academicum inijt, lætior

isto

isto honore, quàm si spinosis fratrum negotijs se induisset. Usus fuit in primis artium rudimentis Joanne Aventino præceptore. Jasonem Mayum Ticini audivit, profecitque non vulgariter in studio Jurisprudentiæ. Amavit Mathematicas disciplinas, & tantam assecutus est metallicorum fossilium notitiam, quantam in totâ Germaniâ quisquam alius. Dum res domi essent ex fratrum contentionibus turbidæ, & postea sedatæ, Ernestus mutato Principis cultu, modesto privati Nobilis comitatu, varias provincias oberravit. Junxit se aliquando Joanni Malentino viro equestris Ordinis, & pòst Episcopo Secoviensi. Cum eo profectus Lutetiam, cùm à Francisco Rege inconniventibus oculis fixiùs conspectus, se agnitum proditúmve crederet, in Saxoniam discessit cum suo Malentino.

Annal. Ingolstad. Rotmar.

PEREGRINATIONES, MODESTIA.

Inde reversus in Boicam, anno decimo septimo Pataviensis Episcopus eligitur, impetratâ à Leone X. Pont. Max. ætatis veniâ, útque lege solutus, à sacrorum ordinum susceptione posset abstinere. Sacram togam induturus, ex nupero Cæsaris Decreto, suam Trierarchiam Guilielmo Fratri reliquit. Cum laude præfuit Passaviensi Ecclesiæ annis viginti tribus, ad annum sæculi quadragesimum, non sanctorum modò rituum & disciplinæ Ecclesiasticæ observans, sed etiam rei familiaris usq; eò studiosus, ut, cùm frugalitate Ecclesiæ possessiones non servaret modò, sed etiam amplificaret, quibusdam visus sit, plùs æquo ad rem attentus & industrius. Ditiones & prædia à prioribus Episcopis distracta redemit, & Ecclesiæ restituit. Fuit insigni in suos cives benevolentiâ, liberalitate & clementiâ; privatim atque publicè sublevandis eorum necessitatibus addictus. Quæ res effecit, ut vulgus nihil offenderetur litibus, quas ille cum Decurionibus & Senatu Passaviensi, de quibusdam privilegijs, sat longas habuit. Erat in urbanis ædificijs instaurandis, novorum molitione magnificus. Ejusce magnificentiæ monumenta fuêre Episcopi Palatium, arx Georgiana, aliáque passim. Minùs fuit effusus in rusticana ædificia & castella hinc inde juri dicundo per Provinciam constituta; quòd Episcoporum delicijs potiùs quàm necessitati servirent. Hinc neglexit Haybachiam & Tannebergam. In Anabaptistarum factionis homines, qui passim eâ tempestate suboriebantur, gravissimè animadvertit: haud paucos ultimo ignis supplicio vivos tradidit. Fuit Princeps sagacis ingenij, rerum usu inprimis prudens, æqui justíque tenacissimus, osor luxûs ignobilis, amans honestæ parsimoniæ. De eo anno XL. redibit sermo.

AN. M. D. XVII.

XIII.

Hund. in Ep. Patau. p. 327.

Guilielmum & Ludovicum usos paribus titulis, simul expedijsse litteras ac signâsse, patet ex tabulis hujus anni, quibus litem inter cives Monacenses & D. Francisci Sodales de Cœmeterio & sepulturis composuerunt. Idem liquet ex diplomate, quo anno superiori Monacensium jura, immunitates, consuetudines, litteras, & id genus alia confirmârunt.

XIV.

AN. M. D. XIIX.

NUPTIÆ SUSANNÆ BOICÆ.

Chron. Aug. Theatr. Fugg. p. 600.

Nobilitârunt annum sequentem nuptiæ Casimiri Brandeburgici cum Susannâ Alberti Sapientis filiâ, sorore tergeminorum fratrum, quas Maximilianus Cæsar avunculus suâ præsentiâ fecit augustiores. Agebantur id temporis Augustæ Vindelicorum Comitia, Principum & Ordinum Imperij congressu frequentissima. Susannam fratres omnes cum splendido trecentorum equitum comitatu Augustam prosecuti sunt. Ei Cæsar 8. cal. Septemb. Fridbergâ venienti, ad pontem, qui Lycum jungit, cum Imperij Septemviris & magnâ Principum Procerúmque frequentiâ, occurrit. Isthic exscensione factâ, & mutuâ salutatione, Cæsar Sponsam in suum currum sustulit: tum equo sublimis, & Imperatorio stipatus satellitio, cui præibant numerosi ephebi, ante rhedam vectus, incredibilem Majestatem pompæ addidit. Latera Susannæ Casimirus sponsus & Joachimus Elector Brandeburgicus equites cinxêre. Secuti cum nobilissimo Gynæceo cæteri Principes. Ad spectacula se effuderat tota civitas. Ubi ventum ad D. Udalrici forum, in primo urbis aditu, cultissima equitum ala cum mille legionarijs ab Senatu urbico dispositi pulchro ordine adstitêre. Nuptiali triumpho in D. Udalrici ædem deducto, Cæsar cum omni comitatu ex equo desiliens, sponsam dextrâ prehensam ad templi valvas deduxit, ubi Albertus Archiepiscopus

Moguntinus, paucis antè diebus in sacrum Ecclesiæ Romanæ purpuratorum Senatum adlectus, verbis nuptialibus sponsis bene precatus est. Tum Imperator novam nuptam reduxit ad quadrigam. Provectis per forum vinarium exhibiti sunt ludi equestres jucundissimo concurrentium Heroum certamine. Inde itum ad cœnam, à cœnâ ad choreas, quibus Cæsar ipse prælusit. Sub mediam denique noctem, Imperator, Susannâ Casimiro in manus datâ, ad Episcopium divertit.

Ulricus Wirtenbergicus a Cæsare proscribitur,

XV.

Chron. Aug.

Postridie ipse novam nuptam duxit ad D. Virginis ædem principem, ubi Albertus Cardinalis Deo ad aram litavit. Secundum rem divinam, in Episcopi palatio Cæsar cum omnibus Imperij Principibus ac Dynastis splendidissimo epulo fuit exceptus. Sublatis mensis, instaurati ludi equestres & chori tripudiantium. Demum Cæsar, absolutis nuptijs, abeuntes nuptos ad Vindonem profluentem usque officiosissimè deductos valere jussit. Casimirus Sponsam in suam Dynastiam Onspachium deduxit. Cæsar verò se publicis Imperij curis & Comitio reddidit. Erant in conventu Albertus Moguntinus, Hermannus Agrippinensis, Richardus Trevirensis, Ludovicus Palatinus, Fridericus Saxo, Joachimus Brandeburgicus Septemviri. Unà adfuêre quàm multi Imperij Principes ac Proceres, quibus Cæsar Ulrici Wirtenbergiæ Ducis causam voluit explicari, ut tandem, quod videretur, ipsi decernerent. Sententia fuit promeritum esse diras Imperij, quem proinde Imperator Reipublicæ hostem declaravit. Causas quasdam paulò antè memoravimus. Nicolaus Barbatus invidiam nonnullorum accusat: Joannes Pedius addit immodicas exactiones & exhaustas subditorum opes, Principis luxu & immensis sumptibus. Cæsar Ludovico Hutteno equiti nobilissimo, belli Ulrico inferendi potestatem erat facturus, nisi Principes molliora persuasissent. Matthæus Langius ex Patricio Augustano Cardinalis & Gurcensis Episcopus, sanandæ Ulrici pervicaciæ partes in se suscepit. Cum eo congressus Blabeuræ, reperit septum decem armatorum millibus. Operosum fuit Martem spiranti, quietem persuadere. Persuasit tamen, ut positâ ferociâ, pacem præferret, prætulit quidem, sed uno vix anno duraturam.

An. M. D. XIX.

arma resumit,

Reutlingam invadit,

XVI.

Chron. Aug. Joan. Ped. Barbat.

Bello petitur a Guilielmo Bavaro,

Etenim cùm anno sequenti Maximilianus Cæsar Welsæ, duodecimo Januarij, annum agens quinquagesimum nonum, plenus insignium in Imperium rémque Catholicam meritorum, fato concessisset, Ulricus ejus metu solutus, arma vixdum posita rursus induens, mense Aprili, captâ ex interregno occasione, Germaniæ tranquillitatem turbavit. Primum belli impetum excepit Reutlinga civitas Imperii libera. Hanc ut suæ ditioni Ulricus adijceret, obsidione circumventam redegit in suam potestatem. Hinc illi, ac Wirtenbergiæ, magnæ clades. Nam Sueviæ fœderati ilicò congressi, ex pactâ communis defensionis lege, sociam urbem pristinæ libertati asserere constituunt; bellum Ulrico indicunt, eíque gerendo Guilielmum Boicæ Ducem præficiunt, addito Georgio Freudspergio, qui Legati vices in exercitu obiret. Eam Provinciam Guilielmus non detrectavit, ratus, nactum se ultrò oblatam rationem doloris ulciscendi, quem ex sororis ærumnis indies hauriebat. Nam ad acceptas olim à marito injurias accesserat, quòd Ulricus, tametsi illam domum receperat, tamen eâdem spretâ, Thummij filiam, Hutteni trucidati viduam, translatis in eam amoribus, novo crimine palàm in thorum genialem admitteret: Et gravis erat suspicio multa incendia anno decimo septimo Boicæ finibus illata ex Ducis Ulrici incentivo provenisse. Utcunque viderentur lites sopitæ, nondum tamen odia posuerant. Ergo Guilielmus Ulmensem agrum cum justo exercitu ingressus, cognoscit, Ulricum, tum ex popularium centurijs, tum ex Helvetiorum suppetijs ingentes copias habere in procinctu. Visum itaque Guilielmo vires hostis, ipsâ multitudine & virtute formidandas, consilio priùs, quàm armis distrahere. Ferebantur ex Helvetiâ viginti pugnatorum millia Wirtenbergico advenisse, magnum id temporis, ex gente adhuc plerumque victrice, robur. Quare per Legatos actum cum Helvetiorum Ordinibus, ne Romani Imperij

hostem

hostem juvando, Germaniæ amicitiam renuntiâsse vellent videri; sed suæ gentis militem potiùs domum revocarent. Bene vertit id consilium. Nam Helvetij, quibus domestica alienis erant chariora; confestim jubent suos, deserto actutum Ulrico, reditum properare. Eo factum, ut, factâ tanti exercitûs secessione, Ulricus se priùs victum, quàm impugnatum sentiens, copijs ad insignem paucitatem redactis, jam non de pugnâ, sed de tuto receptu moderata suorum consilia libens admitteret. Eo sic fracto, aliquid negotij Guilielmo reliquum fuit cum Provinciæ Wirtenbergicæ munitioribus præsidijs. Tubinga, quò Dux Ulricus refugerat, nonnihil Guilielmi progressus fuit remorata: verùm ubi ballistarum vi muri pars ampla ad irruptionem procubuerat, Ulrico per sylvarum avia dilapso, civitas exanimata manus dedit. Post Tubingam Stutgardia, ne tentatâ quidem defensione, jugum accepit. Schorendorfium, toleratâ paucorum dierum oppugnatione, in Guilielmi manus concessit. Asperga, ut invictæ nomen hucusque integrum retineret, diutiùs est obluctata. Sola hæc supererat in Wirtenbergiâ, quæ vinceretur; & suis confisa munimentis, vix erat cur magnopere timeret. Certè pro ludo habuit machinarum fulmina, nec videbatur cessura, cùm mirabili fato, mulierum ululatus, & tenerioris ætatis comploratio, præsidiariorum constantiam expugnârunt. Ergo munitio, neque ferro nec igne superanda, mollita lacrymis, cæteræ Provinciæ fortunam, factâ deditione est complexa. Ulricus Wirtenbergiâ exutus exactúsque, cùm nihil ultra Danubium ac Rhenum præter unum Duellium in potestate haberet, videbatur animum cum patriâ, quam extorris deseruerat, cogente necessitate mutaturus. Ergo non secus ac si foret omnino debellatum, præsidia passim infirma, alibi nulla, in urbibus castellisque fuêre relicta, quasi gens recenti casu domita, præter consuetum mortalium morem, sine vi ac metu posset in officio retineri. Securitatem otiúmque pollicebatur sperata incolarum fides, & Ducis sui odium ex superiorum annorum injurijs. Irrepserat etiam in Sueviæ Fœderatorum animos contemptus Ulrici, qui tam improvidè bellum cœpisset, quàm languidè gessisset. Verùm eodem anno, mense Septembri patuit, nullum hostem, quamlibet fractum atque debilem, quàm diu ferrum gerit, esse spernendum. Comperto enim per exploratores, oscitanter haberi Provinciam, collectâ familiarium manu, bellum instaurat: Hainsemium prorsus incustoditum primò omnium ab exploratoriâ cohorte jubet occupari. Illi sub noctem loco potiti, famam (ut erant à Duce jussi) latè vulgant, Ulricum cum valido exercitu in patriâ mox adfuturum: hortantur indigenas, pro suo Principe arma sumerent, externum jugum, domestico semper gravius, excuterent, Ulricum non ut antè ferocientem, sed benignè deinceps, subactâ jam dominandi licentiâ, imperaturum exciperent. Is rumor populo fuit pro classico: spes imperij melioris amorem velut redivivum excitavit ad exulantis Principis commiserationem. Horum fiduciâ Ulricus in Wirtenbergiam redux, cum paucis, Stutgardiam effractis portis, ex improviso recipit, & ad captandam clementiæ famam, fœderatorum præsidium, honestâ lege, more militari, dimittit. Eodem successu non fuisset arduum recuperare cætera, reconciliatis eâ fortunâ multitudinis promiscuæ studijs, si Wirtenbergica nobilitas eâdem, quâ plebs, facilitate, manus Duci redeunti dedisset. Verùm illa, nondum oblitteratâ præteritarum injuriarum memoriâ, conventus cogere, revocare in mentem miserabilem superiorum temporum calamitatem, nobilissimarum familiarum direptas à Duce possessiones, plerorumque optimatum proscriptiones, ultimam inopiam: expendere, nihilo fore meliora, quæ homo indomitæ hactenus inclementiæ, in eos, quos adhuc oderat, esset tentaturus. Nimis esse simplices, qui credant, inveteratam tot annorum pertinaciâ ferociam, paucorum mensium exilio potuisse cicurari. Et verò indignum esse viris nobilibus, tam fœdâ defectione, Fœderatos sedibus jure optimo occupatis exigere, quorum beneficio ipsi in patriam essent reducti, cúmque contrà demereri, cujus iniquitate fuissent ejecti.

AB HELVETIIS DESERTUS.

XVII. PROVINCIA EXVITUR.

XVIII. REDIT IN WIRTENBERGIAM.

Ergo correptis armis, ultrò ad firmandas præsidijs urbes convolare, plebis simplicitatem arguere, vocare cives ad defensionis societatem, poscere à Sueviæ Sodalitate maturata auxilia. Hæc nobilitatis conspiratio Ulrici conatus sufflaminavit. Progredientem retroegerunt Fœderatorum adversariæ suppetiæ. Cùm enim Dux Eslinganis è vicino colle infestus immineret, subitario illorum adventu oppressus, nisi castra intercluso commeatu vellet expugnari, cùm à tergo se mox circumveniendum conspiceret, rebus necessarijs coactus fuit recedere in planitiem, & tumulum hosti insidendum relinquere. Sed neque pugnæ copiam ausus die sequenti facere, desertis castris, refugit in exilium. Fœderati Arcem Wirtenbergicam, unde Ducis titulus, redegêre in cineres: Provinciam sub hastâ vendiderunt Carolo & Ferdinando Austriacis, è quibus Carolus, Maximiliani Cæsaris nepos, Hispaniarum Rex, Imperator ejusce nominis quintus, in Augustali Comitio Francofurti, supremo Romani Imperij fastigio Septemvirorum suffragijs fuit destinatus die Junij vigesimâ octavâ. Isto bello Wirtenbergico Guilielmus exiguam bellicæ virtutis materiam nactus, disciplinæ tamen castrensis exactissimè custoditæ eximiam laudem tulit. Ita frenavit victoris exercitûs insolentiam & avaritiam, tum ut Sororis saltem commodis consuleret, tum ut popularem innocentiam (quod justum Principem decebat) tutaretur. Solebat præsens curare in extremo agmine, ut, quoad licebat, legiones ante oculos haberet; Ne peditum quisquam de via ad prædas excurreret, cohortes equitatu cinctas coërcebat, tantâ in universo exercitu moderatione, ut iter non per hosticum, sed per amicorum optimè defensos fines esse videretur.

Repellitur in exilium.

Guilielmi in exercitu cohibendo moderatio.

XIX.

Inter hæc Sibylla, Ludovici Palatini Septemviri conjunx, Alberti Boiorum Ducis filia, nullâ relictâ prole, rebus mortalibus fuit erepta, hoc ipso felix, quòd tempestivè sacrorum, quæ in Palatinatu secuta est, mutationi subduceretur. Posita sunt hoc ipso anno ædis D. Mariæ Deiparæ, quam Ratisbonæ Speciosam & novam Parochiam vocant, fundamenta, in areâ, quam Judæi multis sæculis suâ Synagogâ profanaverant. Jactabant ipsi, se aliquot ante Christum natum annis, sedem Ratisbonæ habuisse. Isthic perstiterant sub tutelâ Ducum Bavariæ, usque ad annum hujus sæculi quartum, quando Maximiliano Cæsari inter cætera, quæ ab Alberto Sapiente accepit, jus in fœdam istam Hebræorum coloniam fuit transscriptum. Cùm civibus Ratisbonensibus ob usuras evasissent intolerabiles, captâ post Maximiliani obitum ex interregno occasione, omnes unà fuêre ejecti.

Sibyllæ Boicæ obitus.

Hund. in Episc. Ratisb. to. j. p. 215.

Judæi Ratisbona eiecti.

XX.

Hoc ipso anno Joannes Eckius, Ingolstadiensis Academiæ lumen, cum Luthero in disputationis arenam descendit Lipsiæ, die quartâ Julij. Certamen tenuit dies omnino decem, de quo Sleidanus multa scripsit in Lutheri gratiam, à veritate aliena, in quibus confutandis cùm scriptores egregij bonam operam posuerint, nostri non est instituti in eorum messem involare. Sufficiat dixisse, Boicam eum tulisse virum, qui cum summâ laude ausus est nascentibus Lutheri dogmatibus se inter omnium primos, velut murum pro domo Dei objicere, palmæ certus, piorum confessione, quicquid postea jactârint partiarij Lutheri defensores.

Sur. in Comm. rer. Germ.

An. M. D. XX.

Certè Boica Eckio debet secundum Deum initia retinendæ in avitâ fide constantiæ, in quâ Principes, eorúmque vigilantiâ, tota Provincia (si paucos hinc illinc seductos excipias) ad hanc diem, quæ magna Numinis benignitas est, immota perstitit. Perperam scripsit Avila, Duces Bavariæ id temporis nec Lutheranæ nec Catholicæ religioni adhæsisse, sed ex æquo favisse utrique. Neque enim per eos unquam licuit Lutheri Præconibus, pedem in Boicâ palàm figere, neque clancularios habere congressus, nedum ullos cœtus. Id Lutherum tam ægrè habuit, ut, cùm gloriaretur alias Provincias aures animósque doctrinæ suæ novitati accommodâsse, quereretur, Boios antiquæ religionis esse retinentes. Verum quidem est, Boiorum Principes ab Acatholicis sollicitatos, ut communem cum ipsis sacrorum societatem inirent, deliberandi spatium poposcisse:

Boiorum in fide Catholica constantia.

sciisse: sed & hoc verum, eos nullâ ratione in fide nutâsse, sed temporis fecisse compendium, quo vires compararent, quibus se suósque contra adversariorum molimina tuerentur. Proinde Auila verè subjungit, è Germaniæ Principibus Regem Ferdinandum, Bavarum, Clivensem, nec fœdere nec novâ religione obstringi voluisse, haud dubiè, quòd in veteri perseverare certum haberent.

Visum est cœlum Germaniæ dira minari hoc anno. Mense Januario ostenta apparuêre in Sole & Lunâ. Viennæ in Austriâ spectata supra D. Stephani ædem columna ignea. Non vana fuisse præsagia ostendit autumni ingens pestilitas, quæ passim Germaniam, maximè Wirtenbergiam, aliásque urbes cepit & afflixit. Secuta pòst Turcarum in Ungariam irruptio, Albæ Regiæ expugnatio, excidium multarum urbium. Idem annus, qui Vladislao Ungariæ Regi ultimus fuit, Boicæ abstulit Cunegundem Alberti Sapientis viduam, Nonis Augusti, Principem sinceræ in Deum pietatis, singularis prudentiæ, modestiæ in tali Heroinâ admirandæ. Inter religiosas virgines Pittrichianæ familiæ, annos duodecim religiosissimè, in habitu tamen civili, qui hodiéque visitur modestissimus, exegit. Voluit sepeliri in nobili Principum Boiorum Monacensi ædis Marianæ mausolæo, induta sacro cultu sanctimonialium. Erat exacta veræ virtutis æstimatrix, cui dolosa pietatis simulatio non facilè fucum faceret. Anna Lainmittelia artis veteratoriæ fœmina, Augustæ Vindelicorum, summis æquè atque infimis utriuslibet ordinis viris, ipsi adeò Maximiliano Cæsari & Patriarchæ Hierosolymitano, diu imposuerat. Mentiebatur impudens probitatis simulatrix perpetuam inediam, atque eâ sibi sanctitatis larvam affingebat. Cunegundis Monachium ad se perductæ fucum absterfit, plenámque dedecoris jussit sinceriora agere & sentire. Illa deprehensa fugit ad Friburgenses in Nuithonibus. In urbem recepta, cùm neque fictam abstinentiam probaret, neque crimina hactenus occulta satis premeret, jussa est à Magistratu aquis præfocata occultæ fraudis & deprehensorum scelerum pœnas dare.

Pestilitatis præsagia. *Chron. August.* *Cunegundis obitus.* XXI.

Poterat unius fœminæ supplicio privatum facinus extingui: longè tetriora erant, quæ Germaniæ quieti ultima mala, ex religionum dissensione, portendebant. Carolus V. Cæsar horum non nescius, admonente per Caietanum Cardinalem Leone X. Pontifice, ijs amovendis primam sui Principatûs in Imperio operam voluit impendere ineunte anno vigesimo primo, in Comitijs Wormatiensibus, omnium Electorum, multorum Principum, Procerúmque frequentiâ celeberrimis. Ne Germania, in partes sacrorum diversitate distracta, ad arma veniret, ex unanimi Cæsaris & Patrum sententiâ pax toti Imperio decreta, tentata item Lutheri curatio, quæ omnem Caroli aliorúmque diligentiam elusit; unde secuta pax nec bene nec diu servata; atque hinc bella annorum sequentium.

An. M. D. XXI. *Lutheri proscriptio.*

Intervenêre festivæ Guilielmi IV. Boiorum Ducis, cum Jacobâ Philippi Marchionis Badensis filiâ nuptiæ, quæ non Monachium modò, sed Boicam quoque universam exhilarârunt. Ex ijs natus anno vigesimo sexto Princeps Theodo, decimo Februarij. Eædem dedêre Albertum Magnanimum vulgò V. cal. Martij, anno vigesimo octavo: Guilielmum deinde anno vigesimo nono, qui paulò ampliùs anno superfuit. Annus trigesimus secundus decimâ quartâ Junij Mechtildi natalis fuit, quæ Philiberto Marchioni Badensi locata, ad annum sexagesimum quintum provixit.

An. M. D. XXII. *Guilielmus Boius Jacobam Badensem ducit.* XXII.

Ad Guilielmum Ducem, anno, de quo agimus, inclinabat Dynastia Hagensis, Leonardo Comite Hagensi, sine hærede rebus humanis Ingolstadij exempto. Fuit is Sigismundi Fraunbergij filius, qui pro Alberto Sapiente, adversus Rupertum Palatinum bello Boico arma induit, patre quiescente. Hic enim, quia Georgij Ducis Landishutani supremæ voluntatis tabulis conficiendis testis adstiterat, credidit ad suam fidem pertinere, easdem in sago non impugnare, quas togatus servare non poterat. Quamobrem ab Alberto pro hoste habitus, propè abfuit, ut Hagam ardentem videret. Incendium deprecata fuit

Rotmar. Annal. Ingolstad. p. 85.

ſuis lacrymis uxor Comitis, & Baro Aichpergius, cujus ipſa ſoror erat, vir Alberto apprimè fidus & obſequens. Sigiſmundus à Cæſare impetravit, ut ſe belli ſpectatorem eſſe pateretur, eâ lege, ut Leonardus filius familiæ poſtremus, Alberto militans, parentis vices ſuſtineret.

An. M. D. XXIII. *Chron. Aug. Hund. in Langio.* BELLUM SALISBURGENSE.

Anno ſequenti, dum Richardus Archiepiſcopus Trevirenſis, opportunis Ludovici Palatini Septemviri, & Philippi Cattorum Landgravij auxilijs, Franciſcum Sickingium, ſanguine & armis nobiliſſimum, Luthero tamen faventem, hoſtilia damnáque ingentia paſſus, in arce Nanſtalienſi expugnat; Matthæus Langius Wellenburgius Salisburgenſis Archiepiſcopus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, cives ejus imperium detrectantes domuit. Cognitâ enim illorum conſpiratione, collecto clàm in Tirolenſi Comitatu milite, cui Leonardum Velſium præfecit, inexpectatus caſtra locavit ad Grædingam. Cives improviſo ejus adventu conſternati, cùm defenſioni pares non eſſent, tempori cedentes, miſſis ad Principem Legatis, veniam & pacem oraverunt. At ille inſtructâ acie civitatem ingreſſus, quâ erat clementiâ, ſupplices omnes recepit in fidem. Is tumultus, qui Latini belli nomen per jocum accepit, præluſit longè gravioribus, per cives & agreſtes ſemel iterum poſtea concitatis.

XXIII.

Boica, inter hæc, pacis dulcedine fruebatur ſoluta turbis publicis, niſi quas creſcens paulatim Lutheri factio creabat. Ille, ut, quam orſus erat, telam pertexeret, ediderat in lucem mendoſam novi teſtamenti Germanicam interpretationem. Cùm eum librum populus, velut genuinam ſacrarum litterarum portionem avidè arripiens, ex detorto ad Lutheri mentem contextu, errores imprudens combiberet, Catholici Principes, inter quos Boici, iſtam novi teſtamenti editionem, multis locis à receptâ in Eccleſiâ verſione aberrantem, è ſuis ditionibus proſcripſerunt. Quamobrem Lutherus, cùm ferrum non poſſet, calamum atro convitiorum felle tinctum diſtrinxit in Orthodoxos Principes, tantâ acerbitate & animi impotentiâ, ut ne Cæſarem quidem putaverit eſſe à generali maledicendi licentiâ excipiendum. Stylum oppoſuit Joannes Eckius in Boicâ, oppoſuêre alij annis ſuccedentibus, in quibus Joannes Dietenbergius, qui octo, & quod ſuperat, errorum centurias ex Lutheri ſcriptis prodidit. Inde, in Boicâ, tam aſſiduæ Principum vigiliæ, ne quâ parte nova dogmata irreperent.

Sur. in Comm. Bzovius ad an. 1524 n. 10. CAUTELÆ ADVERSUS NOVA DOGMATA.

Erat profectò vigilandum, cùm in Boicæ propè viſceribus, id temporis, defectionem à majorum religione coqueret Balthaſar Huebmairus natione Bojus, domo Fridbergenſis, Anabaptiſtarum Anteſignanus. Agebat nimirum Ratisbonæ primus novæ Parochiæ ad D. Virginem Specioſam Sacellanus, qui haud dubiè Patriam, ante omnes, ſuâ hæreſi infeciſſet, niſi obſtitiſſent edicta Principum & accurata Magiſtratuum vigilantia. Cùm aliò ſuum venenum, ac demum Viennam importâſſet, meritò capitis ſupplicio, unà cum inceſtâ, quam duxerat, uxore, fuit affectus. Ratisbona feliciter tam peſtilenti ingenio liberata, longè fuiſſet felicior, ſi libertatem avitæ religionis ſub Boiorum Principum religione retinuiſſet, nunquam paſſa damnum gravius, quàm cùm Alberto Sapienti à Friderico Cæſare erepta, deficiendi ab auorum doctrinâ occaſionem, aliarum Civitatum exemplum ſecuta vel prægreſſa, arripuit.

Mira fuit Numinis in Boicam benignitas, cùm difficillimis temporibus, crepera per Germaniam Catholicorum fortuna evaderet, non modò tam pios Principes Ducatum geſſiſſe, ſed habuiſſe etiam viros præſtantiſſimos, quorum conſilijs, in ſuſtentandâ avorum fide, adverſus tot præſtigiarum inſidias, Duces uterentur. Jam dictum de Joanne Eckio Alcide Boico. Fuêre præter eum viri quatuor præclariſſimi, quos non immeritò Brunnerus dixit Boicorum conſiliorum & publicæ ſalutis quadrigam. Non erit injucundum poſteritati eorum nomina in hac quoque paginâ legere. Primas tenet Chriſtophorus Comes Schwartzenbergius, in quo meritò ambigas, ſummáne nobilitas, an pietas; prudentia, utriuſque linguæ peritia fuerit illuſtrior. A parente tantùm abeſt, ut priſcæ fidei ſtudi-

XXIV. CHRISTOPHORUS SCHWARZENBERGIUS APPRIMÈ CATHOLICUS.

studium acceperit, ut illi vel hinc fuerit summè exosus, quòd eâ projectâ, ad castra Lutheri se non conferret. Gaspari Schazgero viro è S. Francisci familiâ perquam erudito, author fuit, ut eruditissimum calamum Catholicæ veritati commodaret. Commodavit gnaviter Gaspar: quæ res Christophori parentem sic ussit, ut ipse litterarum rudis, farraginem maledictorum ex Lutheri scriptis comportârit, ut Gasparem retunderet, non filio minùs, quàm sacris Catholicis infensus. Proximum à Christophoro locum Leonardus Eckius promeritus est, Boicæ nobilitatis ornamentum. Eum Guilielmus ex Onolzbacensi curiâ in patriam revocatum, inter primæ admissionis familiares habitum fovit, honestavitque non aliter, quàm oraculum domesticum, & nullius unquam pœnitendi consilij authorem. Idem Caroli V. imò Germaniæ universæ de Leonardo Eckio vivo mortuóque judicium fuit; ut in Comitijs Imperij vox illa sæpe audita fuerit, cùm perplexi aliquid incidisset; refodiendum Eckium, & è tumulo revocandum esse ad Senatum, velut Solonem quempiam aut Catonem; quòd persuasum esset omnibus, eo suffragante, nihil posse adversus Rempublicam prudentiámve peccari. Avitæ pietatis adeò tenax fuit, ut ne filium quidem voluerit habere hæredem, qui vel latum unguem ab avorum religione recederet. Tertia laus debetur Augustino Lœschio viro juris humani consultissimo & divini perquàm studioso, quo consultore, nihil unquam admittebatur, quo jura divina humanaúe læderentur. Quaternarium implevit Lœschio suppar Franciscus Burcardus, cujus quoque operâ effectum est, ut Boica ad hanc diem pia dici & esse non desierit; quâ laude uti nulla major ulli genti potest accidere, ita id temporis ad omnem Germaniam non pertinebat. Certè Laurentius Campegius Cardinalis, Clementis VII. Pontif. Maximi Legatus, cum Orthodoxis de ratione servandæ & instaurandæ religionis per Germaniam Ratisbonæ congressus, ex Episcopis non habuit nisi ternos, & novenorum Legatos; ex Principibus præter Ferdinandum Austrium & Boios Fratres neminem reperit, quem alloqueretur: quâ ex raritate eò major visa necessitas exacuendæ virtutis, ne bona causa, quæ à multis paulatim deserebatur, à melioribus minùs fortiter defensa videretur. Id tantò magis urgebat, quòd jam tum per Germaniam pullulabat tumultuum sementis, quæ in rusticani belli segetem maturuit. Quamobrem Principes in Comitijs Norimbergensibus in diversa distracti, & de repellendis subditorum motibus non minùs, quàm de cavendis rei Catholicæ periculis solliciti, vix statuebant, quid potissimum remedij esset adhibendum. Decreverant tamen decimo octavo Aprilis, Cæsaris & Ordinum nomine, cum Pontifice esse agendum, ut, quamprimum fieri posset, in Germaniâ liberum ac Generale Concilium indiceret, ad finiendas fidei controversias. Interea novum Conventum Spiræ esse habendum, ad diem undecimam Novembris, in quo constitueretur modus agendi, donec res à Concilio terminarentur: Docendum videlicet esse populum modestè, juxta usitatam à Sanctis Patribus sacræ doctrinæ interpretationem; abstinendum à famosis libellis & picturis contumeliosis: dispiciendum, quænam futuro Concilio forent proponenda, & ea quidem cum moderatione in tolerabilem formam esse redigenda. Wormatiense decretum adversus Lutherum & similia, pro temporis conditione, quoad ejus fieri posset, in Provincijs, ab Electoribus Principibus & Ordinibus esse observandum. Quæ quidem Cæsaris nomine vulgata, Clemens Pontifex non omnia comprobavit. Quamobrem Ratisbonæ, ij, quos dixi, Episcopi ac Principes, re maturiùs expensâ, sextâ Julij, icto inter se fœdere, decretum ediderunt in hanc ferè sententiam. *1. Wormatiensi Cæsaris edicto omnes obtemperent, atque in suis quique Provincijs mandent executioni. 2. Evangelium Deique verbum juxta Sanctorum Patrum interpretationem doceatur. 3. Concionari non liceat cuiquam in ipsorum Provincijs, nisi per loci ordinarium approbato. 4. In Missâ, in sacramentorum administratione, cæterisque ritibus, contra majorum morem nihil immutetur. 5. Puniantur sacerdotes apostatæ, Monachi & Moniales, aliique sacri Ordinis desertores, qui contra votum & Ecclesiæ leges, illicita matrimo-*

LEONARDUS ECKIUS.

AUGUSTINUS LOESCHIUS.

FRANCISCUS BURCARDUS.

XXV.

XXVI.

FOEDUS CATHOLICUM.

nia

nia contraxerunt. 6. Typographi nihil excudant aut distrahant, nisi priùs examinatum & probatum per eos, quibus ejus rei cura demandabitur. 7. Subditorum filij, qui Wittenbergæ studiorum causâ versantur, intra trimestre spatium, isthinc domum avocentur, vel ad alias scholas à Lutheranismo intactas ire jubeantur; qui contrà fecerint, beneficijs omnibus & hæreditate spolientur. 8. Ijs, qui Wittenbergæ deinceps litteris operam navabunt, nec ullum conferatur beneficium Ecclesiasticum, nec unquam in Catholicis Gymnasijs locus ad docendum concedatur. 9. Si quem Principum aliquis propter inobedientiam ditionibus suis ejecerit, eundem cæterorum nemo recipiat, sed ab uno in exilium ire jussus, ab omnibus, quàm latè patent illorum ditiones, proscriptus habeatur. 10. Demum si cui ipsorum propter decretum hoc, molestia creetur à subditis, vel seditio moveatur, reliqui subsidio veniant, opémque sibi ferant mutuò, ita tamen, ut, quæ singuli jam cum alijs habent pacta, ijs per fœdus hoc nihil derogetur.

AN. M. D. XXV. *Kilian. Leibius.*

His veluti munimentis circumseptam Boicam Guilielmus in officio continuit, ne vel ad peregrinos ritus deficeret, aut communi seditionum, quæ cæteras Provincias corripuerunt, contagione corrumperetur. Fuêre quidem etiam inter Boios, quibus Lutheranismus arrideret, quíque à tumultibus non essent alieni; verùm ubi hujusmodi homines vel tenuiter caput efferebant, mox Guilielmus & Ludovicus in ijs reprimendis erant non prompti modò, sed etiam severi.

RUSTICORŨ TUMULTUS. XXVII.

Ardebant interea Provinciæ Bavariæ confines agrestium furoribus, quibus Thomas Munzerus, hausto ex Lutheri scriptis calore, dux erat & Antesignanus. Coaluêre insanorum hominum perduelliones adversus Principes & Magistratus Munzeri declamationibus, quibus exaggeratâ furentis plebis libertate, sic dementabat miseros, ut crederent, se omne dominorum jugum sociatis armis excussuros. Incredibile propè est, quàm celeres progressus habuerit istud Germaniæ incendium. Arsit primùm Alsatia, dehinc Suevia, Turingia, Saxonia, Wirtenbergia, Rheni Palatinatus, Franconia, Tirolis, Austria, Stiria, Salisburgensis ager: sed quæ fuit Numinis in Boicos Principes singularis clementia, tametsi omnia circùm ferverent seditionibus, Boicam communis flamma ne quidem afflavit. Ludovicus, Guilielmi fratris assensu, incendium Salisburgense opportunissimis è Bavariâ suppetijs extinxit. Matthæus Langius Archiepiscopus sacerdotem, aliena ab Orthodoxâ fide docentem, perpetuæ custodiæ mandârat: E civibus quidam cognomine Stœckelius eam rem indignatus, contractâ seditiosorum manu, carcerem effringit, captivum asserit in libertatem. Id crimen Langius capitis supplicio jussit expiari. Hinc ortæ à civibus turbæ rusticos ad arma exciverunt. Junxêre se rebellibus bono numero fossores metallici novæ doctrinæ œstro perciti. Eâ conjuratorum multitudine Langius penè oppressus est. Unica illi spes superfuit in Boico auxilio, cùm ipse Salisburgi in arce obsidione premeretur. Agrestis turbæ imperium erat penes Majerum nescio quem & Gasmaierum, qui nuper Brixinensi Episcopo fuerat ab Epistolis. Ille, effracto domini ærario, profugus, nomen imperatorium unà cum socio inter fossores & aratores occupaverat: nec verò erat omnino stulta & futilis obsidio. Spectantur hodiéque in castro Salisburgensi vestigia missilium, quibus rustici è rusticani modi machinis, mœnia, & ipsa conclavia ex objecto colle verberârunt.

Petr. Gnoda l. 2. oper. Germ. p. 1031. Sur. Comm. 140. Sleidan. 63. seq. Chron. Aug. Myreus. Cochlæus. Faber de act. Lutheri Hund. Metrop.

LUDOVICUS BOIUS SALISBURGENSI PRÆSULI OPITULATUR. OBSIDIO SALISBURGENSIS ARCIS. XXVIII.

Ergo Ludovicus Guilielmi Frater, motus Antistitis periculo, Salisburgum cum justo subsidio advolat: Rusticos minuta prælia tentare ausos, aliquoties cædit. Cætera colluvies in monte, rupibus & operibus firmato, consederat, loco expugnationi iniquissimo. Ludovicus tamen urgebat, ne oppugnatio differretur. Verùm Georgius Freundspergius Mindelheimij Toparcha, recens à partâ de Francis ad Ticinum victoriâ, indignum ratus, nobilem fortium virorum sanguinem ignobili furori objicere, periculo, quàm spe gloriæ majore; Ludovico author fuit, rem prudentiâ priùs, quàm manu tentandi. Delata fuit con-

consultori provincia colloquendi cum agrestibus. Collocutus est tantâ dexteritate, ut cicurati omne causæ suæ jurísque arbitrium Ludovico permitterent. Rei sine ulteriori sanguine confectæ gloriam tulit Ludovicus, cui Langius, actis humanissimè gratijs, se agnovit non modò propriam, sed etiam subjectorum salutem debere. Tabulæ, quas in eam rem dedit, Gnodalium refellunt, quando factæ pacis commendationem transscribit Sueviæ fœderatis, quibuscum Langius id temporis nullam adhuc societatem inierat. Nam Decembri primùm mense isti fœderi fuit adscriptus, eodem anno, quo finem tumultui Ludovicus imposuerat, & coloni violatâ fide, multò quàm antè fœdiùs tumultuarentur. Illi namque obtentu Evangelicæ libertatis, per aspera montium, concitatâ ad servile bellum promiscuâ multitudine, solitò sæviores, signa cædésque circumferebant. Schleimingæ ab ijs multi optimi sanguinis Nobiles obtruncati: haud pauci, qui ad ædis sacræ asylum confugerant, extracti ad gladium, servati alij ad ludibria ipsâ morte duriora. Plura ferox genus hominum daturum erat crudelitatis exempla, nisi Michaël Grueberus, factâ ad Archiepiscopum transitione, totam rerum faciem immutâsset. Ejus enim ductu atque consilijs cùm via ad domandum montanorum furorem fuisset reperta per inobservatos calles, & Langius cum tredecim cohortibus montium ardua superâsset, concidêre agrestium animi, solo se rupium objectu tutos insuperabilésque antè existimantium. Tum demum arbitrati sunt sua jam seriò premi capita, serámque fore pœnitentiam, quando mors & captivitas, quæ illis ob oculos versabatur, eorum vesaniam oppressisset. Quamobrem dispalati primùm, cœpêre deinde collectâ meliore mente, de pace exorandâ deliberare, tandémque supplices se suáque Principi permisêre. Hæc de utroque bello paulùm extra temporis ordinem.

Pax componitur. *Littera Langij.* *Bellum recrudescit.*

XXIX. *Rustici a variis domiti.*

Alibi hoc anno amentes colonos profligârunt, Antonius Lotharingiæ Dux, Ludovicus Septemvir Palatinus, Ernestus Badensis, Georgius Truckfessius Walpurgius. Captus denique Munzerus, & ultimo affectus fuit supplicio. Victi, cæsi, vincti perduelles ad centum quinquaginta millia, si scriptorum nonnullis fides. Qui paucissimos memorant, scribunt perijsse quinquaginta millia. Non facilè aliàs tot Religiosorum domicilia, arces nobilium, privatorum opes, in Germaniâ eversæ.

Deo suísque Principibus debuêre Boij, quòd sæviens illa adusque Lycum Boicæ limitem tempestas, ultrà non fuerit progressa. Tanti fuit Lutherum & Luthericæ doctrinæ incunabula, statim à Boijs amovisse, ejus scripta proscripsisse, populos continuisse in officio Christianæ pietatis, in debitâ sacris Præsulibus & magistratui reverentiâ, quæ vix sibi constat, quando illa, quæ Deo rebúsque divinis debetur, evadit in contemptum.

An. M. D. XXVI. *Bellum Turcicum in Ungaria.* *Guicciard. l. 17.*

XXX.

Guilielmus non in Boicâ tantùm defendendâ, sed etiam in Ungariâ à Solymanno Turcarum Principe vindicandâ, operam posuit. Primus, de quo constet, Germaniæ Principum fuit, qui regno nobilissimo, post captum à Turcis Belgradum periclitanti, arma virósque subsidio misit. Militem duxit Gaspar Winzererus lectum ex omni nobilitate Boicâ. Arma prompsit ex præsidijs, majori usui futura, si Ungari suo Regi non defuissent. Solymannus anno vigesimo sexto, immanem è Thraciâ regnísque suis adduxit exercitum, tantò numero, ut transfuga quidam in Ludovici Ungariæ Regis castris narraverit, si Turcæ omnes vinctis post terga manibus Ungaris objicerentur, triduo tamen opus fore, ut omnes à minutis Regis copijs trucidarentur. Habebat enim Ludovicus sub signis non ultra viginti sex millia. Expectabantur propediem adfuturi auxiliares è Transsylvaniâ: in procinctu erant è Bohemiâ & Moraviâ, qui succurrerent: verùm fatalis Ungarorum confidentia, Regi Ludovico juveni inexperto exitium, Regno summam cladem attulit. Scribunt Paulum Tomoreium, ex Monacho copiarum Præfectum, suis figmentis & temeritate, cùm hostium vires magno contemptu supra modum minueret, & Ungarorum virtutem sæpéque antea reportatas victorias in immensum extolleret, hujus calami-

tatis authorem fuisse. Verùm memorant alij, Nobilitatem Ungaricam, ut ætate, ita & prudentiâ infirmam, spreto seniorum consilio, haud modicè isti malo esse operatam, cùm prælium confestim adversus Solymannum quasi jam devictum convitio posceret, & spolia ante pugnam, inter ludos & pocula, partiretur. Ergo acie in planicie ad Mohazium, quæ Turcis ob immane robur equitatûs mirè erat opportuna, per otium instructâ, Solymanni adventum præstolati, solo tantæ multitudinis aspectu territi, qui linguâ antea fuerant pugnacissimi, ne tentato quidem certamine, Solymanno in manus dedêre victoriam. Rex animi magnitudine, quam accendebat adolescens juventa, excelsissimus, (nondum enim vigesimum annum attigerat) à suis desertus, in proximo Danubij æstuario, cum equo in aquas lapsus submersúsque interijt. Multi præterea Optimates occubuêre: multos fugientes hausit Danubius. Pedestris exterorum acies, in quâ nostri, à fugaci Ungarorum equitatu turbata, gradu stabili hostis impetum excepit, sustinuítque, donec universa Turcico ferro caderet. Clades hæc die vigesimâ octavâ Augusti accepta.

Dubravius l. 33.

LUDOVICUS UNGARIÆ REX IN DANUBIO PERIIT.

AN. M. D. XXVII.

Pacem, confecto servili Rusticorum bello, in Germania compositam, in Boicâ conatus est turbare Leonardus Cæsar gente Boius, fictus factúsque ad Lutheri mentem Wittenbergæ, ubi sacerdotium, quo erat insignitus, execratus, Lutherico more credere & loqui didicerat. In patriam reversus, ne diu lateret, fecêre Principis, in omnia novandæ religionis vestigia, pervigiles excubiæ. Ille ratus, se Passavij tutiùs novitiæ fidei semina posse spargere, nonnihil isthic temporis & operæ posuit. Verùm Ernestus, Guilielmi non sanguine duntaxat, sed etiam religionis studio germanus, Pataviensium Episcopus, maturè deprehensum jussit vinciri. In vinculis ad quæstionem vocatus, cùm à quæsitoribus, inter quos Joannes Eckius, nihil in eo sanando proficeretur; Ernesto volente, tametsi magni nominis viri, inter quos Joannes Fridericus Saxoniæ Elector, intercederent, Guilielmo Duci traditus, in rogo nocere & docere desijt, decimâ sextâ Augusti; pòst à suis relatus inter Pseudo-Martyres. Plures, qui contra latam à Guilielmo legem, Augustæ aliisque locis se corrumpendos errorum seminatoribus præbuerant, carceris capitísque supplicio pœnas dederunt, & Monachij quidem viginti novem, Landspergæ verò novem.

LEONARDUS CÆSAR CREMATUS.

GUILIELMUS A BOHEMORUM NONNULLIS, REGNO DESTINATUR.

Paul. Iovius lib. 3.

Guilielmo pro tutanda religione laboranti, quorundam Bohemiæ Procerum studia Regnum destinabant. Sublato enim Ludovico Ungariæ pariter & Bohemiæ Rege, cùm divisis Bohemorum votis alij pro Ferdinandi Austriæ Archiducis, qui Annam Ludovici sororem duxerat, jure hæreditario niterentur, alij id generis successionem improbantes aliò tenderent, Berenstainius & Caupho, absolutam Regis cooptandi libertatem in Podiebracio usurpatam præferentes, Procerum animos & suffragia pro Guilielmo Bavaro sollicitârunt. Ferdinando quidem cessit Corona non modò Bohemica, ipso D. Matthiæ festo, sed etiam Ungarica SS. Simonis & Judæ ferijs; sed Guilielmo decorum fuit, Boici nominis & virtutis existimationem apud Bohemos tanti fuisse, ut, quod in Alberto Pio eligendo frustra aliàs tentârant, nunc in Guilielmo feliciùs successurum arbitrarentur. Quæ res eò fuit fortunatior, quòd Ferdinandi gloria Guilielmum nihil depresserit, nec Guilielmi secunda apud Bohemos fama, Ferdinandi benevolentiam labefactârit.

AN. M. D. XXVIII.

XXXI.

Hæc ubi illæsâ inter utramque Domum amicitiâ contigerant, résque erant in Boicâ quietæ, malis artibus aliunde bellum accendere aggressus est quidam Jurisconsultus ex equestri ordine. Eum Sleidanus Lutheri patronus, Othonem Paccium, Laurentius Surius Georgium nuncupat. Homini Lutherano consilium erat, Germaniæ Principes inter se committere. Pro causâ, homo versutus arripuit fœdus inter Ferdinandum Austriacum, Boicos Principes Guilielmum & Ludovicum, & quosdam Antistites, Ratisbonæ initum ante quadrienniû, legibus ad mutuam fidei Romanæ in suis Provincijs tutelam communi omnium consensione constitutis. Erat Paccius ex primis Georgij Saxoniæ Principis apprimè

I Catho-

Catholici consiliarijs, Luthero clàm addictus. Agebat tum apud optimum Principem vices Cancellarij. Hac abusus occasione, formulam commentus est fœderis cujuspiam, ab aliquibus Orthodoxis Principibus adversus Saxoniæ Septemvirum & Cattorum Landgravium sanciti. Formulæ ut fidem adstrueret, adhibuit furtivè Georgij Ducis sigillum. Tum Landgravium opportunè nactus, clàm admonuit suis rebus uti prospiceret: grande enim ipsi parari malum: Etenim non ita pridem Ferdinandum Austrium, Georgium Saxonem, Guilielmum & Ludovicum Bavaros, Moguntinum, Salisburgensem, Bambergensem, Herbipolitanum, fœdus icisse, ad religionem ipsúmque Landgravium, unà cum Saxoniæ Electore opprimendum. Quâ de re ne ambigeret Landgravius, Sleidanus non satis sincerè ait Paccium fœderis exemplum ostendisse, promisso, se in loco Archetypum quoque ostensurum: Surius candidiùs, prompsisse eum fœderis tabulas, quas ipse finxerat, Georgij Ducis signo munitas. Signatum Autographum, an apographum nudum prompserit, sic cepit Landgravium, ut communicato cum Saxoniæ Electore consilio, bellum validásque copias uterque pararet. Dum Principes cæteri, comperto apparatu, in res suas intenti, mirarentur, quorsum tantum armorum spectaret, Landgravius socerum Georgium Saxonem per litteras hortatur, ut fœderi nuntium remittat, unáque mittit fœderis formulam. Georgius nihil ejusmodi conscius, figmentum detestari, petere à Genero nomen authoris vel saltem indicis, & ipsum tabularum autographum. Idem ursêre Principes alij, qui nomen isti fœderi dedisse vulgabantur. Universi tumultuarios habuêre delectus, ne prorsus imparati opprimerentur: simul poposcêre edi fabulæ istius architectum, haud dubiè deploratæ nequitiæ nebulonem. Hâc moti tot magnorum Principum inficiatione Saxo & Landgravius, cœperunt agere cunctantiùs, & ad pervestigandam veritatem conventum Legatorum non recusare. Ubi in rem ventum, cùm Paccius à Landgravio (ne ipse figmenti author haberetur) denique vulgatus, nihil præter dolos probaret, falsi convictus, damnatúsque, Landgravij patrocinio mortem evasit quidem, sed non evasit perpetuam infamiam, in quâ per reliquam vitam vagus ac profugus, ad extremum Antuerpiæ, post longum carcerem & gravissimos quæstionum cruciatus, abscisso capite in quatuor partes dissectus fuit, homo decoctor, & compertæ nundinationis, quâ complures libellos fictos, aliensque sigillis munitos perniciosè vendiderat & perfidè. Hæc tametsi eo modo haberent, attamen à Landgravio quatuor florenorum millia præmium acceperat, quam pecuniam Landgravius cum fœnore recepit. Neque enim, errore deprehenso, statim & gratis ab armis discessum est, sed priùs aliena simplicitas luenda fuit Septemviro Moguntino, Bambergensi & Herbipolensi Antistitibus, non quasi commeruissent, sed quia proximi erant, in quos belli primus impetus verteretur. Quare cùm ad illud excipiendum nondum pares illis ad manum forent copiæ, ne obruerentur, periculum redemêre centum aureolorum millibus, de quibus Moguntinus persolvit quadraginta, Herbipolensiis totidem, Bambergensis vicena.

Serar. rerum Mogunt. in Albert. Brandeb. l. 5. XXXII. Paccii doli et supplicium. XXXIII. Damna Moguntini, Bambergensis et Herbipolensis.

Anabaptistarum colluvies hoc anno sedem sibi in Boicâ delegerat. Conati sunt Monachij potissimùm, Salisburgi, & Augustæ nidulari. Cœtus opertaneos habebant in hortis, unde illis nomen Fratrum Hortensium. Non fugêre diu intensas Principum ac Magistratuum vigilias. Ut primùm se prodidêre clancularıæ coitiones, fanatici homines è suis latibulis extracti, flammis ferè omnes fluminibúsque hausti sunt, tam pertinaci pereuntium vesaniâ, ut plerique exporrectâ fronte ridentésque, ignes aquámque, arreptitiorum more exciperent. Mollior Lutheranismi Augustæ conditio fuit, utpote qui jam jus civitatis erat adeptus. Profanabantur templa, & ex ipsis adeò cathedris, Lutheri præcones impunè audiebantur. Nam Anno secundo supra vigesimum, Joannes Froschius Carmelitarum Prior, Doctoris Theologi nomine tumidus, fide desertâ, Lutheranas conciones habuerat. Huic aliisque fortiter obstitit Joannes Cancellarius Mindelhaimensis Augustinianus, Episcopi Augustani Theologus. Anno vigesimo

Anabaptistæ puniti. *Brunn. in Excub. Chron. August. Stengel.* Lutheranismus Augustam invadit.

ſimo quarto Sartor nonnemo Joannes Neslinus, Jconoclaſtarum more, involavit in Chriſti ac Sanctorum imagines, à Magiſtratu paulò pòſt juſſus ſolum vertere. Eodem anno Joannes Schillingus Franciſcanorum Lector, cœpit Lutheri doctrinam pro concione venditare. Proſcriptus quidem à Senatu abijt in exilium; ſed cùm plebs ejus deſiderio ſeditionem pararet, ab eodem revocatus, menſes aliquot priorem locum tenuit. In abeuntis locum ſuffectus Michaël Cellarius ejuſdem farinæ concionator. De Schillingo F. Clemens Sinder memorat, eum hoc anno, Feſto Sanctiſſimi Sacramenti, ad tremendi myſterij ludibrium, cœnam Zwinglianam in ſolario ſupra tectum erecto, cum novem alijs ſuæ ſortis civibus inſtituiſſe, & raphani diſſecti orbiculos in modum panis Euchariſtici, cœnaturientibus porrexiſſe. Verùm ut ſceleris gravitas pateſceret, ſolario corruente, è cœnantibus unus unà cum menſâ præcipitio fuit eliſus, alij veró hinc inde in tecto & aquæductu hærentes, ægrè mortem, & ne ægrè quidem publicum probrum evasêre. Mox anno ſequente, ipſis Chriſti naſcentis ferijs, in D. Annæ templo, is, quem dixi, Froſchius (Latinè ranam dixeris) & Urbanus Regius, uterq; Carmelitanæ diſciplinæ deſertor, cœnam Lutheranam propinârunt. Ita cùm ejus generis exempla Boicæ jam evaſiſſent ex vicino metuenda, Guilielmus meritò veritus, ne in ſuas ditiones penetrarent, graviſſimis edictis ſuos vetuit hujuſmodi hominum uti conſuetudine aut contubernijs. Comperit inter hæc Ulricum Rhelingerum Conſulem Auguſtanum, in arce Lederenſi, Michaëli, quem jam nominavi, Cellario hoſpitium præbuiſſe. Quapropter confeſtim Wolfgango Theodorico Knöringio Schwabeckæ Præfecto negotium dedit, cum quinquaginta equitibus, peditibúſque ferentarijs centum quinquaginta, hominem contagioſum iſto latibulo, niſi ſponte dederetur, per vim auferendi. Verùm cùm Cellario id periculi ſuboluiſſet, tempeſtivè ſe diſpoſitæ indagini, malè ſibi conſcius metuénſque, ſubduxit.

XXXIV. — Cœna Zwingliana ex raphanorum rotulis.

Plus fuit audaciæ in fœminâ Luthero auctoratâ. Illi nomen Argula Stauffia, genus à Barone Ehrenfelſio, matrimonium cum Friderico Grombachio, domus arx Leottingana. Ex hac domo, auſa Joannem Eckium ad ſingulare de fide certamen provocare: ſed ille indignum ratus altercari cum fœminâ, colu fuſóque ei tranſmiſſis, juſſit *Argulam inter ſuas quaſillarias argutari.* Eidem nihilo plus in Guilielmum Ducem verecundæ frontis fuit, quando non dubitavit conſtantiſſimum Romanæ religionis propugnatorem ad Lutheri caſtra invitare: quam ob impudentiam, apud ſuos contribules nomen Auguſtæ & Reginæ, apud Lutherum Diſcipulæ Chriſti & Filiæ Dei, ac demum apud Rabum, locum in Martyrologio Lutherano, inter Indigetes & novi Euangelij ſydera, eſt conſecuta. Guilielmus haud paulò ſapientiùs, ne terrâ quidem dignam ratus, eam ex univerſis Boicæ ditionibus exturbavit. Memorabile eſt, quod Aiblingæ, ſexto à Monachio milliari, cuidam mulieri Anabaptiſtarum technis irretitæ contigit. Deprehenſa ac comperta hauſtæ ſeductorum fraude hæreſeos, aquis ultricibus præfocanda magiſtratûs judicio fuit addicta. Jam ultra quartam horæ partem ſub undis hæſerat, & credebatur extincta, cùm à carnifice extracta, ut aſini ſepulturæ mandaretur, cùm nulla vitæ indicia apparerent, impetu in terram ſic alliſa, ut ſanguinis copia ex impacto vulnere manaret, exclamavit; *Heu quænam eſt iſta durities?* Mirati, qui aderant, prohibuêre tortorem, ne viventem, dictatóque functam ſupplicio, conficeret. Tum illa: *Beata & ſemper glorioſa virgo Maria mihi utique vitam ſervavit, quam ideo nefas eſt mihi auferre. Peccavi fraudis ignara & alieno ſcelere perverſa. Hæſi in iſto luto per viginti hebdomades, fateor, ſed proh dolor! nimium viris ſceleſtis credula. Quamobrem cùm per omnem vitam Deiparam miſericordiæ matrem ante meum errorem coluiſſem, adfuit illa mihi ad ſupplicium eunti, ſuam opem addixit, & fideliſſimè præſtitit. Nam me in aquam projectam ſuâ manu in ſpirabiles auras mortalium oculis inviſam ſuſtulit, texit ſuo pallio, protexítque, ne perirem.* Talia religionis haud neglectæ exempla, quæ non in Boicâ duntaxat, ſed alibi quoque edebantur, urebant Lutheri ſectatores, quibus indignum

Argulæ Stauffæ impudentia.

XXXV.

Ann. M.S. ſcriptoris edit. an. 1654.

gnum videbatur, divulgandæ novitatis licentiam accîdi, Lutheri emissatijs, non eâ, quâ voluissent, impunitate toleratis. Querebantur, anno superiore Leonardum in Bavariâ, Henricum Zutphaniensem in Dithmarsis, Adolfum Clarenbachium & Petrum Flistedium apud Agrippinenses, malè habitos. Quamobrem cùm Spiræ apud Nemetes Comitia Imperij agerentur, Joannes Saxoniæ Septemvir, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Philippus Landgravius, Wolfgangus Anhaltinus, Philippus Pomeranus, Ulricus Wirtenbergicus, Albertus Mansfeldius, decimo nono Aprilis protestati sunt, sibi religionis libertatem injustè imminui. Hinc natum nomen Protestantium, quod illis, qui ab avorum religione desciverunt, in Germaniâ factum est commune. Comitijs præerat pro Cæsare Carolo Rex Ungariæ Ferdinandus, de maturandis Germanorum adversus Solymannum, Austriæ imminentem, auxilijs vehementer anxius, quòd Protestantes ab eo bello se prorsus abstinere velle profiterentur, nisi fieret laxior retinendæ novationis potestas. NOMEN PROTESTANTIUM UNDE NATŨ.

XXXVI.

Interea Solymannus, Budâ domitâ, & parte Ungariæ permagnâ potitus, certis nuncijs ferebatur, cum totius Asiæ viribus in Austriam properare, & ut minimùm sub signis trahere trecenta armatorum millia: unde Ferdinando & Catholicis Principibus metus haud inanis, ne Viennâ, quæ Germaniæ claustrum est, tantâ barbarorum multitudine oppressâ, tota Austria atque inde Germanicum Imperium traheretur in miserandam hostis immanissimi servitutem. Quare maturato opus erat, & validis suppetijs. In ijs ferendis nihil fuêre cunctati Catholici Ordines. Friderico Comiti Palatino, Ferdinandi & Ordinum voluntate, exercitus cum supremâ Legati potestate commissus. Fridericus Philippum Nepotem, incredibili animi magnitudine & militari industriâ Principem, cum subsidiarijs aliquot vexillationibus, Viennam præmisit. Jam enim certis authoribus accipiebatur, Solymannum Adrianopoli egressum, peragratâ Ungariâ, totum penè Orientem secum ad ejusce urbis obsidionem trahere. Philippus ergo festinatis itineribus Viennam ante Turcæ adventum ingreditur, suburbia & navalia exurit: urbem firmat præsidijs, commeatu, & bellico instrumento, dum Fridericus cum reliquo exercitu & geminis fratribus Henrico Leodiensi & Wolfgango Ratisbonensi Episcopis, subsequeretur. Ernestus Pataviensis Antistes Boicæ Dux submittendæ secundo Danubio ad exercitum alendum, annonæ curam in se suscepit, quâ & peregregiè est perfunctus. BELLO TURCICO FRIDERICUS PALATINUS PRÆFICITUR. VIENNÆ OBSIDIO.

Fridericus unum alterúmve diem cum Ferdinando Rege de summâ gerendi belli collocutus Linzij, vix Crembsium venerat, cùm nuntij adferuntur, Turcam sexto cal. Octob. terrâ ac fluvio sic arctare Viennam, ut deinceps interclusa esset facultas, citra supremæ aleæ discrimen, majores copias inferendi. Erant in urbe peditum viginti, equitum duo millia, quos Philippus per singulas stationes sic distribuerat, ut ipse portam Salinariam, quæ Ungariam respicit, ad Rubram usque turrim: Carinthiam Eckius Reisachius ad D. Augustini ædem usque, regionem inde usque ad arcem Albelus Holeneckius; Arcem Leonardus Velsius; Hortorum, arcis, partem & portam usq; ad Scotorum & Judæorum turrim Maximilianus Leisser tutarentur. Erant præter hos in subsidijs quingenti Austrij equites, qui quaternas urbis areas occupabant, parati ad omnem Philippi nutum, si qua eos necessitas ad tutanda mœnia postularet. Binas urbis regiones Joannes Greiseneckius & Joannes Hauserus ad portam usque Salinariam (Stubanam) tenebant, reliquas, quà Danubius allabitur, ad portam usque Rubram Ernestus Brandensteinius, Guilielmus Wartenburgicus, & Joannes Hardeckius cum duobus peditum Bohemorum millibus, & alarijs ducentis defendebant. Reinprechto Eberstorfio & civibus cura restinguendi, siquod oriretur, incendij. Solymannus castris, quæ ad decem passuum millia porrigebantur, urbi circumpositis, tormenta suis quæque sedibus cœpit mœnibus admovere, dies noctésque tonare, exballistare murum, cuniculos agere, accensis furnulis ruinas edere, irruptiones furiosissimè varijs locis facere: obsessi contrà, locis omnibus generosissimè oc- XXXVII.

mè occurrere, muri ruinas instaurare, cuniculos eventilare, eruptionibus hostem fatigare, vicies summis viribus mœnibus insultantem cum luculentâ clade reprimere: verbo, tantâ fortitudine rem gerere, ut Solymannus, cognito, Ferdinandum cum justo exercitu è Bohemiâ, ad Friderici castra properantem, prælij copiam non detrectaturum, vel vires Asiaticas brumæ impatientes cunctando absumpturum, amissis in obsidione (tot referunt scriptores) octoginta millibus, incensis castris, inglorius mœstúsque per Ungariam regressus, Viennam periculo, Germaniam ingenti metu liberârit. Magnæ laudi fuit Ernesto Guilielmi fratri, ducentis sexaginta hominum millibus commeatûs affatim in tres menses expedivisse, difficillimo licèt tempore & permagnâ annonæ caritate, quæ hoc anno non Italiæ modò, præsertim Venetijs, sed etiam Germaniæ famem plurimis exitialem invexit.

SOLUTA.

Accessit dira lues ex Angliâ per loca maritima in Germaniam propagata (sudorem Anglicum nuncupârunt) quæ intra horas viginti quatuor correptos vel tollebat, vel si superarent, longâ debilitate languentes sternebat. Antequam medici ejusce morbi genium & remedia pernoscerent, innumeros mortales morti transmisit, & inter eos quidem Spirensem Episcopum, sanguinis Palatini Principem.

SUDOR ANGLICUS.

PROTESTANTIUM ET ZWINGLIANORUM CONGRESSUS.

Protestantes & Zwingliani, suasu Hassiæ Landgravij, Octobri mense Marpurgi conventum & certamen de suis religionibus instituêre. Exitus fuit, ut cùm multùm ac fervidè de Cœnæ suæ ratione fuissent digladiati, pacati in speciem, quantum ad cœtera professionis capita, reipsâ infesti dissentientésque quoad doctrinam de sanctissimi Sacramenti mysterio, discesserint.

AN. M. D. XXX.

CAROLI V. CORONATIO.

XXXVIII.

Carolus Cæsar è diverso profectionem Italicam, ad suscipienda de more Regni Italici & Imperij insignia adornabat. Res acta Bononiæ anno trigesimo, die D. Matthiæ ad cœlos eunti, & Cæsari terris exorto, natali. Id fieri maluisset Romæ, utpote sanctissimâ sacrorum sede, & priscâ Cæsarum inauguratione clarissimâ: sed Urbis nuper à Germanis, Duce Carolo Borbonio, deformatæ tenuitas, & aspersa Cæsari invidia, quasi non improbâsset Romanorum cladem, Pontificis in Adrianâ mole obsidionem, cæteráque mala, quæ ipsius miles intulerat, Carolum in præsens ab urbe avertebant. Bononiensem pompam describit suo styllo, hoc est, elegantissimè Paulus Jovius: nobis sufficiat dicere, nunquam aliàs tantâ Principum populorúmque cujusvis Ordinis frequentiâ, splendore, & gravitate ullibi locorum Cæsares fuisse coronatos. Et verò pompis istius generis, hæc ipsa Bononiensis, coronidem visa imposuisse, quippe quæ nullam adhuc sequentem habuerit, an habitura sit, incertum; certè, qui superstitiosiùs, absolutâ illâ postremâ, inexpectatam abruptionem pontis pensilis, qui à Prætorij Bononiensis fenestris, per forum & templum Petronianum, ad aram usque Principem, continuis sublicis fulciebatur, sunt interpretati, accepêre pro sinistro omine ac portento; quòd Cæsares deinceps ad capiendam coronam non essent venturi in Italiam. Verùm hæc fuêre otiosorum hominum commenta, non oracula Numinis omnia præscientis.

CAROLI V. ADVENTUS IN BOICAM.

Redeunti ex Italiâ in Germaniam Cæsari, Guilielmus & Ludovicus Boij Duces, honoris causâ officiosè præstò fuêre. Diverterat antea Carolus Oenipontum ad 8. Id Junias, indeque delatus Schwazium, à quinquies mille metallarijs ludicro sciamachiæ spectaculo recreatus, donatúsque argenteo numismate mille septingentorum aureûm; Kuefstainij Boicos Duces obvios habuit. Deductus ab his per Provinciam unà cum Ferdinando Rege & Cardinale Campegio, Monachij omni regio honore fuit affectus. Advenienti sub ferias Pentecostes, extra urbem, ad duo passuum millia turma equitum quingentorum quinquaginta, splendidè exculta, cum peditibus mille sexcentis, venêre obviam. Tum editis belli simulacris, arces operis extemporanei, quarum una quatriturrita, extra mœnia; altera in medio foro ludicrâ obsidentium specie, inter æneatum machinatum, quæ centum fuêre vel supra, fragores, quibus cœlum terribi-

ribili sonitu tonare, terra quati & tecta nutare videbantur, expugnatæ. Exhibiti præterea ludi magnificentissimo apparatu & inventis ingeniorum nobilium. Nihil omissum, quod ad honorandum exhilarandúmque Imperatorem facere videretur. Præbita etiam fuêre inter festivos ignes nocturna in aëre pyrei artificij spectra, quibus palmam tulêre Dracones cum Medea volantes & decertantes.

LUDI MILITARES, SPECTACULA.

Indixerat Augustus, anteaquam Bononiâ discederet, 6. Id. Aprileis, Augustam Vindelicorum Imperij Comitia. Ad ea (cùm quatriduo Monachij substitisset) 17. cal. Quintileis profectus, Boios Duces habuit in comitatu. Urbem ingressus est in profesto divinissimi Sacramenti, exceptus extra mœnia à Principibus & Ordinibus Imperij, cum summâ reverentiâ, qui in pedes, ad primum ejus conspectum se demisêre. Ipse vicissim & Ferdinandus Rex, pro singulari suâ modestiâ, non nisi stans Albertum Moguntinum Electorem decentissimâ oratione gratulantem, audire sustinuit. Pòst, deducto in urbem & sub umbella equitanti, Augustanus Antistes unà cum universo clero ad summam ædem præivit. Pompa duravit ad diei noctísque confinium. Eâ absolutâ Cæsar ad Episcopium concessit, cæteri ad sua quisque hospitia. Actum eodem vespere prolixè, & manè sequenti, cum Saxone & alijs ejusdem fidei Principibus, ut publicæ supplicationi interessent, in quâ circumgestanda erat sanctissima Evcharistia; sed actum frustra, quòd ipsis esset persuasum, Christum in eo Sacramento non debere adorari, & quibusdam videretur, non esse præsens extra tempus sumptionis. At verò Cæsar religiosissimus, tametsi meridies appeteret, cum reliquis Principibus magno numero, cúmque Hispanis & Belgicæ Proceribus, eximio sensu pietatis, ardente licèt sole, capite semper nudo, sacrosanctam hostiam est secutus. Eam gestabat Cardinalis Moguntinus, cujus dextram tenebat Rex Ferdinandus, sinistram Joachimus Brandeburgicus. Evcharistiam præcedebant sæculares Principes cæteri, & frequens Clerus, singuli ad Cæsaris exemplum collucentem facem gestantes. Umbellam, sub quâ sanctissimum Sacramentum ferebatur, per vices gestabant seni Principes sæculares. Cæsar ægrè tulit Acatholicos id officij detrectâsse, jámque in eo erat, ut sub publicâ fide eos Augustâ juberet facessere, nisi Catholicorum Principum precibus ab ea sententiâ se deduci passus fuisset.

COMITIA AUGUSTANA. *Chron. Aug.* XXXIX.

Sur. in Comm.

SUPPLICATIO PUBLICA IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Postridie ejus diei, Cæsar ante publicum consilium ad rem divinam iturus, jussit Saxonem, ensem de more sibi præferre. Dubitantem an fas foret Augustum ad sacrificium comitari, verbi Lutherici præcones permovêre, ne fungi suo officio cunctaretur, sacra verò nihilo plus præsens, quàm absens curaret. Ubi ventum est ad Senatum, Cæsar comitiorum causas jussit per Fridericum Palatinum explicari, religionis videlicet ad consensionem reducendæ, & Solymanni graviùs indies Christianorum cervicibus imminentis, à Germaniâ reprimendi. Posteaquam cœptum est agi de religione, Melancthon, communi Lutheranorum nomine & authoritate, formulam religionis conscriptam Cæsari obtulit, quam à loco, confessionem Augustanam appellârunt. Diversam deinde porrexêre Zwinglij asseclæ missi à quatuor civitatibus, Argentinâ, Memminga, Constantiâ, & Lindaviâ: utramque Cæsar Theologis, in quibus Joannes Eckius, Cochlæus, & Leonardus Schrœtingerus, censendam commisit. Frustra fuit horum cum Melancthone sociisque colloquium. Tandem sub anni finem Cæsar publico edicto sanxit, ut prisca Ecclesiæ Catholicæ fides, citra mutationem, retineretur, donec Oecumenicum Concilium, quod brevi cogendum sperabatur, fidei controversias definiret. Edicto, post Cæsarem, subscripsêre quinque Septemviri, Præsules triginta, Principes sæculares tres & viginti, civitates liberæ triginta novem, Cœnobiarchæ duo supra viginti, Dynastæ triginta duo, totidem signa fuerunt appensa. Guilielmus Bavarus inter Octoviros, quibus istius senatusconsulti peculiaris cura fuit commissa, assedit, cum Georgio Saxone & Henrico Brunsvicensi Ducibus, Moguntino & Brandeburgico Electoribus,

XL.

CONFESSIO AUGUSTANA CÆSARI OBLATA.

CÆSARIS EDICTUM DE RETINENDA VETERI RELIGIONE.

tri-

tribúsque Episcopis ad hoc ipsum delectis. Sub anni finem, Ferdinando Regi Romanorum creando Comitia Coloniam indicta sunt, Protestantibus, Saxoniæ Septemviro potissimùm & Landgravio Hassorum improbata: nec verò probata Guilielmo, sed suspecta; non quòd Imperium ambiret, sed crederet per istam subrogandorum Cæsarum rationem, restringi suffragiorum libertatem, & Romanum Imperium paulatim uni familiæ connecti. Ea res cùm multorum sermonibus invidiosissimè traduceretur, fœderi, quod initum fuit cum Francisco Galliarum Rege, causam præbuit. Sub anni finem Protestantes inter se societatem adversus Catholicos inituri, Smalcaldiam convenêre. Fœderi nomen dedêre alij quoque Acatholici, unde postea natum est bellum Smalcaldicum.

FOEDUS PRINCIPUM CUM FRANCISCO GALLIÆ REGE. FOEDUS SMALCALDICUM. AN. M. D. XXXI. XLI.

Habuêre præterea anno sequenti, tum alibi, tum Francofurti, suos conventus, uti se adversus omne Catholicum in Germaniâ nomen armarent. Qui Smalcaldiæ convenerant, litteras dedêre ad Franciæ & Angliæ Reges, quibus sua illis studia probarent, & conciliarent suæ causæ si non patrocinium, at saltem authoritatem & benevolentiam.

AN. M. D. XXXIII. SUEVICA SOCIETAS SOLUTA. BRUNOVIENSIUM CASUS.

Cùm ea fœdera in Germaniâ jungerentur, nobilis Suevicæ gentis Societas soluta est, cùm annos quinque & quadraginta bello potens, rebus præclarè gestis implevisset. Pauca hic annus in Boicâ dedit digna annalibus. Obscurus casus est & tristis, qui Brunovij contigit. Ibant Brunovienses supplicatum solenni ordine, qui ritu sacro inter pios solet usurpari illâ hebdomade, quâ Christi cum triumpho ad cœlum conscendentis memoria à pijs recolitur. Pons Oeno impositus, fessus frequentiâ & pondere transeuntium, succubuit. Sacerdos dux agminis, cúmque illo trecenti mersi undis sunt & suffocati.

AN. M. D. XXXIV.

In Boiariâ, magno omnium luctu raptus est Theodo puer regiæ indolis, cùm annum nonum ageret. Wolferzhusium locus illi fatalis fuit, undecimâ Julij, cùm jam destinatus esset ad futuras nuptias, quando per ætatem foret opportunum, Annæ Ferdinandi Romanorum Regis filiæ, quæ postea Alberto ejus fratri in manus convenit.

FOEDUS GUILIELMI CUM FRANCISCO REGE.

Hoc ipso anno confectæ fuêre tabulæ fœderis initi cùm Francisco Galliarum Rege, à Guilielmo, pro communi Imperij libertate. Sunt illæ sic scriptæ, ut nullius prorsus odium profiteantur, sed unicam Germanicæ libertatis defensionem. Verùm ubi paulò pôst apparuit, Regem Franciscum id nomen fœderi obtendisse, ut cladem ad Ticinum acceptam, & secutam captivitatem ulcisceretur; Saxoniæ verò Septemvirum & Hassiæ Landgravium Catholicæ religionis odium, libertatis obtentu velare, Wilhelmus, cui & Cæsaris salus & Romana fides rebus mortalibus longè erat charior, fœderi tempestivè nuncium remisit, illos solos habiturus amicos, quos neque ad aras, neque ad Romanas aquilas deserere cogeretur. Id animi propositum eâ constantiâ tenuit, ut Guilielmus Bellajus Langius, cujus nomen in tabulis primo loco subscriptum legitur, cùm ad Protestantes, Smalcaldiæ conventum agentes, missus esset à Rege Galliæ, palàm Comitio affirmârit, se cum Boijs Fratribus de fidei controversijs collocutum quidem, sed eosdem comperisse ipsis Theologis Parisiensibus duriores. Tales esse decebat eos, qui in Apostolicæ Confessionis petrâ solidati, sibi gloriæ & saluti ducebant, in causâ tanti momenti tuendâ, adamantinam firmitatem imitari.

ULRICUS WIRTENBERGIUS PROVINCIÆ REDDITUS A CATHOLICA RELIGIONE DEFICIT. XLII.

E diverso Philippus Landgravius Ulricum Ducem Wirtenbergicum à fidei Romanæ constantiâ dimovit. Jam eum meminimus pulsum è suo Principatu, ditiones vacuas Austriacis reliquisse. Eundem postliminiò reducturus Hassus, collecto exercitu Ferdinando Austrio Romanorum Regi, qui Wirtenbergiam ditione tenebat, bellum intulit. Malebat Ferdinandus jure, quàm bello decernere, sed Hassus ejus copias nactus ad Lauferum oppidum, partâ de Philippo Palatino Ferdinandi Legato victoriâ, Ulricum suæ Provinciæ redditum Romanæ Ecclesiæ ademit. Mox enim ubi pax certis legibus cum Ferdinando convenerat, pulsis è Wirtenbergiâ Catholicis, Lutheranos & Zwinglianos induxit, Stutgardiæ dominabatur præco Luthericus, Tubingæ Zwinglianus. Coortam

cx

ex istâ diversitate contentionem, Bucerus, homo, si quis alius, versipellis, conatus quidem est componere; sed maluit Ulricus Augustanam confessionem totâ Provinciâ retineri. Hoc anno Joannes Aventinus Annalium Boicorum scriptor 5. Id. Januar. vivere desijt.

Luculenta quoque per id tempus illata clades rei Catholicæ apud Augustanos. Jam ante annos aliquot Magistratus Orthodoxis concionatoribus silentium indixerat, intrusis in eorum suggesta Lutheri præconibus: anno deinde vigesimo sexto, jusserat sacras Cœlitum imagines & altaria è templis auferri, cessare rem divinam & ritus Ecclesiasticos, sacrorum hominum ordines nomina dare civitati, & redigi in sortem popularem, retentis tamen alijs rerum immunitatibus; vel si ijs legibus subesse nollent, imperabat, ut facesserent è civitate intra octiduum; ac tandem licèt eam speciem servitutis non detrectabant, nihilo minùs uno eodémque die, quo id edictum fuerat denunciatum, altero mox fuere jussi solum ante solis occasum vertere. Perstitêre tamen in antiquâ statione ad annum trigesimum septimum, quo Christophorus Episcopus cum nobili quadraginta Canonicorum Collegio Dilingam migravit. Migrârunt item, quò loci visum commodiùs, religiosi virorum ac fœminarum cœtus. Exinde aræ fuerunt dirutæ, confractæ imagines, templa sacrilegijs temerata.

RERUM MUTATIO AUGUSTÆ CIRCA RELIGIONEM.

E D. Udalrici cœnobio Joachimus Gadoldus ad Acatholicos defecerat. Cùm eo nomine se in Reipub. Augustanæ tutelâ tutum atque ad audendum satis munitum crederet, tanquam deserti Cœnobij & Patrum exulantium hæreditas ad ipsum jure foret devoluta, Haustettam invasit, ínque sua verba colonos sacramento adegit. Jam concionales Lutheri asseclæ eò loci de superiore loco, ad miseram plebeculam dicebant, cùm Guilielmus Dux istam religionis injuriam ad se ratus pertinere, Knöringio ac Freybergio, Fridbergæ & Landspergæ Præfectis mandavit, ut correptis confestim armis, sacrilegum Haustettæ invasorem & novæ religionis structores submoverent. Quamobrem collectâ uterque armatorum manu, sine morâ accurrentes, iniquum incubatorem vico, novitias institutiones templo depulerunt, quo beneficio Joannes D. Udalrici præsul in pristinam Haustettæ possessionem est reductus.

AN. M. D. XXXIIX.

XLIII.

Sub id temporis, cùm Smalcaldica factio indies augescens Catholicis Principibus non inanes curas metúmque crearet, Protestantibus propositas à Cæsare pacis conditiones repudiantibus, à Carolo Cæsare & Rege Ferdinando datum Matthiæ Heldo Imperij Procancellario negotium, ut fœdus conciliaret inter Catholicos, quorum potentia in tempore comparata, Smalcaldicis molitionibus iret obuiam, nasciturósque ex eâ parte motus maturatâ defensione exciperet. Postquam is cum plerisque Catholicis egerat, Norimbergâ ad colloquium delectâ, Moguntinus Elector, Salisburgensis Archiepiscopus, Guilielmus & Ludovicus Boiariæ, Georgius Saxoniæ, Ericus & Henricus Brunsvicenses Duces Catholicæ defensionis societatem in annos undecim sanxerunt, reíque militaris imperium Ludovico Boio & Henrico Brunsvicensi detulerunt. Sanctum id fœdus meritò nuncupatum, quippe quod ad tuendam religionis sanctitatem erat institutum.

CATHOLICORUM FOEDUS.
Sleidan. l. 32.

Sub annum vertentem, Brandeburgicus, cognito, ex interceptis Henrici Brunsvicensis ad Moguntinum & Heldum litteris, rem non fore suæ factionis Principibus cum hoste omnino imparato, Saxoniæ Septemvirum aliósque de re totâ fecit certiores, simul Ferdinando Regi, ejus sorori Belgij Gubernatrici, alijsque Catholicis nisus est persuadere, nihil esse, cur quicquam hostile de se suspicarentur, nedum pertimescerent. Sed Catholici, frequentes Protestantium coitiones & consilia non ignorantes, non sunt passi quicquam de suâ vigilantiâ decedere.

Archivum. to. 11. rerum Wirtenb.

Multis actum, eâ tempestate, de lite, quæ Guilielmo & Ludovico Boijs cum Ulrico Duce Wirtenbergiæ intercedebat, componendâ. Sequestres agebant Fran-

CONTROVERSIA BOIORUM PRINCIPUM CUM ULRICO WIRTENBERGICO.

Franciæ Rex, Otho Henricus Palatinus Comes, Philippus Cattorum Landgravius. Erat controversia de Christophoro Ulrici filio ex Sabinâ Boicâ Guilielmi

XLIV. sorore. Fuerat ille vix quadrimus unà cum matre in Boiariam deportatus, habitúsque in aulâ per annos plusculos, donec translatus à Rege Ferdinando in Austriam, adolescens clàm è comitatu Cæsaris fugam capessens, in Francisci Galliæ Regis fidem clientelámque receptus, in varijs expeditionibus fidelem ac fortem industriam Regi probavit. Apud hunc degebat, cùm hæc controversia verteretur. Fama est non omnino vana, Ulricum, Christophoro exhæredato, matris Sabinæ, an Boici nominis odio, Georgium Comitem Principatu donare statuisse; suberant etiam aliæ simultates, nec bene coälitæ veterum offensionum

An. M. D. XL. cicatrices. Utcunque in ijs curandis tam magnis authoribus desudatum, nihil tamen hoc anno confectum est, immo neque sequenti, quo magnis contentionibus fuit litigatum: obtentum tamen, ut vel appareret, Ulricum (quod ipse asseverabat) de exhæredando filio non cogitare, vel si aliquando cogitarât, mutasse sententiam, paterétque Boiorum Avunculorum in Nepotem affectus, quo Christophorus se longè præstitisset digniorem, nisi pietatem, quam cum Boico lacte suxerat, mox ab adito Principatu, respuisset, patris vestigia in evertendâ per Provinciam priscæ religionis normâ, secutus.

Matthæi Langii Cardinalis mors.

Salisburgi Matthæus Langius Wellenburgius, Præpositus primùm Augustensis, deinde Gurcensis Episcopus, post S. R. E. Cardinalis, Maximiliani I. Imperatoris Consiliarius intimus, & Salisburgensis Archiepiscopus, feriâ tertiâ Christi resurgentis moriens fœdus sacrum destituit, posteaquam cum insigni laude Salisburgensi Ecclesiæ annos viginti & menses decem præfuerat. Fuit vir singulari prudentiâ & eruditione, humanitate, magnificentiâ, bene de omnibus merendi studiosus, magnæ apud Maximilianum Cæsarem, cujus patrocinio ad purpuram & Archiepiscopatum pervenerat, apúdque omnes Germaniæ Principes auctoritatis. Illi Ernestus Boiariæ Dux Guilielmi frater è Passaviensi sede fuit suffectus.

Langio succedit Ernestus Bavarus.

Cæsar proscribit Novatorum libros.

Quod pridem Guilielmus per totam Boicam edixerat, ad Lutheri chartas ex omnium subjectorum manibus excutiendas, idipsum Cæsar, hoc anno per omnes Superioris & inferioris Germaniæ hæreditarias Provincias, capitis pœnâ, in eos, qui contrà auderent, constitutâ, imperavit. E diverso, Protestantes denuo ad cal. Martias Smalcaldiæ coacti, Augustanam professionem instaurarunt.

XLV. Cùm Henricum Angliæ Regem in suam sententiam per Dulcium & Burcardum, quos in Britanniam miserant, pellicere fuissent conati, responsum per eosdem accepêre, Protestantium Theologos multa perperam sentire, ut de sacerdotum conjugio, de Dominicâ cœnâ sub utrâque specie, de Missâ privatâ.

Comitia Hagenoam translata, inde Wormatiam et Ratisbonam. Colloquiũ de religione frustraneum.

Agebat inter hæc Ferdinandus Hagenoæ Comitia Principum, jussu & auctoritate Caroli Cæsaris. Eò migrare fuerant coacti Principes, quòd apud Nemetes, ubi cœptus erat conventus, aër gravior luem minaretur. Actum illic de pace inter Catholicos & Protestantes constituendâ. Delecti pacis arbitri Archiepiscopus Trevirensis, Ludovicus Palatinus Septemviri, Ludovicus Bavarus, Guilielmus Argentinensis Antistes. Cùm nihil transigeretur, dies alius Wormatiam à Ferdinando fuit indictus colloquio, cum Novatoribus perinde atque aliàs infructuoso, cúmque nihil isthic proficeretur, translata fuit in annum proximum Ratisbonam concertatio.

An. M. D. XLI. Hîc de religione cœptum agi mense Martio. Adfuere cum aliquot Episcopis Bavariæ Duces & Henricus Brunsvicensis. Inter acres de fide conflictus oblatus fuit Ferdinando libellus, velut sequester & amussis faciendæ concordiæ.

XLVI. Incautis tam subtiliter liber imponebat, ut latens sub verborum reconditâ fraude venenum, pro malorum omnium præsentissimo panchresto caperetur. Non defuere non malæ notæ viri, in quibus Gropperus & Pflugius, qui dolis non animadversis caperentur. Artes erant Buceri inter fraudulentos versutissimi.

Liber Concordiæ Cæsari oblatus.

Magnam daturus erat cladem rei Catholicæ gypſatiſſimæ impoſturæ codicillus, niſi Joannes Eckius, vir apprimè oculatus, latentes angues & fœdiſſimos nævos detexiſſet, ſicque extraxiſſet in lucem, ut neutra pars amphibium monſtrum pro ſuo agnoſceret. Ergo tum ſacri Antiſtites, tum Principes, Cæſari oſtendere, hæreſes atque religionis diſſidia, ad forum Chriſti ejúſque vicarium pertinere: malum orbis generale, vix ac ne vix quidem absque Generali Patrum Orbis Chriſtiani conventu poſſe emendari. Pontificem ejuſmodi Concilium propediem promittere, idque ipſum Cæſarem ſollicitare. Id potiùs audiendum, quàm ut ad Nationale veniatur. Ut autem, quæ in ſpeciem conciliata dogmata videbantur, reciperentur ad tempus, non videri eſſe recepto in Eccleſia mori conſentaneum. Præcipua manere uti antehac controverſa & extra ſpem concordiæ, qualia illa de Eveharistiâ, de ejus adoratione, de Transſubſtantiatione, de communione ſub utraque ſpecie, & id genus alia; illa verò, quæ pro conciliatis habebantur, vix ullius eſſe momenti: ipſúmque conciliationis inſtrumentum ſcatere verbis ambiguis, quæ debeant explicari, & fartum eſſe tam duris ſententijs, ut mitigari debeant. In his omnibus cedendum eſſe ſummæ ſedis & Concilij authoritati. Hæc ferè ex Sleidano tametſi Catholici nominis hoſte, ne credant Acatholici ſibi hac in parte imponi à noſtris ſcriptoribus, inter quos Kilianus Leibius, qui rebus geſtis præſens adfuit, rémque eodem ferè modo deſcribit. *Sleid. lib. 13.*

Hic inter cætera recenſet, Guilielmum Ducem Boiariæ prid. cal. Julij heroicè in publico conſeſſu fuiſſe profeſſum, Catholicam fidem ſibi fuiſſe, eſſe, & fore vitâ chariorem, neque ſe ullius periculi denuntiatione, aut ipſius adeò mortis metu, ab hac ſacrâ anchorâ avellendum. Quamobrem non immeritò, ipſi Catholicæ conſtantiæ inimici, Boicis Fratribus præcipuum inter Eccleſiæ defenſores locum tribuêre. Certè infelix iſte libellus, qui obtentu ſanciendæ concordiæ, Catholicos inter ſe, & cum generali Tridentino Concilio erat colliſurus, Guilielmi ope fuit improbatus, rejecta etiam Proteſtantium poſtulata, quibus ſibi definiendæ religionis arbitrium arrogabant.

XLVII. ADVENTUS JESUITARUM IN BOICAM.

Dum iſte pro fide & publicâ piorum ſalute conflictus Ratisbonæ ferveret, appulêre in Boicam Guilielmo gratiſſimi ſubſidiarij Petrus Faber & Claudius Jajus uterque Allobrox, miſſi ab Ignatio Loiola Societatis Jeſu Inſtitutore. Primi illi fuerunt ex iſto Ordine, qui in Germaniâ venêre in partem laborum, quos eadem Societas pro Orthodoxæ pietatis, & Romanæ Eccleſiæ propugnatione, cum inſigni fructu ſuſcepit, & hodiéque ſuſtinet magno divini honoris & ſalutis animarum proventu. Egerat Wormatiæ Faber pro re Catholicâ, cùm iſthic haberetur conventus; verùm cœtu illo dimiſſo, Ignatij juſſu Ratisbonam acceſſit, ubi à Caroli Sabaudiæ Ducis filio, cujus è ditione erat oriundus, agnitus, ad ejus confeſſiones audiendas fuit electus. Ad eum, velut communem Patrem Germani, Hiſpani, Itali concurrebant, viri dignitate, doctrinâ, & generis ſplendore nobiles, quos ſanctis meditationibus ſalutaribúſque monitis ad corrigendos proprios alienóſque mores pelliciebat. Cochleus inſignis ac prudens Theologus, inſigni animi ſui bono, has ipſas commentationes à Fabro traditas ad modum Societatis expertus, gaviſúſque ſe tam peritum affectuum ductorem eſſe nactum, quoſcunque poterat, ad eandem pietatis normam aut curabat à Fabro exercendos, aut per ſe exercebat. Haud minora fecit Claudius Jajus, quem nec laborum periculorúmve magnitudo, nec multitudo infenſiſſimorum hoſtium terrebat, quò minùs caſtæ religionis cautiones modò publicè, modò privatim, contra adverſariorum (ut quàm modeſtiſſimè dicam) inſidias promeret. Nec verò ipſe, Fabérve, certamen cum adverſæ factionis ducibus abnuebant. Publicis prætereà prælectionibus, in quibus Jajus vel ipſis hoſtibus erat admirabilis; & ſaluberrimis functionibus, Catholicos, Religioſos, perinde ac Laicos in officio confirmatos retinebant. *Hiſt. Societ. l. 3. & 4.* *Archiv. Elect.*

BOICI DUCES ULRICO WIRTENBERGICO CONCILIATI.

Inter hæc demum ſublata fuit vetuſta diſcordia inter Boiorum Duces & Ulricum Wirtenbergicum. Diu multúmque Philippus Haſſorum Landgravius

&Otho

& Otho Henricus Palatinus in conciliandis istis Principibus laborârant. Tandem Ludovicus, Guilielmo & Sabinâ (cujus & filij Christophori causa præcipuè vertebatur) volentibus, rei componendæ curam in se suscepit. Visum porrò meliùs cordatiúsque agi posse, si, quod fieri amat, Ludovicus juxta ac Ulricus sese coràm fidenter expectorarent. Quamobrem convenêre Lavingæ, atque illic quantum satis erat, amicè familiaritérque collocuti, transegêre in has leges. Primùm sanxêre omnium offensionum, odiorum, & damnorum amnestiam perpetuam: deinde si qua deinceps dissidij materies existeret, illa quoad fieri posset, privatâ compositione, placidè atque amanter, vel si id statim non posset, per sequestres utrinque delectos, componeretur: Postremò, ut, quæ contracta fuerant debita ex fœderatorum Societate, occasione Wirtenbergicæ Provinciæ, illa, ne Cæsare quidem authore, à Wirtenbergico Principe ejúsve liberis exigerentur.

XLIIX. Cùm inter hæc Carolus Imperator, bello cum Franciæ Rege implicitus, auxilia ab Imperij Ordinibus posceret, quibus non modò adversus Gallos, sed etiam Turcam communem Christiani nominis hostem uteretur, tametsi in Spirensibus Comitijs multa fuerant pro Germaniæ salute addicta, vix tamen ulla præstabantur, quâ de re Ferdinandus Rex in Norimbergensi conventu graviter est conquestus.

Ejusce mali causam dabant intestinæ dissensiones & cumulatiora indies Ecclesiæ detrimenta; per alias super alias Principum ac civitatum à priscâ avorum fide defectiones. Ipse Otho Henricus, Georgij Divitis Boiariæ Ducis ex filiâ nepos Palatinus Comes, recens ad Lutherum desciverat, atque hoc ipso præter alias ditiones Principatum Neoburgicum Boicæ confinem ad Lutheri castra subduxerat. Ratisbonenses detractâ demum larvâ se Lutheranos erant professi: unde novæ Guilielmo Boio curæ & indignatio, quòd ea civitas in Boiariæ sita umbilico, malum, quod imbiberat, ad circumpositos Boios, propagatura, non immeritò Principi vigilantissimo videretur. Quapropter simul ac ipsius defectionem cognovit, edicto capitali cavit, ne quis è suâ ditione Ratisbonam, nisi ea resipisceret, quovis pacto pedem inferret. Parabat videlicet suis & alienis salutem unâ eadémque medicinâ, suis quidem, ne quid contagionis ex urbe vicinâ in confines adflaretur; alienis verò, ut civitas privata commercio, interclusóque rerum importandarum ex omni parte commeatu, redire ad mentem cogeretur. Quibusdam videbatur id edictum bellorum segetem daturum ex Protestantium cum suæ desertionis asseclis conspiratione; nec abs re timebatur, ne Boica in discrimen veniret. Verùm ad hæc constans immotúsque Guilielmus respondebat; Mihi potiùs ditio universa, ipsáque vita eripietur, quàm ut mihi commendatosâ Deo populos prodi patiar alienis fraudibus. Optimè videlicet intelligebat, minimè esse consentaneum, ut Patriæ religionis sanctitatem æternámque suorum civium salutem, aut vitæ suæ commodis aut ditionis, tranquillitate posteriores duceret. Sanè hodiéque Guilielmo debet Boiaria, quòd per id tempus à proximâ pernicie servata, velut hæreditariâ felicitate, sanctâ & intaminatâ avorum religione fruatur. E diverso Otho Henricus Palatinus id suæ inconstantiæ pretium tulit, ut neque liberos ad propagandam sui sanguinis posteritatem, neque ad subditos avitam fidei hæreditatem transmitteret.

Varii Principes et civitates ab Ecclesia Romana deficiunt. Aperta Ratisbonæ defectio. Guilielmi constantia.

Ad cætera Germaniæ mala accessit primum Smalcaldici fœderis incendium. Bellum intulêre Henrico Brunsvicensi Saxo & Landgravius suo & fœderatorum nomine; & Principatu exutum eò necessitatis adegêre, ut Wolfenbutelâ arce pulsus, unà cum natu maximo filio Carolo Victore, ad Bavaros Principes confugeret, inde ad Cæsarem, petiturus vel ab armis vel à legibus auxilium. Obtinuit quidem, ut juberentur in jus ire Saxo & Hassus, & causam dicere Spiræ, in supremo Imperij dicasterio; verùm citati neglexêre vadimonium, quòd Judices ab Augustanâ religione dissentire dicerent, nec videri ex æquo pronuntiaturos pro ijs, quorum sacra fidémque odissent. Istiusmodi sunt diversarum religionum

Bellum Smalcaldicum adversus Henricū Brunsvicensem.

XLIX.

Belli ostentus.

num fructus, ut, cùm divina jura vocantur in dubium, humana etiam sint suspecta. Non defuere quidem belli obtentus, ut, quòd Henricus Goslariam & Brunsvicum, liberas Imperij civitates Smalcaldicæ societatis, vexasset: verùm causa tacebatur, quòd nimirum Goslarienses ac Brunsvicenses, qui & ipsi à Romanâ Ecclesiâ desciverant, nullâ affecti injuriâ Cœnobium ditionis Henricianæ priores invasissent, & cùm publico Imperij edicto, propositáque in contumaces proscriptione, damna illata jussi fuissent restituere, imperata facere neglexissent. Vetuerat quidem Cæsar rem armis decerni, sed cùm per comperendinationes jus differretur, & Smalcaldicorum potentia indies evaderet formidabilior, Henricus, ne patientia justo diuturnior gravius incendium gigneret, credidit arma sibi fore, quàm ipsam moram minùs nocentia, tandémque eò veniendum, ut, si familiaris reconciliatio non succederet, tamen tribunal legitimum, uti denique factum, adversarij detrectarent, bellum potiùs, quàm legum moderationem accepturi. Belli is fuit exitus, ut Henricus non modò amissa non recuperârit, sed prælio victus jacturam fecerit suæ libertatis, in quam demum fuit assertus à Carolo Cæsare de Saxone juxtà ac Hasso triumphante.

Neque malè illum quidem ratiocinatum esse, anno insequente est compertum. Nam cùm Boici Fratres Norimbergæ à Comitio contenderent, ut dum ab Imperij Ordinibus (quod antea Saxo & Landgravius petiverant) Henrici causa cognosceretur, quod jura volunt, spoliatus ante omnia in integrum restitueretur, vel si aliud videretur, saltem Brunsvicensis ager omnis ditióque ab hostibus occupata, Cæsaris aut aliquot Principum fidei crederetur, nihil potuit impetrari; eò enim jam res Germaniæ venerant, ut Protestantium formidatæ vires legibus anteirent. AN. M. D. XLIII.

Nec dubium, quin inde creverit Hermanno Archiepiscopo Coloniensi audacia, ad res novas apertiùs, quàm antè fecerat, contra Romana sacra moliendas, quando hoc anno Bucerum Bonnam inducere, cum Melancthone & Pistorio acatholicis caput conferre, manifestámque defectionem non jam meditari ampliùs, sed conari palàm, visus est. Quod non modò ipse effectum pro se dedisset, sed secum jam tum traxisset constantissimam illam in Petri retinendâ fide Ecclesiam ditionémque universam, nisi Colonia, nobilissimúmque ædis summæ Collegium, unà cum Academiâ, collaborante Groppero, acriter obstitissent.

Tanti fuit viros cordatos habuisse, qui Dei causam tuerentur. Obfuisset non parùm Boicæ mors Joannis Eckij, quæ in hunc annum incidit, nisi fuissent, qui ejus munia implerent. Graviter ejus obitum sensêre Boici Principes. Sensit universa Bavaria, tot palmarum pugilem, tam citò vincendi vivendíque finem fecisse. Nondum annum ætatis quinquagesimum septimum excesserat, cùm Theologorum sui temporis Phœnix, doctrinæ miraculum, rei Catholicæ columen, invictus adversariorum terror, Academiæ Ingolstadianæ sidus, apud justos virtutum ipsius & eruditionis æstimatores audiret & esset. Diem clausit 4. Id. Februarij. Eodem hoc anno obijt Albertus Pighius, egregius quoque & Eckio suppar Orthodoxæ doctrinæ propugnator. Joanni Eckio suffectus est Claudius Jajus, qui cathedræ Academicæ majestatem, quam ille morte reliquerat, sustineret Ingolstadij, non minore constantiâ, quàm nuper Ratisbonæ non Acatholicorum modò odium, sed etiam quorundam Catholicorum invidiam sustinuerat, cùm pro illorum ad Ecclesiæ gremium reductione, pro horum reformatione certaret, eo nomine parùm gratus nonnullis sacerdotibus, quòd author Cleri ad meliorem frugem compellendi esse crederetur. Minitantibus prærupta Danubij, respondebat intrepidus; in cœlum se tam facile aquâ, quàm terrâ ire posse. Nec defuerunt, qui ei aut mortifera exitia veneno, aut subitum molirentur exitium. Complures tamen viri boni, atque in ijs Pancratius Ratisbonensis Episcopus, in oculis eum ferebant, palámque exultabant, quòd tam fortiter se facinorosis opponeret, & innocentis vitæ speculo, facilitatéque permirâ, haud contemnendos suæ tolerantiæ fructus ferret.

JOANNIS ECKII OBITUS, L. ET ALBERTI PIGHII. CLAUDII JAII LABORES. *Hist. Societ. l. 3.*

Ingolstadium (quicquid Guilielmus Dux in obstruendo aditu vigilaret) tamen, ut mala facillimè propagantur, nonnihil Lutheranæ luis irrepserat. Hîc Jajus, antequam prælectiones Academicas inchoaret, totam traduxit æstatem, in multis ab errore liberandis, detegendísque Luhericorum emissariorum clancularijs artibus. Ejus igitur operâ inclaruit primùm Ingolstadij Societas, quem postea abire parantem, illa Academia magnopere studuit semel degustatum diutiùs retinere.

An. M. D. XLIV. *And. Brun. in Exc. p. 508.* LI. Singularis id temporis Boicæ felicitas fuit, quòd civile Imperium penes Guilielmum ac Ludovicum Fratres, priscæ religionis tenacissimos, sacrum verò penes Ernestum utriusque germanum Salisburgensem Archiepiscopum esset. Et hic quidem multa saluberrima constituit ex privatis & familiaribus Jaij responsis, quæ excipere etiam calamo consueverat. Atque illud inprimis recepit, neque suo neque Provincialium Episcoporum nomine, quicquam injussu Rom. Pontificis de religione actum iri.

Tandem, quod diu piorum votis exoptatum fuerat, Concilium Tridenti cœptum est ad Idus Decembres. Ejus auctoritati refragati sunt Protestantes, secuti vota Hermanni Coloniensis & Comitis Palatini Electorum.

Ludovici Boii Ducis obitus. E medio tot litium conflictu, Ludovicus Dux Guilielmi frater ad vitam pacatiorem (uti sperandum) ereptus est, vigesimâ primâ Aprilis, cùm annum quinquagesimum nondum absolvisset. Ernestus, eo defuncto, nonnihil Guilielmo controversiæ movit, sed ea nullo propè negotio fuit composita. Erat Ludovicus præditus egregijs naturæ ac virtutum ornamentis, gratus summis æquè atque infimis, ob insignem humanitatem & modestiam, quâ sibi omnes demerebat. Ad vitæ usque exitum duravit cœlebs, & implacabilis novitiarum religionum erroribus.

An. M. D. XLVI. Lutheri mors. Exequor nunc annum sextum supra quadragesimum, magnis rebus memorabilem. Inter minimas censeo Lutheri exitum, ejus licèt partiarijs utcunque luctuosum, qui tamen lætior ejus ortu meritò esse debuisset; tam vehementer nocuit Germaniæ, nocebitque eum vixisse. Minitatus fuerat, se Papæ pestem futurum; sed sibi fuit potiùs plurimísque alijs, qualis audijt vivus, & mortuus audiet. Serò nimis agnitum, quàm esset orbi funestus. Simul ac diras Cœlitibus, juxtà ac terrigenis minari desijt, contentiones, quarum ipse dux authórque Bellum Smalcaldicum. fuit, in bellum Smalcaldicum erupêre. In eo recensendo, gratiâ procul & odio, eorum fidem sequar, qui sinceriora posteritati tradidêre, ne spretis quidem partiariorum narrationibus, si quæ ab oculatorum testium & tabularum publicâ & privatâ authoritate non descivere.

Colloquiũ Ratisbonense. LII. Ratisbonæ 5. cal. Febr. Catholici Doctores, in quibus Malvenda potiores partes gerebat, cum Acatholicis congressi, hinc & hinc octoni nihil profecêre, cùm diu de ratione disputandi non convenirent, & ubi convenerant, Bucerus Acatholicorum antesignanus, alijque partiarij inter se, de confessione Augustanâ utpote sæpius mutatâ, non consentirent. Concertationis exitus fuit, ut Acatholici tametsi amicissimè invitati, ut perstarent in arenâ, Ratisbonâ se subducerent exeunte Februario. Joannis Diazii Hispani cædes. Eâdem tempestate, Joannes Diazius natione Hispanus, qui ad Lutherum defecerat, à fratre suo Alfonso Jurisconsulto, ob injustum familiæ dedecus, Neoburgi ad Danubium fuit interfectus. Fugâ Alfonsus Oenipontum elapsus, cùm à Magistratu premeretur, provocavit ad Cæsarem, fuitque pòst paulò, impetratâ facti veniâ, dimissus.

Carolus Imp. inter hæc è Belgio Spiram accessit, ubi illum Philippus Landgravius & Fridericus Palatinus, qui non longè antè sacra Catholica è Palatinatu proscripserat, 5. cal. Junij convenêre. Cùm præter expectationem Cæsar quædam negaret Friderico, Smalcaldicæ Societati suam ipse fidem ad *Sleidan. l. 18. p. 561.* junxit. Ad eandem accessêre Ravenspurgenses. Etiam Daniæ Rex subsidia fœderatis promiserat. Cæsar profectus Ratisbonam, Hermannum Coloniensem anathematis fulmine de gradu dejectum intellexit. Isthîc cùm è Smalcaldicis

dicis neminem reperisset, eos quamprimum jussit adesse. E sacro ordine comparuere Antistites Tridentinus, Augustanus, Bambergensis, Herbipolensis, Passaviensis, Hildesheimensis: Guilielmus Bavarus paulò pòst advenit. Variorum Legatos nil interest memorare. Ferdinandus Rex accessit ad extremum Maij. COMITIA RATISBONENSIA.

Cæsar, ubi nihil agi posse de religione comperit, haud ignarus veniendum tandem ad arma, à summo Pontifice petivit auxilium; ablegatísque per Imperij fines conquisitoribus, simul ex Italiâ & Belgio jussit festinari delectus, & conscriptum militem ad se deduci. Georgius, Guilielmo Boiorum Duci natus extra ordinem, collegit unam legionem. Confectus è diversis peditatus erat duorum ferè supra triginta millium: equitatus sesqui octonûm millium: sed hæ copiæ pleræque è longinquo, tardè ad Cæsarem convenêre. Smalcaldici è diverso, Joannis Friderici Saxoniæ Septemviri, & Philippi Cattorum Reguli diligentiâ, ex omni fœderatâ Germaniâ momento ferè octoginta peditum, decem equitum millia sub signis habuere. Sollicitabatur Guilielmus Bavarus assiduis Protestantium litteris ad faciendum commune cum ipsis fœdus, vel saltem ne junctus Cæsari, copijs Italicis commeatum transitúmve per Boicæ fines permitteret. Verùm ille non modò viginti duobus Italorum, aliorúmque millibus, Boicæ claustra aperuit, sed etiam tot penuaria; ut nihil adventantibus cibariorum deesset, sed superesset quammultùm præbitoribus, quos per opportunas stationes jusserat forum habere abundans & obvium. Suppeditavit præterea annonam castris Cæsaris tantâ copiâ, ut quererentur propolæ de suo damno, non enim deesse res vitæ sustinendæ opportunas, sed rerum promercalium nundinatores. LIII. EXERCITUS SMALCALDICUS. ANNONA BOICÆ. *Litt. Guiliel. ad Ottonem Cardinalem August. Tabular. Monac. to. 13. an. 1545.*

Idibus Quintilibus, Philippus Landgravius primus signa explicuit, à Cæsare pòst paulò proscriptus. Ad undecimum cal. Sextiles Heidecus & Schertelius legati Fœderatorum Superioris Germaniæ, Ginzburgum Ulmâ venêre, ubi copias in sua verba jurantes lustrarunt. Inde Schertelius rectà contendit ad Tirolis fauces occupandas, ut Italica auxilia Boicæ aditu prohiberet. Nullo propè negotio Fussiacum, & arcem Erenbergicam naturâ loci firmam, occupavit. Est Erenberga ad Alpium claustra, loco edito ob viarum angustias & prærupta montium propè inaccessum, usque eò firmum castrum, ut parvâ manu quamlibet magnas copias nullo negotio possit distinere: nihilominus, qui loco pro Ferdinando Rege præerat, metu an perfidiâ, fecit deditionem, atque ex eâ parte hosti Tirolim aperuit; copijs Italicis clausit Boicam. Supererat aditus per Oenipontum secundum Oeni profluentem: ne hanc etiam viam hostis clauderet, effecit Hispanorum diligentia, qui Kueffenstainium Oeno imminens quadringentorum præsidio, & Oenipontum justâ manu tuebantur. Quarto cal. Sextiles, hostes ad Donawerdam castra locârunt. Isthic reclamante Schertelio, ac urgente belli maturationem, Saxo & Cattorum Landgravius, duodecim omnino dies consultando perdiderunt; cùm Cæsar, qui non nisi paucas cohortes adhuc Ratisbonæ habebat, celeritate facilè opprimi potuisset. Inde apparuit, pectora longè esse potiora manu. Ex castris Smalcaldici dedêre ad Guilielmum Boium minaces litteras, quibus ille sedatè respondit, se nec Cæsaris authoritati, neque Ferdinandi Regis firmatæ nuper ex filij nuptijs amicitiæ deesse potuisse. Ne ferrent indignè, Ingolstadio, Landishutæ, Rainæ, necessariam præsidij defensionem esse impositam à Cæsare, qui eos festinatione antevertisset, nec potuisset à se prohibere: fruerentur illi moderatè obvio commeatu, se neque id prohibiturum, neque ideo futurum hostem, modò tamen citra aliam noxam in Provinciâ versarentur. SCHERTELIUS TIROLIS CLAUSTRUM ERENBERGŨ OCCUPAT. *Archivum Monacen.*

Cæsar etenim tametsi de Guilielmi fide non dubitaret, ad eum tamen novo sibi pignore devinciendum, Annam Ferdinandi Regis filiam Alberto Guilielmi filio in Velleris Aurei Societatem adlecto, nuptum dedit, inter medias circumstrepentium armorum turbas. Nuptijs regio cultu absolutis, Cæsar Ratisbonâ Landishutum, quod sibi hostis destinabat, profectus, intra paucos dies Ita- LIV. NUPTIÆ ALBERTI V. cũ ANNA AUSTRIACA.

licis

licis copijs auctus est, cum eousque solam propè fortunam & octo tum Germanorum, tum Pannonum millia, cum septingentis Hispanis equitibus habuisset in comitatu.

Ad hostium castra confluxerant Nobilissimi Principes Joannes Ernestus, Joannis Friderici Saxoniæ Septemviri germanus, ejusdem Septemviri filius patri cognominis Joannes Fridericus, Philippus Brunsvicensis cum Ernesto, Alberto, Joanne, Wolfgango filijs, Franciscus Luneburgicus, Wolfgangus Anhaltinus, Christophorus Hennebergicus, Georgius Wirtenbergicus Ulrici filius, Albertus Mansfeldius cum geminis filijs Joanne & Wolrado, Ludovicus Oetinganus cum filio cognomine, Guilielmus Fürstenbergius, Hubertus Bichlingus, Haideccus, nobiles Dynastæ. Recrodus Reifenbergius & octo Helvetiorum cohortes, universi nonaginta armatorum millia, qui Cæsari Ratisbonæ agenti per fecialem bellum indixere. Eorum litteras Carolus ne inspexit quidem: Albanus fecialem cum tabulis proscriptionis Cæsareæ ad eos remisit. Jam Cæsareæ copiæ justi exercitûs aliquam speciem referebant: nam adnumeratis ijs, quos Carolus Ratisbonæ reliquerat; septendecim peditum Germanorum millia sub signis habebat. Ter mille, qui à Rheno expectabantur, ab hoste impediti, nondum advenerant. Ex Italis erant decem peditum millia, equites levis armaturæ quingenti, ex Hispanis circiter octingenti, sexcenti item hastati, quos Joannes Brandeburgicus per Bohemiam adduxerat: octingenti præterea conducti ab Alberto Boio, & ducenti à Prusso. Totus equitatus summam bis mille cataphractorum, & mille equitum levioris armaturæ explebat.

Principes Smalcaldicæ factionis

Carolo V. bellum indicunt.

LV.

Cum his copijs virtute animísque quàm numero firmioribus, Cæsar jam ausus è castris in campum prodire, Ratisbonam petijt, indéque cum sex & triginta tormentis, relicto in urbe trium duntaxat cohortium præsidio, ad hostes, qui inter Ingolstadium & Monachium consederant, contendit. Illi, cognito, Cæsarem movere Ratisbonam, rati ipsum inde belli sedem translaturum in Misniam & Saxoniam, illicò sequuntur præeuntem. Cæsar haud longè à Neostadio, extemporaneis pontibus Danubium traijcit. Inde factus certior hostem Ratisbonam properare, extemplò duas Germanorum cohortes cum quadringentis ballistarijs mittit, qui juncti urbis præsidio, obsidionem, si quam hostis inferat, tantisper sustineant, dum ipse totis castris auxilio accurrat. Non ampliùs quindecim passuum millibus Ratisbonâ aberant Smalcaldici, cùm mutato consilio, Ingolstadium versus iter intendunt. Jam sex passum millibus supra Ingolstadium consederant, cùm Cæsar promotis illicò castris, auxilia properavit, paucis Hispanis Petro Gusmanno ductore, & è Boicâ nobilitate nonnullis, cum septingentis ferè equitibus, qui isthic erant in præsidio, relictis. Ubi venit Nassenfelsium, cum exiguo comitatu speculatum progressus, incidit in hostilem equitatum, factóque in obvios impetu, paucis utrinque desideratis, ad castra se recepit. Nocte proximâ Hispani mille, Alvaro Sandâ & Arzio ductoribus, per tenebras in Haidecci stationes, cæsis vigilibus, irrumpentes, totis castris pavorem & legionum concursus excitârunt, cæsísque in loco circiter centum, redivêre ad suos. Tum promota castra ad Ingolstadium, locum Cæsari Fœderatísque pariter opportunum, sed soli Cæsari apertum. Illud Guilielmus anno trigesimo octavo, bono fato, velut esset futuræ necessitatis præscius, vallo fossísque complexus, ad eam ferè firmitatem, quam hodiéque obtinet, muniverat, Alberto filio, qui per idem tempus, studiorum causâ, illic versabatur, primum in fundamenta lapidem demittente.

Cæsaris et Smalcaldicorum castra ad Ingolstadium.

Cæsar sic munivit castra, ut civitatem à tergo haberet, hostem à fronte, qui se quoque vallo firmârat. Postremâ Augusti, cœpit hic Cæsaris castra vix adhuc tecta frequentibus tormentorum procellis ita fulminare, ut in nulla propè statione tutò liceret versari. Tum valla Cæsar jussit altiùs educi, excitari varias munitiones, itáque legiones obvallari, ut ferè irrita deinceps hostium fulmina redderentur. Duravit isthæc oppugnatio quatriduo, horrendo & vix inter-

Cæsaris castra oppugnantur.

termiſſo fragore; ſed quod mirere, adeo brutâ & aberrante deſtinatione, ut vix centum mortales extinxerit, totidémque ſauciârit. E Germanis, præter Leonardum Mariam centurionem legionis Boico-Georgianæ, vix unus altérve manipularis occubuere. Ex Italis, in velitaribus pugnis complures viri nobiles non inulti perierant. Globus ferreus pondo ſex & triginta, Maximiliani Archiducis Auſtriæ tentorium, dum ipſe armaretur, innoxius perrupit, quem Annæ Sorori nuper Alberto nuptæ, dono miſit.

Subinde Cæſar geminam parmam in caſtrorum fronte ad lævam Schutteri rivi ripam, pone Peiſſerianam villam, feſtinato opere excitavit, unde hoſtis machinis æneis peteretur. Præſens aderat Cæſar ipſe foſſoribus, tametſi hoſtis directis in locum tormentis laborem conaretur amoliri, nec paucos in Cæſaris oculis conficeret. Poſteriore biduo, plurimi globi grandi pondere, per urbis pleraſque regiones, citra noxam immiſſi. Fulminabantur viciſſim hoſtes è grandioribus balliſtis triginta ſex, quas in caſtrorum vallo Cæſar locârat. Accedebant continua tonitrua, ex urbis munimentis, è mœnibus, è turri D. Virginis, unde baſiliſcus, quem ficum dicunt, rarò innoxius, tonabat. SMALCALDICI CASTRA DESERUNT.

Die Septembris quarto, viſus hoſtis abitum parare. Antequam diſcederet, Cæſari valeſecit pilis aliquot majoribus in ipſius caſtra projectis, oſtentatíſque in conſpectu turmis equitum: tum conſpecta caſtrorum, Gerolfingæ pagi, & molétrinarum quaquaverſum incendia, quartâ ante meridiem horâ abeuntem prodidêre. Miſſæ poſtridie turmæ, quæ poſtremas carperent. Illæ objectis in extremo agmine tormentis repreſſæ nullo operæ pretio redierunt.

Dum Buranus è Belgio expectatur, dyſenteria in caſtris Cæſarianis frequentia funera faciebat, præſertim ex Italis, Germanici cœli noctes, quæ ſunt autumno frigidæ, ægrè ferentibus: & cùm ſtipendia juſto tardiùs repræſentarentur, laborantibus rerum ad tuendam valetudinem neceſſariarum inopiâ. Quamobrem multi à ſignis dilapſi vel agebant prædas, vel deſerebant militiam. Succeſſit peſtis longè atrocior, quæ multò plures abſumpſit. Tandem ad 17. cal. Octobris, Comes Buranus, citatis itineribus, Keſchingam lectiſſimorum equitum quatuor, peditum Belgicorum vexilla viginti quatuor, Hiſpanorum quatuor, Italorum duo millia adduxit. Cùm diem unum, eò loci, quieti dediſſet, decimo ſeptimo Septembris Cæſari copias in acie explicavit. Eodem veſpere Cæſar exercitum in adverſam Danubij ripam tranſmiſit. Hoſtis omiſſo Burano, quem ſe intercepturum ſperaverat, Donawerdam regreſſus, caſtra communijt: Cæſar movit Neoburgum. Oppidani, factâ deditione, recepti in gratiam; præſidium hoſtile eâ lege dimiſſum, ne contra Cæſarem deinceps arma ferret: duæ Bojorum cohortes loco impoſitæ. Luſtrato exercitu, Cæſar novem equitum, peditum quatuor & quinquaginta millia recenſuit, in poſterum pugnæ copiam facturus, tametſi hoſtium numerus ferè altero tanto foret ſuperior. Non lubuit ejus caſtra laceſſere, quòd ex omni parte validè munita, citra præſens diſcrimen oppugnari non poſſent. Dextrum enim latus firmabat Danubius, ſiniſtrum frontémque vallum, tergum Donawerda, totum complexum loci declivitas. Ergo conſilium fuit annonam omnémque hoſti commeatum intercludere. Danubium infra claudebat Neoburgum; è Boicâ nihil importabatur. Supererat Suevia, unde cibaria & pabulatio. Ergo Cæſar, caſtris inter Wemdingam & Nœrdlingam poſitis, claudit Sueviam: Smalcaldici mutatis caſtris, ad Nœrdlingam ſeſe communiunt. Exinde cùm utraque caſtra non omnino bis mille paſſibus dirimerentur, committebantur quotidianæ velitationes, quarum prima Albertum Brunſvicénſem lethaliter ſaucium hoſti abſtulit. Inter hæc Octavius Farneſius intempeſtâ nocte, Donawerdam, admotis ad ſuburbia ſcalis, occupat, civibus ſeſe dedentibus, præſidióque hoſtili per averſam portam elapſo. Mox Cæſar refixis ſignis Donawerdam progreſſus, indéque Dilingam & Hœchſtadium, utramque nullo negotio recipit. Lavingani quoque ſponte ſe ejus clementiæ permiſere. Landgravius & Saxo re-

MORBI IN CASTRIS CÆSARIS.

BURANI ADVENTUS.

LVII.

fixis signis, cum omni exercitu Giengam contendunt. Cæsar eos insecutus, loco peropportuno consedit, ex quo longè latéque patebat militi excursio, & fiebat indies hostibus annona difficilior. Intulere illi, per interpretes, pacis mentionem; sed cùm Cæsar aliam non admitteret, nisi ut armis positis se suáque sine aliâ lege dederent, cœlo jam hiemante, divisis agminibus, alij Augustam & Ulmam, alij Franconiam petivere. Cæsar veritus, ne, si res in alterum annum traheretur, hostes collectis per hiemem novis viribus, proximo vere bellum instaurarent, Nœrdlingâ deditione receptâ, Rotenburgum fidam civitatem, magnis itineribus properavit. Hostis insistentem à tergo Cæsarem veritus, tormentorum parte per Wirtenbergiæ arces præsidiáque distributâ, relictis etiam passim impedimentis, alius aliò se recepit, Landgravius in Hassiam, Saxo in Saxoniam, qui priùs tamen Gemundam Sueviæ oppidum ad ditionem coactam ære multavit, à Francofurtensibus novem aureorum millia

LIIX. expressit: Moguntino Electori quadraginta millia imperavit: Fuldensem Abbatem aliósque vexavit pari ratione. Cæsar belli velut confecti famâ & nominis sui majestate verendus, ex eo tempore, in dies propè singulos, legatos urbium habuit veniam orantium. Rhenus omnis ad ipsum velut ad aram confugit, Hala, Ulma, Augusta, aliæ civitates ad ejus clientelam redivere. Fridericus Palatinus Rheni Comes, ad ejus pedes provolutus in gratiam reductus. Francofurtenses deditione Burano factâ, Cæsari supplices sunt reconciliati: Albanus locis aliquot in Wirtenbergiâ occupatis, agro ejusce Provinciæ, magnam partem est potitus. Atque hæc quidem hujusce anni catastrophe.

An. M. D. XLVII. Wirtenbergicus aliique Cæsari reconciliati.

Insequenti, qui quadragesimus septimus fuit, Ulricus Wirtenbergicus in gratiam à Cæsare fuit receptus Januarij die tertiâ, eâ conditione, ut per Legatos, quoniam ipsi per valetudinem non liceret, supplex misericordiam imploraret, idem coràm ipso facturus, intra sextam hebdomadem, ubi vires recuperasset: nulla auxilia Saxoni aut Hasso, sed Cæsari ferret opem ad exequendam in illos vulgatæ proscriptionis sententiam: nullum fœdus faceret, in quo non foret Cæsar, Ferdinandus Rex, tota Domus Austriaca: subditos arma adversus Cæsarem ferentes pœnis cohiberet: Nobilitatem, ne in eundem militarent, adigeret juramento: Cæsari, quoties usus foret, Provinciam omnem atque itinera aperiret: Smalcaldicorum relicta in Wirtenbergia belli instrumenta, Cæsari traderet: in belli sumptum penderet trecenta aureûm millia. Cæsari cautionis loco dederet Aspergam, Kirchenum, Schorendorfium: damna, quæ bello dederat, Cæsaris judicio, vel amicâ compositione sarciret: fori Burgundici legibus uteretur, in confinium locorum tribunalibus: subjectis ne fraudi esset, Cæsari deditionem fecisse: Ferdinando suum jus maneret integrum. Ipse ac Christophorus filius intra sextam hebdomadam unâque Wirtenbergiæ Ordines hæc pacta confirmarent. Georgius Ulrici frater hoc pacis beneficio ne frueretur. Ulricus quinto pòst die ratas conditiones habuit, ac demum mense Martio coràm ipse admissorum culpam est deprecatus. Ejus exemplum secuti Memingani, Bibracenses, Ravensburgij, Campidunenses, Isnenses, per Legatos factorum veniam exorârunt eâ lege, ut acatholicæ religionis stabiliendæ ne mentionem quidem inferrent.

LIX. Rebus ad eum modum constitutis, Cæsar decrevit bello Smalcaldico finem imponere: quam ad rem debili licèt valetudine, Norimbergam profectus, dies illic quinque dedit quieti, ut paulùm respiraret. Statuerat Egræ cum Ferdinando Rege & Mauritio Saxone colloqui: at Bohemi à suo Rege alieni succisis per Bohemicum nemus arboribus, utriusque transitum remorati, fecêre, ut non nisi tribus ab Egrâ milliaribus ad Cæsaris castra penetrarent. Ducebant gravis armaturæ alarios bis mille ducentos, levis armaturæ Hungaros nongentos. Actis Christi resurgentis ferijs, Cæsar Albanum cum omnibus copijs præmittit, mox ipse secuturus, ideò properans, ut cum Saxone, priusquam se magis firmaret, signa conferret. Erat id temporis Saxo apud civitatem Misniam, quam paulò antè

lò antè Mauritio eripuerat. Cùm Cæsar tribus duntaxat à Misniâ milliaribus abesset, comperit Saxonem Wittenbergam abijsse. Quò minùs eum mox assequeretur, obstabat Albis intermedius. In ulteriore ripâ Saxo, ad Milburgum, cum valido agmine constiterat Cæsarem trajectu prohibiturus. Agebatur vigesima quarta dies Aprilis, cùm Cæsar ad Albim delatus, venit in conspectum Saxonicarum stationum, quæ dispositis tormentis obsistebant, ne vel reperto vado, vel navali ponte Cæsar copias transmitteret. Illi, animadverso, Cæsarem cum exercitu adesse, & mille Hispanorum agmen in flumen proruere, ac per vadum solis brachijs extantes, confertímque manualibus tormentis jaculantes trajectum moliri, desertis, & ex parte incensis pontis impositi, quem defensabant, lintribus, præcipiti se fugâ proripientes spatium aperuere transituris. Cæsar, ut tormenta & sarcinas transportaret, curabat pontem extemporaneum, sed cùm flumen esset latius, quàm ut lintres præsentaneæ ei sternendo sufficerent, milites hortatur, natatu fluitantes hostium cymbas occupent, præmium generosæ operæ non defuturum. Fuere Hispani aliquot, decem nonnemo numerat, qui abjectis vestibus, sublatísque mordicus in transversum gladijs, per missilium tempestatem, flumen tranantes, in adversam ripam, captas naviculas egêre ad Cæsaris stationem. Illi cùm pontem absolvissent, Cæsar mox peditatum & impedimenta trajecit, pérque vadum ab agricolâ ostensum, levis armaturæ equites, cúmque ijs singulos sclopetarios sessores transmisit, quos confestim fuere cataphractarij subsecuti. Ipse Cæsar equo vectus Hispanico, rustico præeunte, in objectam ripam evasit. Saxo, qui id temporis concionatori suo dabat operam, hoc comperto, receptum maturat Wittenbergam. Verùm Cæsar totius rei momentum in celeritate positum reputans, tametsi nondum Albim trajecerant legiones, solo equitatu abeuntem statuit adoriri. Iter festinanti incurrit in aspectum Christi de cruce pendentis imago, per ludibrium glande secundum pectus trajecta. Hanc ille conspicatus, elatis in cœlum oculis: Deus, inquit, in tuâ manu est hodie tuam istam injuriam ulcisci. Tum prosecutus iter, tribus ab Albi milliaribus, ad sylvam Lochanam, hostem assequitur. Alteram equitatûs alam ducebat Albanus cum Lanoio, Antonio Toletano, Baptistâ Spinello & Mauritio: alteram Cæsar & Ferdinandus Rex cum duobus filijs, & Philiberto nato Ducis Allobrogum. Albanus prior invectus est in hostem. Hostiles turmæ haud diu sustinuere Cæsarianorum impetum, sed in fugam effusæ, legiones nudavere. Pugnatum tamen ad noctem, cùm Saxo dimicans fortiter, accepto in sinistrâ malâ vulnere capitur, & ductus ad Albanum, pòst sistitur Cæsari. Cæsi in vestigio multi, plures capti, sauciati magno numero. Ad Cæsarem ubi Saxo pervenit, cùm desilire in pedes vellet & dextræ chirothecam detrahere, Cæsar vetuit. Tum ille nudato capite: En, inquit, potentissime & clementissime Cæsar, me tibi sisto captivum. Atqui, reponit Cæsar, ista tu quidem nunc; sed antehac longè alia: indicans, eum tumultu isto bellico, Carolum, non Cæsarem, sed de Gandavo nuncupasse. Addidit Cæsar; Tu tuo merito ad hanc fortunam es redactus. Subricuit ille, motísque humeris ac deflexis humi luminibus, vultu miserabili; Saltem, inquit, ô Cæsar, tracter more captivi Principis. Tractaberis, infert Carolus, pro meritis, & cum dicto eum jubet abduci ad castra. Cum ipso captus Ernestus Brunsvicensis Philippi filius. Ajunt, eo die, quo pugnatum, & duobus præcedentibus, expalluisse Solem: an irato Smalcaldicis cœlo? Victoriam certè Cæsar Deo adscripsit hoc dicto: Veni, vidi, Deus vicit. Mense Junio, Landgravius, Mauritio Saxone & Brandeburgico suasoribus, cùm Cæsar Hassiæ cum exercitu immineret, se Carolo stitit captivum. Hæc de gravissimo bello Smalcaldico.

LX. *Saxo vincitur et capitur.*

Landgravius se Cæsari dedit.

LXI. *Hermannus Archiepiscopatu Coloniensi deiicitur.*

In Boicâ Alberto V. Starenbergensi in arce ex Anna Austriâ natus est 8. Id. Septembris Carolus, post trimestre raptus ad beatiorem vitam. Coloniæ Agrippinæ, dejecto & execrato Hermanno, Catholicæ fidei desertori suffectus est Adolfus Schauenburgicus. Anno jam adulto, Cæsar conventum Augustæ

 egit

egit omnium Principum, in quo etiam Protestantes professi sunt, se Concilij Tridentini Decretis morem gesturos, quem tamen ne gererent, postea prætexuere suæ prævaricationi metum & armatam rogationem. Proposita id temporis fuit forma quædam credendi, quæ servaretur, donec ex Concilij judicio constaret, quid de fidei controversis capitibus esset sentiendum. Is libellus dictus est Interimisticus, à quibusdam admissus, rejectus ab alijs, vehementer à summo Pontifice, & jure quidem merito, improbatus. Ejus authores fuere Julius Pflugius Episcopus Numburgensis, Michaël Sidonius Moguntini Archiepiscopi Suffraganeus, & Joannes Islebius.

Comitia Augustana

An. M. D. XLIIX.

In ijsdem Comitijs, Mauritius Saxo, loco Joannis Friderici, Electoris dignitate à Cæsare donatus, auguralia Septemviri insignia vigesimâ quartâ Februarij accepit. Inaugurationi Albertus Guilielmi Boij filius honoris causâ interfuit. Eodem conventu Leonardus Eckius in amplissimo Cæsaris Principúmque consessu, luculentâ oratione contestatus est, dignitatem Septemviralem Ludovici IV. Cæsaris posteris contra jus fásque fuisse ereptam, rebúsque necessarijs demonstravit, neque temporis præscriptionem, neque Bullam auream Caroli IV. neque usurpati juris violentiam, fraudi esse debere Boijs passis injuriam, adeóque redeundum esse ad pacta Papiensia, utriusque familiæ voluntate conventa. Cæsar Eckium dicentem benevolè audivit, ejúsque orationis exemplum petijt. Contestatio verò relata fuit in acta Comitialia. Credebatur Cæsar, Guilielmi navatæ hoc bello operæ, impendijs, & fidei gratiam aliquam insignem relaturus; verùm cùm Cæsar Domûs Bavaricæ magnitudini non impensè faveret, id duntaxat tribuit, ne omnino nihil fecisse videretur; ut Augustani, illata Boicæ ultimo bello detrimenta, quadraginta florenorum millibus, & inductis veteribus nominibus, redimerent. Deus meliorem mercedem dedit, Guilielmum Alberti filium, qui 3. cal. Octobris, ipso D. Michaëlis Angelorum Principis festo die, Landishuti primam lucem aspexit.

Protestatio solennis de iure Septemviratus Bavarico.

LXII.

An. M. D. XLIX.

Addidit etiam Guilielmo avo curas honestissimas tuendæ & amplificandæ in Boicâ religionis, quam non modò ex finitimorum defectione, sed etiam gliscente paulatim, in ipsam fidei defendendæ arcem Ingolstadiensem Academiam, periculo labis accipiendæ, laborare videbat. Ea propter Guilielmus ad Paulum III. Pont. Max. ad Alexandrum Farnesium, & Ignatium Societatis Jesu conditorem, misit Leonardum Eckium Cancellarium instructum litteris, quibus Princeps optimus ab ijs magno studio postulabat tres è Societate Theologos, atque in ijs nominatim Claudium Jajum, qui in Ingolstadiensi Academiâ sacrarum litterarum scientiam traderent. Collaudatâ ejus pietate, annuit petitioni Paulus III. suámque voluntatem significavit Ignatio. Is delegit Jajum, Alphonsum Salmeronem, & Petrum Canisium, qui iter in Bavariam & docendi provinciam susciperent. Omnes ex Ignatij præscripto convenere Bononiam. In eo nobili omnium scientiarum theatro, quò plùs apud auditores, præsertim in religione nutantes aut errabundos, haberent authoritatis, Doctorum gradus ac titulos suscepêre 4. Non. Octobris, cùm pridie, jubente Cardinale Joanne Mariâ de Monte, qui Bononiæ Apostolicâ Legatione fungebatur; Judice item Episcopo Catharino & duobus Doctoribus, suæ eruditionis facto periculo, propositis quæstionibus cumulatè satisfecissent. Eo decorati judicio & honore, in Germaniam iter instituerunt, à Tridentino Episcopo & ab Augustano omni officio & humanitatis significatione excepti. Pergentes Monachium, Augustanus Guilielmo Duci officiosis litteris commendavit: ipse Dux benevolentiæ studio nemini inferior, charis amplexibus & summi amoris exceptos indicijs, Cancellario suo Eckio verbis gravissimis commendavit. Haud minoribus deinde plausibus Ingolstadium Patres ingressi, totâ ab Academiâ, quemadmodum Dux imperârat, honorificè culti sunt. Nam & Mauritius Episcopus Eistadiensis, qui idem Academiæ Cancellarius, & Doctores omnes atque Magistri ad eos consalutandos, in diversorio, summo consensu prodierunt; habitáque

Claudius Jaius cum sociis redit in Bavariam.

Hist. Societ. l. 9. n. 51.

LXIII.

que ab eorum uno plena gratulationis oratio, cui ex tempore & eleganter omnium nomine à Canisio responsum est: in eodem hospitio unà omnes sunt epulati. Postero die, in Collegium, quod appellant vetus, cum honore deductis, sua cuique habitatio cum instrumento biblico, & domestico assignata. Salmeron Apostoli Pauli Epistolas, Jajus Davidicos Psalmos, Canisius Magistrum sententiarum explanandos suscepere. Dicendi initium 6. cal. Decemb. à Salmerone & Canisio (nam Jajus Academiæ jam notus, scholam suam ad instantis anni primordia distulerat) orationibus æquè doctis ac gratis ita factum est, ut doctissimi quique typis vulgandas esse contenderent. Tota Academia edito programmate, suam de eorum adventu lætitiam judiciúmque publicè testata est. Guilielmum, cognito, qui ex eorum laboribus crescebat, fructu, de constituendo Societatis Jesu Collegio, & instaurandâ omni ex parte Academiâ seriò cogitantem, Pontifex Romanus concessis ad triennium Ecclesiasticorum proventuum decimis animavit. Jam primo anno viginti aureûm millia collegerat, cùm optimũ consilium optimi Principis mors ad posterorum liberalitatem rejecit. Diem obijt anno supra millesimum quingentesimum quinquagesimo prid. Non. Martij, ætatis anno quinquagesimo septimo. Illatus est Majorum suorum Mariano monumento. Ex Jacobâ Badensi conjuge tulit Theodonem natum anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, denatum XI. Julij anno trigesimo quarto. Natus ipsi est ex eâdem uxore Albertus V. Serenissimæ stirpis propagator: Guilielmus item, qui sesquiannum & duos ferè menses supervixit. Postremo nata fuit Mechtildis decimâ quartâ Junij anno M. D. XXXII. nupta Philiberto Marchioni Badensi anno M. D. LVI. mortua anno LXV. Ex publicis Guilielmi operibus est Aquæ ductus Halæ Divitis, non arte minùs, quàm utilitate mirandus. Illic copiosissima salis scaturigo dulcium fontium vicinitate & confluxu periclitabatur. Eos fontes Guilielmus, per aquileges summâ industriâ seductos, in unum rivum per longum latúmque concamerati operis alveum, infra urbem stupendo ausu & æmulatione Romanæ magnificentiæ, rapidè fluentes & cymbæ patientes, à salis scatebrâ abstraxit. Omnia prisci juxtà ac novi splendoris monimenta superat, quod in Boicâ posuit, cœlo proximum constantis in Deum fidei monimentum.

Guilielmi obitus. An. M. D. L.

BOICÆ GENTIS ANNALIUM PARTIS II.

LIBER XI.

Bellum Mauritianum adversus Cæsarem. Pax Passaviensis: Augustana. Status Religionis in Boicâ. Concilium Tridentinum. Alberti V. Bavari res gestæ pro fide Catholicâ, próque Romano Imperio. Ejusdem illustria in Societatem Iesu beneficia.

An. M. D. L. I. *Archiv. Monacen.*

Post Guilielmi IV. Constantis excessum Albertus Dux Magnanimus vulgò V. utriusque Boiariæ ex asse hæres, annum agens vigesimum secundum, Principatum inijt, communi omnium Ordinum lætitiâ. Accessit propensa Cæsaris in eum voluntas, quâ illi more majorum 12. cal. Octobris utramque Boicam clientelari beneficio devinxit. Eam ut accepit belli Smalcaldici prospero exitu pacatam, & ex integro Catholicam, ita conatus est omni studio servato quietam, quo beneficio majus nullum poterat subjectis conferre. Ei non multò ante parentis obitum natus fuerat 13. cal. Februar. Ferdinandus secundo genitus, daturus suo tempore insigne scriptoris historiæ argumentum. Primæ ejus curæ positæ in constituendis Provincijs excitandísque proborum juxtà ac sapientum virorum studijs, ne vel religio, aut res civilis quicquam acciperet detrimenti.

Comitia Augustana.

Eadem, quæ privatim agebat Albertus in Boicâ, Cæsar egit pro publicâ totius Germaniæ salute. Quamobrem Comitia Principum atque Ordinum universorum totius Imperij, Augustæ, ad diem Junij vigesimam quintam indixit. Jussi adesse omnes, qui adversâ valetudine non prohiberentur. Adfuit Albertus Bavarus, Henricus Brunsvicus, Borussiæ Magister: è Septemviris Moguntinus & Trevirensis; nam Coloniensis, rebus domi componendis distinebatur: Ex Episcopis, Augustanus & Tridentinus Cardinales, Herbipolensis, Constantiensis, Eistettensis, Cameracensis, Merseburgensis. Mauritius Saxoniæ Elector, qui jam

jam tum, adversus Cæsarem, bellum & fœdus cum Galliæ Rege, cum Alberto Marchione Brandeburgico ac Wilhelmo Hasso meditabatur, adfuit per Legatos, velut & permulti alij. Eodem Cæsar filium adduxit è Belgio, & captivum Saxoniæ Ducem; Landgravium verò Mechliniæ jussit haberi in custodiâ. Datus Comitio primus Senatus vigesimâ Julij. Summa rerum agendarum de continuando Generali Concilio, de libro Interimistico, de bonorum Ecclesiæ restitutione, de integrandâ Ecclesiasticâ jurisdictione, de Iudicio Cameræ, déque compescendis perduellibus. Nemo fuit è Catholicis, quin censeret Concilium Tridenti esse persequendum, decreta ejus omnia suscipienda et observanda. Mauritius Saxo non admisit aliter, quàm si, quæ jam acta erant, retractarentur, & Protestantium Ministri deinceps sederent, dicerentque sententiam. Audax petitio, ut, qui essent rei, sibi Judicum partes sumerent: sed & hoc gravius. Volebat nimirum Pontificem summum Conciliorum omnium ab ineunte Ecclesiâ Præsidem loco moveri, Concilio subesse, & jurisjurandi religionem remittere Episcopis, quo liberiùs animi sensa promerent, & sentienda secum ipsi statuerent. Mauritij Legatus eam contestationem publicè lectam petijt in acta referri; sed Moguntinus pro potestate id fieri vetuit. Quocirca major pars Protestantium assensa est, citra omnem exceptionem aut declarationem, ut Concilium porrò celebraretur, quod ipsum jam plerique superiori conventu probaverant.

II. An. M. D. LI.

Multa rei Catholicæ salutaria in istis Comitijs constituta. Cæsar ex Imperij liberis urbibus, Augustâ præsertim, Memmingâ, Ulmâ, alijs orbis Suevici Lutheri doctrinam proscripsit: unde factum, ut Augustâ, Memmingâ, locis alijs, Lutheri concionatores exigerentur, gaudente Alberto, quòd nulli essent in Boicâ istiusmodi novatores, quos exigeret. Longè plura erat Cæsar facturus, nisi iniquo admodum Reipublicæ Christianæ tempore bellum intervenisset, auxiliante Henrico Galliæ Rege Protestantibus, quibus erat pro obtentu Germaniæ libertas, Hassus è custodiâ Cæsare invito eximendus, & quæ ipsis in votis erat, erigenda Augustana religio. Dici vix potest, quantum damni id fœdus, aliáque id generis, rei Catholicæ & Germaniæ importârint.

LUTHERI DOCTRINA PROSCRIPTA.
FOEDUS PROTESTANTIŪ CUM REGE GALLIÆ.
Thuan. l. 6.

Tridenti instauratum est Oecumenicum Concilium cal. Maij. Eò profecti Moguntinus & Trevirensis Archiepiscopi Imperij Electores, quos anno sequenti periculum publicum domum revocavit. Numerati sunt universim Episcopi præsentes sexaginta quatuor ad cal. Septembris, qui dies fuit dictus secundæ sessioni.

CONC. TRIDENTINUM INSTAURATUR.

Inter hæc, Principum Imperij alij per Oratores Cæsarem convenêre, alij per litteras, inter quos Albertus Bavarus, pro liberando Landgravio. Cùm suâ spe minùs impetrarent, Mauritius Saxo Septemvir, qui Cæsari debebat plurimùm ob Septemviratûs honorem, quem erat ejus beneficio indeptus, quòd se sponsorem vindicandæ Hassi libertatis ejus filijs obligasset, Magdeburgo post longam obsidionem ad officium redacto, eundem exercitum, quo in eo subigendo usus fuerat, ad Cæsarem opprimendum convertit, adiectis præsidiarijs, qui Magdeburgum propugnârant. Dum se tempestas idonea castris aperiret, suum consilium mirè celavit, copijs per Turingiam in stativa hiberna distributis, unde haud levia incommoda Moguntino Archiepiscopo & sacro ordini passim illata.

MAURITIUS SAXO CÆSARI BELLUM MOVET.

III.

Albertus Bojus, cui iste apparatus meritò erat suspectus, cùm manus Mauritiani militis in Boicæ finibus consedisset, Ingolstadium idoneo præsidiariorum numero communijt, ne, si quid secus ei civitati contigisset, Provincia universa flammis ferróque, quibus jam cœperat hostis per Germaniam grassari, foret aperta. Sapienter eum fecisse docuit eventus, quando Mauritius junctus Alberto Brandeburgico, Alberto item Megapolensi & alijs, assumpto titulo defensorum Germanicæ libertatis, quæ ferè bellorum civilium communis larva est, multis Germaniæ urbibus subitò occupatis, Augustam quoque Vindelicorum, malè à præsidio defensam, cal. Aprilis quatriduo obsedit, cepitque deditione. Coa-

An. M. D. LII.
AUGUSTAM INVADIT.

ctum fuit principis Ecclesiæ Collegium suam immunitatem grandi pecuniâ redimere: Magistratus civici, quos Cæsar nuper instituerat, loco moti, veteres unà cum tribubus restituti: instaurata dominatio popularis: clausa quindecim Catholicorum templa: prohibiti sacrorum ritus: Lutherani præcones cathedris redditi: Otho Cardinalis Dilingâ expulsus: in ipsâ Boicâ Etalense D. Benedicti cœnobium direptum, ubi ipsum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum effusum, pedibus conculcatum, sacra templi vasa, quorum usus est in augustissimo sacrificio, pedum Abbatis, sacrarum reliquiarum hierothecæ, Divorum cineribus hâc illâc temere sparsis, quicquid ad divina officia pretiosæ vestis fuit, sublatum, profanatum: Monachi crudeliter contusi, ejecti in Alpium avia. Nihilo mitiora passi Benedictoburani, Rotenbuchienses religiosi, Habacenses Canonici, alijque passim sacrorum ministri. Nec verò etiam parsum est Norimbergensibus, quos Brandeburgensis ingentibus damnis affecit. Idem Wolfgango Ordinis Teutonici Magistro, direptionibus, incendijs, ingentia damna intulit, Bambergensem & Wirceburgensem Episcopum adegit ad iniquissimas conditiones: & hunc quidem, ut præsentariæ pecuniæ supra ducenta viginti millia dependeret; Brandeburgici trecenta circiter quinquaginta aureûm millium nomina suo ære dilueret; illum verò, ut suæ ditionis aliquot oppida & præfecturas Brandeburgico, confectis eâ de re tabulis, unà cum clientelis & beneficiarijs subditis transscriberet.

ETALENSIS MONASTERII DIREPTIO. *Annal. Etal.*

VARIÆ ALIORUM VEXATIONES.

IV.

ERENBERGA MAURITIO DEDITA.

Mauritius occupato Fussiaco, Alpium fauces, disjecto Cæsaris præsidio, expugnavit Maio jam adulto, Erenbergam Tirolensium propugnaculum coëgit ad deditionem. Tum citatis itineribus Oenipontum properans, Cæsarem, qui isthic agebat, abs rebus omnibus imparatum oppressisset, nisi periculum receptu tumultuario, per Alpes evasisset, dimisso paulò antè Joanne Friderico Duce Saxoniæ è quinquenni captivitate, qui tamen Cæsarem lubens voléntque est secutus. Mauritius Oeniponto potitus, rem omnem Cæsaris, Othonis Cardinalis, & Hispanorum isthic repertam, permisit direptioni, Ferdinandi Regis & civium opibus intactis. Ex diversâ parte, Henricus Galliæ Rex sumpto titulo Vindicis Germanicæ libertatis, cum ingenti exercitu Franciæ fines egressus, ad Id. Martias Tullum, Virodunum, & Mediomatrices Imperij Urbes invasit: tum progressus per Lotharingiam, Tabernas venit, postea Argentinenses, infrà quàm speràrat, expertus benevolos. Moguntini Trevirensisque Electorum, Clivensis & Wirtenbergici Ducum Oratores Wisseburgi audijt precantes, abstineret ab agrorum vastatione, parceret promiscuæ multitudini, longiùs in Imperium ne procederet, ad pacis consilia animum adijceret, Herbipolitani Episcopi patronum ageret apud Brandeburgicum, illique mitiora impetraret.

HENRICI GALLIÆ REGIS IN IMPERIUM IRRUPTIO.

Inter id temporis Rex Ferdinandus cum Maximiliano filio, Mauritius, Albertus Boiariæ Dux, Salisburgensis & Eistettensis Antistes, Cæsaris, Septemvirûm Imperij, Clivensis & Wirtenbergici Legati, Lintzij egêre de liberando Landgravio, de componendo religionis dissidio, de pace cum Cæsare & Rege Galliæ, de proscriptis in gratiam recipiendis, itáque discessêre, ut bona spes esset rei componendæ, si certis conditionibus Cæsari satisfieret, quas tamen Mauritius Fœderatorum injussu se accipere posse negavit. Quocirca ad eos, nominatim ad Galliæ Regem, de pace cum Cæsare ineundâ dedit litteras, quibus ille acceptis, cùm nihil minùs, quàm id nuntij expectaret, iter relegit in Franciam, eò maximè, quòd Belgicæ Cæsaris copiæ, quæ Ductore Martino Rossemo Campaniam erant ingressæ, recepto de Gallis Stenaco, eum ad Regni curas revocarent. Invasit ipse vicissim Damvillerium, & Jvodium, in quo Ernestus Comes Mansfeldius venit in Regis potestatem: per agrum deinde Luxemburgensem populationes, incendia, terrorem circumtulit.

LINZIENSE COLLOQUIÛ

HENRICUS REX IN GALLIAM REVERTITUR.

V.

Pacificatores rursus ad diem dictam Passavij adfuere. In his Albertus Boicus tam studiosus publicæ quietis & concordiæ, quàm Albertus Brandeburgicus ab utrâque alienus; tametsi præter causas publicas privatæ non deerant, quæ pacis

PAX PASSAVIENSIS.

cis consilia vehementer commendabant. Jam enim Cæsaris copiæ eò usque creverant, ut impares non essent fœderatis, posteaquam Gallicæ erant in patriam reversæ. Ioanne Friderico Saxone libertati restituto, periculum erat Mauritio, ne Cæsar offensus, de eo in pristinos honores & possessiones reducendo consilia expeditionémque meritò formidandam susciperet. Landgravij filijs timendum erat, ne non modò parentem custodiâ non eximerent, sed arctiore potiùs ac diuturniore afflictum, secum ipsi traherent ad supremum fortunarum omnium exitium. Conventum ergo est in has leges. *Fœderati ante diem Augusti duodecimum ab armis discedunto, copias dimittunto, Ferdinando Regi, si ipsi usus fuerit, militaturas: Landgravius, ad eundem diem Rheinfelsij sistitor, si priùs de servandis pacis conditionibus, Halæ Saxonicæ dictatis à Cæsare, idoneè caverit. Mauritius, Brandeburgicus Elector, Wolfgangus Bipontinus, datam eâ super re fidem renovanto: Landgravij de Catorum ditione lis cum comite Nassovio, per Electores Imperij, aliósque partium consensu deputandos, recognoscitor, & biennij spatio finitor. Cæsar post semestre, Comitia Imperij convocato de tollendis sacrorum controversijs. Pacem interea omnes colunto, nec fraudi esto cuiquam Augustana, nedum Catholica religio: quod Cæsar decreverit, ratum fixum esto.* Additæ præterea leges de Spirensi camerâ, Germaniæ libertate, de Ottone Henrico Palatino restituendo in suas ditiones, de solvendâ fœderatorum contra Cæsarem initâ societate, de damnis, nupero bello datis & acceptis, ultro citróque condonandis, nisi quid aliud à Comitio proximo statueretur: de proscriptorum reconciliatione, de Galliæ Regis causâ adversus Cæsarem, ad alios tractatus reijciendâ, de Alberto Brandeburgico à bello revocando.

BELLUM BRANDEBURGICUM. VI.

Verùm ille spretâ pace, relicto Spiræ præsidio, Francofurtum, unde Mauritius factâ pace discesserat, obsedit, bellum fecit Moguntino, Moguntiam invasit, S. Martini arcem Archiepiscopi sedem, S. Albani, S. Victoris, S. Crucis templa ac Collegia, Cartusiam incendio vastavit. Spirensem Episcopatum magnis damnis affecit: Treviros deditione occupavit, urbis templa clausit, jussitque divina cessare; suas copias Galliæ Regi conjunxit, donec Cæsari reconciliatus, fusis fugatisque in Lotharingiæ finibus Franciæ copijs, captóque Duce Aumalio, quartâ Novembris ad Metensem obsidionem cum Carolo Imperatore contendit. Eâ solutâ, domum reversus, bellum gessit cum Mauritio Electore Saxoniæ, & prælio superatus, victoriam reliquit Mauritio lethali vulnere sauciato illætabilem. Perierunt eo certamine multa Germanorum millia, Henrici Brunsvicensis filij duo, multi Comites, aliíque viri nobilissimi. Agebat tum ætatis annum trigesimum tertium Mauritius. Extinctum ex vulnere Joachimus Camerarius funebri concione laudavit. In ea recensuit prodigia, quæ ejus mortem antecesserant; sanguineas nimirum guttas in arborum folijs hærentes, canum latratus importunissimos, & mutuas dilaniationes, auditos equorum velut fremitus, visas armorum concursationes, & alia quædam plena terroris: Ducis tabernaculum cæteris intactis disiectum, quasdam ipsius voces veluti mortis præsagas. Decedenti sine liberis, Augustus frater mitiori Princeps ingenio, ejúsque posteri Saxoniæ Duces in Septemviratum successere constanti in Cæsares fide & obsequentiâ. At Albertus nihilo quàm antè factus sedatior, à Cæsare fuit denuo proscriptus, exutúsque universâ ditione, donec die octavâ Januarij, anno quinquagesimo quinto, bellandi simul & spirandi finem fecit, annos natus triginta quinque.

MAURITII SAXONIS CÆDES. AN. M. D. LIII.

Ipse simul & Mauritius, antequam prælio decernerent, à Cæsare Haidelbergam vocati, omnes reconciliandæ concordiæ rationes aspernari, sensere bellum neutri profuturum. Albertus Bavarus ad eos componendos à Carolo adhibitus frustra fuit, neutro moderata consilia admittente. Æquè pertinaces fuere Ludovici Comitis Oetingensis, ejúsque filij Ludovici adversus Fridericum & Wolfgangum fratres, Ludovici filios, iræ. Proscriptus fuerat Pater atque unà filius ipsi cognominis, eò quòd bello Smalcaldico arma gessissent adversus Cæ-

ſarem: deſciverat uterque à religione Catholicâ. Reliqui duo filij in fide Dei & Cæſaris perſtiterant. Quamobrem proſcripti parentis & Ludovici filij clientelas, in Fridericum & Wolfgangum Cæſar tranſcripſit. Ubi ad eos conciliandos Lavingæ ventum eſt, quicquid Albertus Cæſaris juſſu ageret, eos in mutuam gratiam reducere non potuit. Parens anno ſuperiore Alberti Brandeburgici operâ, pro ſe & Ludovico filio perduellionis veniam obtinuerat, eóque repetebat priſtinas poſſeſſiones, accuſans filios Catholicæ religioni addictos ingrati animi, quòd eas mordicus retinerent: ſed cùm hi Cæſareo judicio niterentur, nihilque in ijs eſſet, quod præter conſtantem in Deum & Cæſarem

VII. fidem Parens odiſſet, nec aditâ poſſeſſione vellent cedere; concordia, pro Alberti voto, non coaluit, quòd diſſidentium animos naturæque vincula, non modò rerum habendarum, ſed etiam religionis ſtudia diſtraxiſſent.

An. M. D. LIV. Ernestus Boius Salisburgensem Archiepiscopatum abdicat. *Hund. in Metrop.*

Certaverunt illi quidem de recipiendâ & retinendâ Dynaſtiâ; ſed Erneſto Alberti patruo negotium fuit de Archiepiſcopatu Salisburgenſi, qui longè majoris eſt momenti, dimittendo. Jam annos quatuordecim ab exceſſu Matthæi Langij Cardinalis, iſtam Eccleſiam cum magnâ omnium Ordinum approbatione & utilitate publicâ adminiſtraverat, nondum adito gradu, quem ſacrorum leges in Epiſcopo requirunt. Hactenus majorum ordinum veniam fecerant ſummi Pontifices, quam cùm Julius III. recuſâſſet longiorem, Erneſtus dimiſſo ſponte Archiepiſcopatu, in Comitatum Glazenſem, quem ſuo ipſe peculio & privatâ parſimoniâ coëmerat, vitam acturus privatam, conceſſit, deinceps ſuæ magis, quàm alienæ ſaluti daturus operam, &, quod ipſi ad annum uſque ſexageſimum vitæ erat reliquum, Deo ſuæque ſaluti impenſurus. Rem Archiepiſcopatûs geſſit utiliter, Princeps placidiſſimus & laborioſiſſimus. Mos illi erat ſuorum libellos ſupplices aſſiduè evolvere, reſponſa ſine comperendinatione reddere, decreta haud raro amanuenſibus dictare. Provinciam ſummâ tranquillitate in medijs Germaniæ turbis geſſit. Nihil novorum onerum exegit aut impoſuit, cenſus veteres cum eâ prudentiâ & moderatione impendit, ut nemo eſſet, qui eum privatis potiùs, quàm publicis commodis indulgere quereretur.

VIII. An. M. D. LV. Augustana Pacificatio.

Annus quinquageſſimus quintus, pacificatione Auguſtanâ famoſus eſt. Ferdinandus Rex, quod ſuperiùs inſinuavimus, ad ſedandos, qui alij ex alijs naſcebantur, Germaniæ tumultus, anno trigeſimo ſecundo, Paſſavij, cum Mauritio Electore, præſentibus aliorum Electorum & Principum legatis, tranſegerat inter cætera, fore ut Cæſar curam ſibi ſumeret amoliendi fidei controverſias operâ & auctoritate Generalis Concilij Germanicæ nationis, unde pax inter Catholicæ fidei & Auguſtanæ confeſſionis profeſſores in Imperio ſtabiliretur, aut ſaltem in poſterum Catholicis juxtà ac Confeſſioniſticis Imperij Ordinibus, religionis cauſâ, nulla inferretur moleſtia, ſed bonis ac juribus ſuis tranquillè fruerentur. Fundamentis pacis futuræ ad eum modum conſtitutis; Comitia, quæ ad perficiendam pacem Ulmæ decreta fuerant in annum quinquageſimum tertium, propter bella, non externa tantùm, ſed etiam inteſtina, in hunc annum ex Cæſaris voluntate, Auguſtam fuere tranſlata. Imperator, id temporis, alijs negotijs in Belgio diſtentus, cùm ipſe Conventui adeſſe non poſſet, ſuas vices demandavit Ferdinando Regi, cum ſummâ agendi & ſtatuendi poteſtate, additis Conſultoribus, Ottone Auguſtano Antiſtite, Lazaro Schwendio, Felice Hornungio, qui Ferdinando in rerum agendarum deliberatione adeſſent, referréntque Cæſari, quicquid in Comitijs ageretur: nihil tamen ipſi Cæſaris nomine ſtatuerent, ſed ſtatuendi jus ac poteſtatem Ferdinando Regi deferrent. Dandum erat conventui initium menſe Majo, anni quinquageſimi quarti, & jam Auguſtam venerant nonnullorum Principum ac Ordinum Legati. Verùm cùm cæterorum nemo compareret, domum quiſque ſuam rediêre. Ferme ex iſtâ Ordinum infrequentiâ omnis Comitij ſpes interciderat, cùm Cæſar pacti Paſſavienſis non immemor, rurſus juſſit Ordines ad 3. Id. No-

vemb.

vemb. anno trigesimo quarto convenire. Princeps erat ratio conventûs indicendi, dissidij de rebus divinis tollendi & pacandi Imperij consilium. Hinc nata est anno quinquagesimo quinto, vigesimâ Septembris, nominatissima illa pax Religionis, inter Imperij Ordines Catholicos & Confessionis Augustanæ professores, quæ tot postea hominum ingenia, tot interpretum calamos, tot discordias & arma exercuit. Eam referre longioris est operæ, quàm ut proposita nobis brevitas patiatur, nec pretium esset labori, cùm vulgò omnium propè manibus teratur.

IX.

Ex isto conventu redux Albertus Boius, cùm nondum satis cautum crederet eâ pacificatione (quæ passim magnam labem passa est) suarum Provinciarum in Catholicâ religione securitati, Academiæ Ingolstadiensis novis subsidijs firmandæ, intermissam parentis obitu curam resumpsit. Jam actum fuerat finitimorum Episcoporum, quorum jurisdictione Boicæ Ecclesiæ reguntur, suasu; ut bonorum sacerdotum, quorum id temporis magna erat penuria, seminarium aliquod excitaretur: verùm cùm in Academiâ vix ulla ponerentur Philosophiæ fundamenta, quòd ferè deessent ejusce disciplinæ satis gnavi interpretes, eóque Theologicæ sapientiæ multum decederet adjumenti, nec ejus docendæ labor pares necessitati fructus polliceretur, Societatis Jesu Patres, quibus erat demandata divinarum litterarum professio, Guilielmo Duci, per Leonardum Eckium suggesserant, ut dictæ Societatis Collegium Ingolstadij conderet. Id cùm Duci juxtà ac Leonardo ejus Cancellario mirificè placuisset, jámque de Collegio instituendo laboraretur, quò minùs tum res optatum exitum sortiretur, Guilielmi obitus, quem paulò antè Eckij mors præcesserat, intercessit. Cùm ergo Albertus horum conscius, cuperet sapientes parentis sui conatus instaurare, à S. Ignatio Societatis conditore octodecim socios, qui Collegij primordia facerent, impetravit, deditque negotium, ut cum Petro Canisio, quem S. Ignatius Pragâ Ingolstadium jussit proficisci, tres viri, qui dignitate consilióque præstabant, sedulò agerent de fundando Collegio, de instituendo pauperum contubernio, qui Theologicis litteris darent operam; de loco, ubi ista domicilia collocarentur, de eorum vectigalibus, denique quemadmodum administranda & regenda viderentur, consilium caperent. Ita Princeps optimus totus erat in arcendâ dogmatum novitate, atque ob eam rem de juventute formandâ, educandísque idoneis Ecclesiæ administris satagebat.

Hist. Societ. l. 15. n. 25. l. 16. n. 23.

Collegii Societatis Jesu Ingolstadiensis initia.

An. M. D. LVI.

X.

Dum hæc aguntur, Ignatius designatos ad eam coloniam socios monuit, se ut ad tam illustrem provinciam compararent. Ut verò obsequio gratiam celeritate adjungeret, eos maturavit mittere, ideo potissimùm, ne Paulus IV. Pontifex Pacificatione Augustanâ offensus, crederet, Albertum in eâ condendâ, neglectu religionis, cæterorum suffragia esse secutum. Quare octodecim socios Pauli pedibus advolutos, collaudatâ Alberti voluntate, stitit, petivítque supplex, ut bene precatus illos Ingolstadium ire pateretur. Profecti sunt Româ 6. Idus Junias: eorum præcipui Thomas Lentulus Neomagus, Joannes Covillonius, Hermannus Tiræus, Hurtadus Petrius, Theodorus Peltanus. Tertio nonas Julij, Monachium pedites pervenêre. Inde biduo profecti Ingolstadium, tertio quàm venerant die, in Collegium, quod vetus appellabant, inducti sunt. Erat id Collegium publicæ Academiæ pars. Lecti, stanneúmque instrumentum ex deserto Monasterio, quatuor Ingolstadio leucis allatum est: quotidianus victus initio ex Collegio novo, interjectâ viâ discreto, afferebatur. Sacellum Academiæ D. Catharinæ sacrum, assignatum est. Laboratum subinde librorum inopiâ, sed cuncta paulatim incommoda Alberti liberalitas sustulit. Scholasticos in Academiâ septingentos, æstimatio popularis censebat. Doctores Academici perbenevolos sese novis incolis initio præbuere. Superabat adhuc fama Jaij, Salmeronis, Gaudani, Canisijque, qui olim Ingolstadij docuerant, eáque memoria authoritatem Collegio adjungebat. In Academiam publicam admissi ad docendam Theologiam Joannes Covillonius & Hermannus Tiræus: ille

Psalmos Davidis, hic quartum sententiarum librum explicare aggressi, scholas etiam in Ferijs, quas vindemiatorias vocant, Principis jussu continuârunt. Induxere acriter disputandi consuetudinem, quo destituta aculeo, juvenum studia frigore languoréque solent obtundi. Calend. Septembribus, cùm proximo biduo, plausu magno præfati essent, inière docendi curriculum, Theodoro Peltano privatim Græca & Rhetoricam docente. Singulos autem socios solenni sacramento in membra Academiæ cooptari Princeps voluit, & duos, quamvis Philosophiam non docerent, tamen in Philosophorum ordinem assumi, qui consultationibus interessent, & promovendorum ad solennes gradus experimentis. Scholæ latinitatis non ante Octobrem extremum impetratæ sunt, Duce sensim Sociorum industriæ, ut sese probârat in prioribus, novam ad alia suggerente materiam.

XI. Ejus ubi non expleta solùm, sed etiam longè superata expectatio est, mirum in modum successu lætus, seriò cœpit de extruendo à fundamentis, certísque reditibus firmando Collegio, déque amplificando operarum numero cogitare: quod postea cumulatissimè dedit confectum. Plurimùm ea res valuit non ad studiorum duntaxat fervorem excitandum, sed etiam ad vindicandam Alberti famam, quam Augustana Comitia nuper Romæ nonnihil obscurârant, quasi minùs, quàm parens Guilielmus, Romanæ Ecclesiæ foret studiosus. Atqui tum (ut mobilia sunt ex eventibus hominum judicia) prædicari rursus cœpit apprimè Catholicus, quòd certum videretur, non nisi optimè erga fidem Romanam animatum, tales viros, sedi Apostolicæ ex asse addictos, Academiæ, quæ religionis est quasi præsidium, fuisse impositurum. Ilicò bonum odorem ex ista provisione in almâ urbe sparsum, D. Ignatius ad Albertum ejúsque Secretarium Henricum Suicardum scripsit, & uno, antequam ad cœlum abiret, mense, magnos ex eo Collegio fructus, bono publico proventuros, prædixit.

Comitia Ratisbonensia.

Hæc inter, convenêre Ratisbonæ Imperij Principes atque Ordines ad Comitia dudum indicta. Quò minùs conveniretur citiùs, variæ causæ intercesserant: mors Friderici Palatini Electoris ad diem vigesimam sextam Februarij, qui cùm nullos ex Dorotheâ Christierni Regis Daniæ & Sueciæ filiâ liberos sustulisset, successorem reliquit Othonem Henricum ex fratre Ruperto nepotem, Austriacis & Bavaris minùs addictum, tum memoriâ belli præteriti, tum odio Catholicæ religionis, quam inito Electoratu, mox è Palatinis ditionibus exturbavit. Non multò pòst etiam Trevirensis Elector è Comitibus Isenburgicis è vivis abiens, Joannem à Leyen successorem acceperat. Inciderat quoque bellum inter Carolum Cæsarem & Regem Franciæ Henricum, de cujus exitu cùm omnium

XII. essent suspensi animi, Comitiorum celebratio differebatur. Sed ne his quidem interfuit Carolus, qui per id tempus in Belgio, memorabili ad omnem posteritatem exemplo, de abdicando Romano Imperio Regnísque ac Provincijs hæreditarijs, Philippo filio transcribendis, laborabat: quam rem sub Autumnum ineuntem in Hispaniam navigans dedit confectam, ut deinceps publicis solutus curis, quod reliquum vitæ habuit, uni Deo, in privato secessu, tribueret. Ferdinandus quoque Rex propter Transylvanos tumultus & Turcam Hungariæ imminentem, dare Comitijs operam non potuit. Quamobrem Albertum Boicum Generum, cum vicariâ potestate, conventui præesse voluit. Extat in Monacensi tabulario volumen ingens litterarum de his ipsis Comitijs; ex quibus constat, quantopere Albertus soceri sui & Reipub. causâ laborârit: sunt & multæ vicissim Ferdinandi Cæsaris ad generum Epistolæ, testes fiduciæ, quam in hujus industriâ & fidelitate posuisset.

Albertus præest Comitiis Cæsaris vicarius.

Capita deliberationum.

Cœptæ consultationes mense Julio, protractæ sunt ad anni proximi mensem Martium. In ijs actum de cogendis subsidijs ad arcendum non à Pannoniæ solùm sed etiam à Germaniæ cervicibus, commune jugi Turcici periculum: de conferendâ pecuniâ, quæ certis locis deposita, in promptu esset publicis quaestoribus, qui eam, quoties usus esset, depromerent: id potissimùm venit in deliberationem, ut quando superioribus Comitijs fuerat constitutum, ut componendæ

dæ religionis rationes, ubi primùm fieri posset, inirentur, omnes unanimi consensu suam operam cogitationésque conferrent ad eliminandas sacrorum dissensiones, & damnato factionum studio, revocandum pristinum religionis splendorem, dissipandásque nubes, quæ hactenus veritatis Solem obduxissent. Postremò actum de tollendis monetæ corruptelis, ob quas multæ popularium quiritationes audiebantur, quasi ea modis varijs adulteraretur, cum rei communis & privati commercij insigni detrimento. Cometes, Lunæ dimidiæ æqualis, rutilanti crine vigesimâ nonâ Martij cœpit apparere, in medium usque Aprilem visus. Eum tamen insignis serenitas est consecuta, quod scriptum reliquit Lycosthenes.

Cùm à Bavaris pecunia ad usus tum Imperij, tum ipsius Principatûs publicos, per Albertum exigeretur, illi Austriacorum exemplo, à Principe vicissim petiverunt, sibi ut liceret, sacrosanctam Eucharistiæ communionem sub utrâque specie usurpare. Cessit ad breve tempus subditorum importunitati Albertus, priùs tamen professus, se nihil ideò prorsus in majorum religione novari velle, neque id fore firmum, antè quàm sacrorum Antistites eam licentiam suâ auctoritate comprobâssent. Id cùm illorum nemo faceret, sed magnopere omnes factum aversarentur, mox Albertus jussit eum ritum publicè privatimque, totâ provinciâ, constitutis in prævaricatores pœnis, abrogari. Eodem authore fœdus pro publicâ patriæ tranquillitate coaluit Landspergæ, unde & nomen accepit. Ei tum ipse nomen dedit, tum Salisburgensis, Ratisbonensis, Passaviensis, Frisingensis, Aichstattensis Episcopi, & Otho Cardinalis Augustanus. Accessere paulò pòst Herbipolensis & Bambergensis Antistites, item Augustana & Norimbergensis Respublica. Sociatæ fuerunt omnium voluntates ad ferenda mutuò auxilia adversus hostem quemcumque.

An. M. D. LVII.

Communio sub utraque specie, ad tempus Bavaris permissa.

XIII.

Foedus Landspergense.

Propriam Alberti pro Catholicâ fide curam studiúmque commendant litteræ plenæ pietatis & affectûs, ad stabiliendam veterem Ecclesiæ disciplinam, simul evellendam stirpitus impietatem, datæ hoc anno ad Theologos Ingolstadienses. Eos videlicet verbis gravissimis hortatus est, ut, cùm ipsi cœlestium disciplinarum interpretes agerent, non modò castam divinæ doctrinæ lucem auditoribus præferrent, sed eorum vel maximè animis virtutum amorem instillarent, conarentúrque ingeniorum ruditatem & pravitatem mentium corrigere, quò nitidius scientijs, & spiritui, à quo est omnis sapientia, domicilium instruerent. Ut verò Doctores ad suum officium, discipulos verò ad serium pietatis & litterarum studium incitaret, pollicitus fuit, nulli, qui in utroque sese probasset, defutura principalis munificentiæ (se quidem vivo) subsidia, præmia & ornamenta. Jussit præterea Sacerdotes, ob pietatem sedibus suis exactos, benignè Ingolstadij recipi, itáque foveri, ut intelligerent omnes, Boicam asylum esse exulantis virtutis, patriam veræ religionis, securámque stationem malè alibi habitæ probitatis.

Annal. Ingol. stad. part. 2. pag. 125.

Alberti cura et liberalitas, in pietatis et litterarum studiosos.

XIV.

Floruit Academia hoc anno, insigni illustrium auditorum frequentiâ. In his fuere sex Comites: Guilielmus Oetingensis, Hermannus Manderscheidius, Erenfridus, Leonardus, & Antonius Ortenburgij, Antonius Lodronius: Barones duodecim, Fridericus, Gebhardus, Carolus, Jacobus, & Joannes Walpurgij: Octavianus, Severinus, Victor, Augustus Fuggeri, Georgius Desiderius, Joannes Christophorus Fraunhofij, Joannes Limpurgius. Fuere præterea illustres Domini Guilielmus & Joannes Warmundus Scaligeri Domini Veronæ, & Vincentiæ.

Sub idem tempus, Albertus Ladislaum Comitem Hagensem aliquamdiu Monachij in liberâ custodiâ habuit, quòd graviter in Principem impegisset. Demum magno ære multatus, post decennium absque prole defunctus, Comitatum Alberto clientelari jure delatum reliquit. Wormatiæ colloquium, Catholicos inter & Acatholicos habendum, iniri de religione non potuit, quòd Acatholici, mutuis inter se divisi contentionibus, de modo colloquendi non

Ladislai Comitis Hagensis captivitas.

possent certi quicquam statuere, eo destituti spiritu, qui charitatis & mutuæ consensionis ad omne bonum est conciliator.

An. M. D. LVIII. Ferdinandus Carolo V. succedit.

Carolus V. rerum humanarum pertæsus, ad 6. cal. Martias per nobilissimam legationem Imperij Septemviris Francofurti renunciavit, se Imperij fasces titulósque sponte ponere, rogavítque, vellent Ferdinandum Fratrem dudum Romanorum Regem, Imperatorem agnoscere. Ratum Caroli votum habuere Proceres. Paulus IV. eorum decretum improbavit, quòd negaret, Carolum alterius Imperatoris coöptandi habere potestatem, vel Septemviros nominandi, absque Pontificis authoritate. Verùm, quod Paulus Ferdinando negavit, Pius Pont. successor benignè concessit. Ipse deinceps Carolus Cæsar non perennavit, sed 11. cal. Octob. ad æternitatem vocatus est, victor Regum, Principum, sui ipsius. Ferdinando ad summum Imperij fastigium evecto, Albertus memor officij, suas ab ipso clientelas beneficiario ritu accepit. Subinde sunt aliquæ controversiæ inter ipsum & Fridericum Comitem & Septemvirum Palatinum exortæ de finibus, vectigalibus, paræcijs, jure venandi, quæ sine bello fuere compositæ.

An. M. D. LIX.

Sub anni jam adulti mensem penultimum, ad 12. videlicet cal. Decemb. Albertus Collegij Ingolstadiensis felicibus initijs invitatus, ut alterum religionis præsidium & juventutis probè instituendæ domicilium Monachij excitaret; à Jacobo Laynesio Societatis Jesu Generali petijt Catholicæ doctrinæ & virtutum Magistros, quot satis essent ad Collegij prima fundamenta. Canisius 12. cal. Decembris, qui dies oblatæ Deo in templo Virgini sacer est, decem jussit esse Monachij, qui Alberti desiderio obtemperarent. Tantum primis statim initijs in Monacensibus exarsit pietatis, ut, cùm tantillus Sociorum numerus multitudini ad augusta Christi Mysteria certatim affluenti par non esset, Albertus suppetias ex urbe à Laynesio petierit. Operæ pretium est, ipsa Epistolæ verba recensere.

Principia Collegii Monacensis.

XV.

An. M. D. LX.

Satis, ut arbitramur, ex ijs nostris litteris, quas pro mittendis huc Societatis vestræ viris probatis, ad te dedimus, constat, quid de universâ instituti ratione nobis persuadeamus, quantúmque labenti Christianæ Reipub. commodi, exinde unicè polliceamur. Nec sanè spes nos ista fefellit unquam. Illi enim ipsi de Societate vestrâ nuperius ad nos missi, ita se primo statim aditu composuerunt, ut & vitæ sanctimoniâ & in docendo alacritate, cæteros suos fratres Collegas Ingolstadienses, laudabili quâdam & Ecclesiæ Catholicæ utilissimâ æmulatione, vincere viderentur. At nunc jactis bono omine fundamentis, publicis concionibus & privatis etiam adhortationibus rem fortiùs tentant: quassatos vineæ domini muros ita sine intermissione reficiunt, ut furiosus ille aper, non modò ab ovibus egregiè removeatur, sed spes etiam sit, tribulos illos & zizania erui, extráque muros ejici, & puriorem inde vineam conservari haud difficulter posse. Ex quibus seminarijs renascentis primitivæ Ecclesiæ faciem contueri, jamjam incredibili gaudio gestimus. Quis enim, nisi communi totius ferè Christiani orbis gravi morbo infectus, non ex animo lætetur, insanam hæreticorum pertinaciam summâ eruditione innocentique vitâ tuorum, tandem infringi? Verè igitur & meritò tibi gratulamur talium filiorum parenti, in quibus reviviscentis religionis, extirpandarúmque hæresium una firmissima spes consistit. Cæterùm in hâc nostrâ lætitiâ unum est, quo vehementer afficimur. Cùm enim verè credentium subinde augescens numerus id efficiat, ut præter quotidianos in scholâ docendi labores, plurimùm sit in templis quoque declamando, offerendo, & infinitas piorum confessiones audiendo, parúmque confirmatos fideliter informando, desudandum, valde veremur, ne pauci isti tui operarij

XVI.

tanto oneri diu non sint ferendo: Rogamus igitur clementi studio (quemadmodum etiam superioribus nostris litteris à te contendimus) ut occupatissimorum & sub pondere isto collabentium misertus, plures in hanc copiosissimam messem, primo quoque tempore emittas, qui cum illis, qui jam hîc sunt, integrum Collegium constituant. Cui nos de omnibus rebus necessarijs ita providebimus, ut & nostrum in venerabilem istam Societatem vestram amorem planè iterum testemur & sacrosancta Catholica Religio domicilium

cilium apud nos perpetuum habere possit. Viaticum illis, quos nunc ex tuo contubernio expectamus, ad Doctoris Canisij consilium benignè largiemur. Ex Monachio nostro, quinto calend. Julij, anno Salvatoris nati M. D. LX. Ex his colligere est, quo affectu Princeps optimus divini honoris incrementa & pietatis cultum prosequeretur.

Hujus anni mensis ultimus Ernesto Alberti Patruo fatalis fuit. Diem obijt in Comitatu suo Glazensi ad Sylvam Bohemicam, ubi privatus exegit ultimum sexennium. Funus illatum Monacensi Majorum Mausolæo, ad D. Virginem, quod unicum ex paternâ hæreditate sibi retinuit. Hæres in Comitatu ei successit Albertus, frustra repugnante Christophoro Duce Wirtenbergico, sorore Ernesti genito. Fuit in Ernesto singularis modestia & morum suavitas, quâ sibi subjectorum animos mirificè devinciebat. Nullum negligebat hominem, nullius libellum supplicem repudiabat. In rei publicæ procuratione nullis parcebat laboribus: flagrabat admirabili cupiditate de omnibus bene merendi, quo fiebat, ut vicissim omnium ad se studia raperet. Pauperum inopiæ aures manúsque habebat liberaliter apertas. Pompas luxúmque oderat, ratus, nullum esse splendidius satellitium, quàm ex virtutum perpetuo & nunquam infido comitatu. Tubicinem non nisi unum aluit, quem ipsum domi nunquam, foris raró audijt. Abhorrebat ab inutili Phonascorum grege, suaviúsque doctorum hominum vocibus, quàm alio quovis concentu solebat affici. Ne quicquam à subditis extra ordinem exigeret, aut injustis ditescendi compendijs uteretur, frugalitas & honesta parsimonia perpetuam rerum affluentiam suppeditabat, ab ipsâ usque adolescentiâ, quando non est veritus in Joannis Malentini (quod antè monui) qui postea Secoviensis Episcopus fuit, comitatu diu latère ignotus, dum peregrinus, maximè visendas Europæ Provincias addiscendi causâ, studiosè adiret. Sancta sanctè castéque tractari voluit, útque in ijs mundities externa, quæ interioris index est, servaretur, sacrorum apparatum nitidum volebat adhiberi, qualem Salisburgi magno ære comparatum reliquit. Sacrilegos sacerdotum amores severè castigabat: verbo; præstitit se Principem famâ integrâ, vitâ inculpatâ, sive cùm Ecclesijs præfuit, sive cùm egit vitam privatam, utrobique pius & generosus humani fastûs contemptor, ad omnia probi Præsulis officia pervigil & indefessus. ERNESTI BAVARI OBITUS.

Hæ dotes cùm in Ratisbonensi Antistite, quem senecta & corporis moles prægravabat, languerent, res Catholica hoc anno Ratisbonæ haud exiguam cladem accepit. Georgius è nobilissimâ Pappenheimiorum gente Episcopus cæteroqui non indiligens, ætate fessus & prægravante abdomine, domi se continebat, abstinens prorsus à publico, ita ut ne communi quidem mensâ uteretur. Segniter interea res Ecclesiæ curabantur. Multi sacerdotum, vel à religione defecerant, vel incestis thoris erant contaminati. Ratisbonensis civitas, Episcopo perinvito, Acatholica sacra induxerat, templa Catholica everterat. S. Petri Scotorum extra urbem; S. Albani & S. Othonis intra mœnia, ipsum suburbium Boicum ad pontem erat eversura, nisi Albertus validè obstitisset. Episcopo connivente, Clerus perinvitus militum contubernio vexabatur, Lutherici Præcones passim dominabantur; ipsa civitas commune erat asylum ob desertam fidem è Boicâ, aliunde, profugorum. In religiosorum domicilia, malorum contagio irrepserat. Eo factum, ut hoc anno S. Jacobi Cœnobiarcha ædem D. Nicolai Parœcialem civibus venderet, quam mox Senatus solo æquavit. Franciscanorum Custos pleraque sui Monasterij ædificia demolitus, è saxis venalibus æs sibi confecit. Ejus exemplo Prior Augustinianorum, non modò sui contubernij bonam partem evertit, sed etiam divendito decimatum jure, vineísque ad Monasterium spectantibus, pretio onustus, in malam rem profugit. Sapientiùs D. Dominici Patres, suum Patriarcham imitati, per omnem Germaniam, invalescentibus erroribus opposuere salutaria quædam sodalitia, quale est Marianum, quod à Rosario nomen habet, salutatæ virginis: quod puellis dotandis & elocan- *Hund. in Episc. Ratisb.* STATUS ECCLESIÆ RATISBONENSIS. XIIX. VARIA SODALITIA PIE à PP. DOMINICANIS INSTITUTA.

An. M. D. LXI. candis dedicatum : Sanctissimi Corporis Christi, & Divini Jesu Nominis. Pius quoque IV. Pontif. Max. pro paternâ in Orbem Christianum charitate, Germaniæ Proceres ad Concilium Tridentinum varijs ex causis interpolatum, denuo instaurandum invitavit, ne dedignatus quidem Protestantes. Ad eos, cùm Neoburgi in Thuringiâ conventum de suis rebus agerent, misit Legatos, qui eos hortarentur, vellent ipsi per se, vel per quos placeret vicarios, suam causam Tridenti coram totius Ecclesiæ Orthodoxæ consessu agere, & quam divinus Spiritus, quo Christiana sanctitas alitur, dictaret sententiam, audire & amplecti. Verùm illi suæ opinioni affixi, respondêre, se Pontificis potestatem in cogendo Orbis universi Concilio non agnoscere, nec commissuros, ut se à Confessionis Augustanæ normâ, quam anno M. D. XXX. Carolo Cæsari porrexerant, paterentur abduci.

Albertus Legatum mittit ad Concilium Tridentinum. *Vickleri M.S.*

Albertus longè obsequentior Legatum misit ad Concilium, Augustinum Baumgartnerum, cui adjunxit Joannem Covillonium è Societate Jesu sacrarum litterarum Ingolstadij interpretem. Per eos dedit ad sacrum Conventum litteras, quæ die vigesimâ septimâ Junij in publico Patrum Senatu recitatæ fuerunt, & benignis auribus auditæ ; quòd singularem optimi Principis pietatem, & in Ecclesiæ Præsules reverentiam testarentur. Eodem illo die Baumgartnerus luculentam habuit ad Patres orationem, quâ Alberti mentem & suæ legationis capita explicavit. Ea fuerunt tria potissimùm. Disciplinæ Ecclesiasticæ morúmque orbis Christiani emendatio : Incontinentium sacerdotum conjugia : Sacræ synaxis sub utraque specie communio. Atque hæc quidem Albertus sic voluit Concilio proponi, ut non disceptatoris aut Judicis partes sibi sumeret, sed omnino vellet esse in Concilij authoritate ac fide, quicquid demum divino instinctu Patres decernerent, quemadmodum deceret Principem sæcularem, cujus non sit leges Ecclesiæ dare, sed datas accipere & servare, quem tamen non dedeceat morbos ostendere, & remedia à sapientissimâ matre expectare. Ergo primùm omnium ostendit Alberti Orator, non esse Boicam usque eò à communi Germaniæ sorte intactam, ut in nuperâ disquisitione reperti fuerint inter anima-

XIX. rum curatores, cæterósque Ecclesiarum administros, aliqui Zwinglio, alij Luthero, alij Illyrico Flaccio, alij etiam Manichæorum erroribus clàm addicti. Immo fuisse, qui se Eunomianos & Jovinianos ex suis deliramentis proderent. Hæc mala non in plebis duntaxat, sed etiam Nobilitatis viscera penetrasse, atque indies magis magisque vicinorum contagione firmari, idque ex morum corruptelâ; quæ Sacerdotum pravis exemplis sic migrârit in populos, ut nihil credant inhonestum, aut dignum supplicio, quod ab honestissimo Ecclesiæ ordine cernunt impune patrari. Quibus laicis cura sit & amor honestatis, eos sic ratiocinari, ut, cùm inter doctores ac doctrinam non statuant discrimen, ilicò existiment, nihil docere boni, qui tot mala inverecundè admittunt. Sale infatuato, difficile esse incorrupta bene condiri; luce obnubilatâ, non posse satis luculenter ad simpliciorum aut perversorum captum, obscura illustrari : vasa, unde divina propinantur, ab omni morum colluvie expurgari oportere. Addidit quædam sigillatim, quæ ostendebant plebem pleramque à quorundam Clericorum moribus & institutione haud parùm esse alienam, paratámque sectam quamlibet potiùs amplecti, quàm suam salutem credere hominibus usque eò depravatis. Cùm verò inter multorum sacerdotum nævos libido fœdissima laicorum animos vehementer offenderet, nec viderentur aliqui posse ab inconcessis amoribus avelli, nisi si incontinentibus fieret honesti conjugij potestas, petijt à Patribus, vellent expendere, satiúsne foret effrenatam licentiam severitate legum, an vinculis matrimonij coërceri. Tertium de Communione sic tractavit, ut satis appareret, plebem novatorum vocibus incantatam, calicis usum exposcere, cæ-

XX. teroqui haud gravatè in reliquis sacrorum ritibus, Patrum judicio cessuram. Certè eâ tempestate vulgi erroneus sensus erat, immo & quorundam supra vulgus perperam sapere volentium, matrimonij sanctitatem, contaminato cælibatui præ-

stare

ſtare, & non ſatis cœnare, qui calicem non biberet. His vocibus perſtrepebat aula Cæſaris pariter, & Alberti, aliorúmque Principum: iſta liberè jactabantur in circulis, ut vix eſſet, qui auderet refellere, tanta erat invidia contrà ſentientium. Unus Caniſius obniti auſus eſt, tametſi adverſariorum numero penè obrueretur.

Cæterùm Tridentini patres Baumgartnero ſic reſponderunt, ut pateret, ejus adventum & orationem non diſplicuiſſe. Juvabit ipſa reſponſi verba recenſere. *In magna expectatione ſancta Synodus uſque ad hunc diem fuit, ut aliquis ex nobiliſſimis Germaniæ Principibus ad hoc ſacrum Concilium accederet, & ſuâ præſentiâ eam pietatem in Catholicam Eccleſiam declararet, quæ inprimis à Principibus viris expectari debet: vel ſi ipſi gravioribus negotijs impediti adeſſe non poſſent, oratores ſuos mitterent, qui optimam illorum voluntatem profiterentur. Inter cæteros autem, à quo omnia pietatis officia, Sancta Synodus expectanda ſemper exiſtimavit, Excellentiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus Albertus Bavariæ Dux extitit, qui veram & Catholicam religionem, à clariſſimis & nobiliſſimis majoribus ſuis traditam, tantâ fide & conſtantiâ conſervavit, ut hiſce miſeris temporibus, in totâ Germaniâ firmiſſimum Sanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ propugnaculum jure optimo habendus ſit. Cùm igitur graves rationes prohibuerint, quò minùs ipſe huc accederet, ſuúmque egregium animum Sanctæ Synodo coràm declararet, quod quidem eum præſtiturum eſſe, ſi per alias occupationes ſibi licuiſſet, dubitare non poteſt, ſummâ lætitiâ affecta eſt, cùm virum optimis artibus præditum ſuæ voluntatis teſtem ac veluti obſidem huc ablegavit: ſperat enim fore, ut ejus authoritas nunquam defuiſſe videatur ad ea peragenda, quæ ſanctam Dei Eccleſiam quâcunque ratione juvare poterunt. Quod igitur reliquum eſt, Te, Magnifice Orator, ſancta Synodus benignè accipit, mandatúmque tuum, prout juris eſt, libenter admittit, daturáque eſt operam, quod quidem hactenus diligenter & ſedulò curavit, ut ea omnia piè & religioſè conſtituantur, quibus Dei cultus magis amplificari, & fidelium ſaluti ac tranquillitati conſuli poſſe, afflante Spiritu ſancto, qui optimorum conſiliorum author eſt, judicârit.*

XXI. PROTESTATIO LEGATI BAVARICI ADVERSUS VENETUM DE LOCO CŌSESSUS IN CONCILIO.

Poſt id reſponſi, idem Orator in conſeſſum admiſſus, ſolenni more proteſtatus eſt, citra præjudicium aut imminutionem dignitatis Principis ſui, vel cujuſquam alterius, ſive is foret Elector, ſive Princeps Imperij, Reipub. Venetæ Oratoribus priorem locum conceſſiſſe: neque enim ſe id ex debito feciſſe, ſed ne ſacer ille Conventus quicquam moleſtiæ aut remoræ ex iſtius cauſæ diſceptatione acciperet. Adduxit etiam in medium rationes aliquot, quibus demonſtravit, Bavariæ Principis Legatum jure merito eſſe Veneto præferendum, eò quòd Ducis Bavariæ Majores regiâ dignitate præcelluerint, & qui modò Ducatus ſit, olim fundatiſſimum regni nomen obtinuerit; quódque à primariâ ſtatim Electorum Imperij inſtitutione; jus ſuffragij & Septemviratûs fuerit penes Domum Bavaricam, quæ haud dubiè ſit inter totius Germaniæ antiquitate & dignitate nobiliſſimas. Repoſuit Nicolaus Pontanus Venetorum Legatus pro ſuo Duce atque Republicâ contrariam conteſtationem, quam unà cum Bavaricâ Concilium juſſit in acta referri. Secundum hæc, Cæſarei Oratores prolixum libellum obtulêre, quo multis argumentis poſtulabant uſum ſacroſancti calicis Euchariſtici pro Boëmis, Moravis, Auſtriacis, & alijs nonnullis Imperatori, Domuíque Auſtriacæ ſubjectis. Libelli exempla Patres accepêre, quò accuratiùs rem petitam, ejúſque rationes expenderent.

PETITUR COMMUNIO SUB UTRAQ; SPECIE.

MAXIMILIANUS REX ROMANORŪ ELIGITUR.

Hoc anno, menſe Novembri exeunte, Maximilianus Hungariæ & Bohemiæ Rex, Cæſaris Ferdinandi filius, Francofurti ad Mœnum, omnium Electorum ſuffragijs Romanorum Rex electus eſt. Jam antè octavâ Septembris Poſonij coronam Hungaricam, deinde Bohemicam vigeſimâ ejuſdem acceperat. Ferdinandus ejus parens, quo erat in Albertum Bavarum affectu, eidem Toparchiæ Wolfſteinianæ beneficiariam clientelam publicis tabulis, poſt ultimorum hæredum fata, addixit.

XXII.

AN. M. D. LXIII.

FINIS CONCILII TRIDENTINI.

Tridentino Concilio feliciter tandem finis eſt impoſitus menſe Decembri, cùm ante annos octodecim initium accepiſſet. Ejus decretis ſubſcripſere Patres ducenti quinquaginta quinque, Legati quatuor, Cardinales duo, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi viginti quinque, Epiſcopi centum ſexaginta octo, Abbates ſeptem, Procuratores abſentium cum legitimo mandato, triginta novem, ſeptem Generales Ordinum.

Rotm. to. 2. Annal.

Boicum Ingolſtadij Athenæum hoc anno nobilitârunt tres inclyti Boicæ Principes Alberti filij, Guilielmus, Ferdinandus, & Erneſtus, daturi bonis litteris nobiliſſimam operam.

Inter hæc Albertus, acceptis Sac. Conc. Tridentini legibus, magnâ eas veneratione amplexus, ſe totum dedit Boicæ ad earum normam inſtituendæ, ut, quod avita pietas habuerat in eâ propugnaculum, indies firmius evaderet, & appareret, veriſſimè dictum à Caniſio, Boicam ac Tirolim meritò cum tribubus Juda ac Beniamin poſſe comparari, quòd, quemadmodum hæ divini Numinis cultum non abjeciſſent, ita illæ intaminatam ſervatæ Orthodoxæ Religionis retinuiſſent conſtantiam. Quare Albertus, comperto, Patribus Tridentini Concilij non fuiſſe probatum calicis uſum in ſacroſanctâ divini epuli communione, nihil ultrà inſtandum ratus, ab ulteriore ejus petitione prorſus abſtinuit, tametſi non deeſſent Principes, virique magnæ authoritatis, qui Pontificem eâ ſuper re adeundum putarent. Immo cùm Pius IV. Pontif. petente Ferdinando Cæſare, quòd crederet Religionis in Germaniâ ad lapſum inclinatæ ruinam communicato cum laicis uſu Calicis poſſe prohiberi, quibuſdam Epiſcopis facultatem eſſet largitus, calicis promiſcuè propinandi, Albertus eam indulgentiam juris publici in Boicâ eſſe noluit, ratus, longè fore ſalubrius cum cæteris Eccleſijs perſtare intra fines à Concilio dictatos, nihilque deſciſcere à ritu & rationibus priſcæ avorum religionis. Si qui contrà moleſti deprecatores intercedebant, ut violentiùs pro calice pugnarent, eos ſolâ conſensûs Orbis Chriſtiani, Concilij univerſalis auctoritate, & Pontificiæ Majeſtatis reverentiâ compeſcebat.

ZELUS ALBERTI PRO RELIGIONE CATHOLICA.

XXIII.

Brun. in Excub.

Fuit quiſpiam è gente nobiliſſimâ, vir alioqui primæ apud Albertum dignationis, qui cùm ex neotericorum ſenſu pertinaciùs eam ob rem Alberto inſtaret, atque hoc ipſo neſcio quid ſequioris credulitatis oſtenderet; eum Albertus ab aulâ proſcripſit, cum dicto, ſe ei non fidere, cujus in Deum fidem ſentiret ambiguam, aut alicujus erroris compertam: Nobilitatem, opes, cætera officia apud ſe tanti non futura, ut in eorum gratiam, ullâ labe ſuam aulam, patriam, nomen, Principatum, pateretur affici. Cùm familiarium animos non modò ex arcano, ſed etiam manifeſtis experimentis exploraſſet, ſe ad dignoſcenda remotiorum ſtudia convertit. Primùm omnium Magiſtratus omnes, & quoſvis publico aliquo munere inſignes (à quibus ſi mali ſunt, publica ſalus plurimum ſolet capere damni, aut emolumenti, ſi probi ſint) voluit adigi ſacramento, ad Romanam fidem ſanctè & Germano candore colendam, retinendam ac tuendam. Cùm cujuſdam urbis ſenatus contra mandatum tergiverſaretur, totum juſſit vinciri, ſeveriùs animadverſurus in contumaces, niſi gliſcens popularis tumultus vindictam ſuſpendiſſet.

CONSPIRATIO ADVERSUS ALBERTUM.

Nobilium quorundam factio hujuſmodi perculſa exemplis, aliquid auſa grandius. Erant inter eos viri excelſo loco nati, & præcipuæ apud Principem admiſſionis, quos vicinorum clancularia lues infecerat. Ut ſectam, cui nomen opertanea coitio, apertè tuerentur, initâ conſpiratione, ſtatuunt omnem movere lapidem ad conciliandam novitiæ religioni, ſi non publicam, at privatam ſaltem pro ſe ſuiſque familiaribus libertatem. Cùm nihil interceſſiones & inſidioſæ machinationes profeciſſent; tandem etiam vim Principi, nihil minùs quàm arma cogitanti, decreverunt inferre. Ergo, quod in ſubditis pro atroci ſcelere habendum, nomine Alberti abutentes, quaſi is haberet delectus, conquiſitores ſuppoſititijs tabulis æréque collatitio inſtructos, ad finitima loca expediunt,

qui

qui militem commentitijs signis auctoratum adducant confestim in Bavariam. Mirabantur vicini, quorsum ista consilia spectarent, idque eò magis, quòd Principum injussu Albertus in alienis ditionibus copias legeret. Augustus Saxoniæ Elector, nihil, tali re, dissimulandum ratus, amicè monet Albertum, esse in Saxoniâ, qui ipsius mandato delectus agant, contra morem legésque Imperij, ne salutato quidem Principe, in cujus provincijs bellatores conscribant: novi hoc esse exempli, præsertim ab amico, qui, si petat legendi potestatem, verbo facilè obtenturus sit, quantum res communis & publica quies sit passura. Albertus nuntio tam inexpectato commotus, ut in rem præsentem veniat, & Septemviro coràm satisfaciat, citatis equis illicò excurrit in Saxoniam: ostendit, se inscio legi militem, poscit conquisitores sisti ad quæstiones. Nec mora in vincula conjecti, facinoris authores & causam bellici apparatûs edicunt. Albertus hisce indicijs apud Saxonem candoris Germani & cultæ pacis satis compertus, actis gratijs mox recurrit in Boicam, & conjurationem nondum armatam aggreditur. Artis erat in primo conatu vixdum natam celeritate opprimere. Major à vicinis metus, ne quos studium sacrorum communium ad coniuratorum auxilia acciret: cura minor erat à subditis, neque domesticâ vi, neque externâ potentiâ adhuc firmatis: quanquam non erat ambiguum, Protestantes proferendæ suæ religionis avidos, si quà possent, libentibus animis intra Boicæ fines publicam ipsi sedem paraturos. Ergo domum redux Albertus, conspirationis principes sine cunctatione accersit. Non fuit difficile à manifestis confixísque tot tentati criminis argumentis, confessionem exprimere. Excusabant, in externæ sanctionis de retinendâ veteri religione, & internæ legis de procurandâ salute, conflictu, conscientiæ libertatem vicisse; pro quâ tuendâ, crediderant se finitimorum exemplo esse exleges, insitâ humano generi arrogantiâ, quæ proprijs decepta sensis, sui arbitrium alieno ductui gravatè permittit. Hos Albertus graviter increpitos docuit, nulli hominum generi æquè sanctas esse leges oportere, atque Nobilitati: solâ enimvero lege & Principum beneficio discrimen ordinum esse: virtutes atque inprimis obsequentiam addere meliori sanguini gratiam & ornamentum. Non esse subjectorum statuere, quid Principes decernant, tametsi horum sit cavere, ne quid imperent, quod supremæ Numinis voluntati repugnet. Inane esse conscientiam erroris excusatione, & animorum exitium salutis æternæ larvâ inducere, aut plus velle sapere, quàm sapuerit antiquitas ab ipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis; quàm hodiéque sapiant sacrorum Antistites, penes quos sit, Deo authore, cura religionis. Oves errare, ubi pastorum vestigia deserunt; pastores non esse, qui nullo signorum præjudicio, nullo impositi à Deo muneris argumento, se extra ordinem venditant, & per avios secessus priscæ integritati improbatos, sequaces suos trahunt ad interitum. Cæterùm, non esse obscurum, quid leges Principi, in tale crimen ausos, permittant: Omnium, qui conspirarint in quietem publicam, in auctoritatem & salutem Principis, fortunas omnes & capita esse in suâ manu: malle tamen priores partes deferre clementiæ, si spes affulgeret criminis seriâ pœnitudine constantíque emendatione, expiandi. Rei convictíque, futuri metu & expectatione perterriti, saniora respexerunt, cúmque errores dedocti, haud dubiam melioris deinceps frugis fiduciam ostenderent; Albertus longè graviora formidantibus annulos de digitis detraxit, quibus conjurationis membranas signarânt: tum exemptas è palis gemmas notatas gentilitiæ nobilitatis insignibus, incudi impositas, malleo comminuit, quasi moneret, nobilitati eos vim fecisse, qui tam ignobiliter deliquissent. Id fuit tam luculenti flagitij in præsens supplicium, cui etiam infamiam detraxit suppressa fama, ne emanaret in vulgus: quamobrem hodiéque silent Annales, vixque ullus superest, cujus memoriæ reorum nomina hæreant. Ipsi adeò Juventuti studiosæ, quæ rei gestæ rumorem acceperat, cùm Principis funus lugubri carmine esset celebratura, ne iram stylúmque perinde in seditiosos atque in mortem stringeret, silentium imperatum, versúsque no-

XXIV. XXV.

bilium nominibus notati, prorsus expuncti, Albertinæ legis & clementiæ reverentiâ.

An. M. D. LXIV. Anno sexagesimo quarto, die octavo ante calendas Sextiles, Ferdinandus Imp. fasces morti submisit, pius Princeps, antiquæ tenax religionis, cujus loco imperavit Maximilianus filius.

An. M. D. LXV. Aquarum eluvies. Proximo inde anno, quo Albertus abs Maximiliano Cæsare II. pro more recepti in fidem Principatûs tabulas accepit, ingens aquarnm illuvies Boicam juxtà ac cæteram Germaniam afflixit. Danubius magnam partem, per hiemem frigore adstrictus, concreverat. Idem auris tepentibus, per liberalia, repentè solutus, ingentes glaciei testas vexit, quæ ad pontes allisæ & cumulatæ, ab imo sic excrescebant in aggeres, ut fluminis alueum oppletum suâ mole ferè intercluderent. Sic undæ in latifundia effusæ procúlque stagnantes, villas ac vicos obruêre, magnâ hominum & jumentorum copiâ per vim abreptâ. Accessêre passim terrarum horridi tremores, qui mortalibus auxêre metum malorum imminentium, & irati præter morem Numinis. XXVI. Ernestus Alberti filius, Mauritio Frisingensi Pontificatu abeunti, suffectus est.

An. M. D. LXVI. Maximilianus Imp. coacto Augustæ Principum conventu, 7. cal. April. pacem (ut vocant Religionis) probavit, & propositâ belli in Solimannum Turcam expediendi necessitate, subsidia impetravit ab Imperij Ordinibus quibus octo equitum millia, peditum quadraginta conscriberentur, & præstarentur in triennium ad octo menses stipendia. In eo Conventu Albertus religioni navavit operam, impetrato, ne, quæ post Lutherum emerserant novitates, in Germaniam eâdem, quâ Lutherus, licentiâ admitterentur. Id verò etiam laudem ipsi æternam meruit, quòd Friderico Electori Palatino divortium à Calvinismo obtinuerit.

Solimannus cum ingentibus copijs Pannoniam ingressus, per suos Legatos, nonaginta armatorum millibus Sigethum oppugnavit, expugnavitq; non sine luculentâ clade, quam Serinus Comes belli artibus clarissimus, arci Præfectus, Turcis intulit. Sigethum à Turcis occupatum. Solimannus morte occupatus, Selimo devicti Sigethi fructum reliquit. Credebatur Maximilianus obsessis opem laturus delecto ex omni Imperio magno virorum fortium numero: Illum ad castra secutus fuerat Ferdinandus Alberti Principis secundo loco natus, cum lectissimâ quadringentorum equitum alâ: verùm neque Sigetho prospectum, nec occursum Selimo, qui propinquantis hiemis asperitate domum regressus, Maximiliano ansam dedit, copias, non sine multorum obloquio, dimittendi.

An. M. D. LXVII. XXVII. Comitiis Ratisbonensibus præest Albertus vice Cæsaris. Anno insequenti, cùm indictis ad 3. Id. April. Ratisbonæ Comitijs, Cæsar rebus Pannonicis & Austrijs distentus, adesse non posset, vices illîc suas Alberto Boio commisit, exemplo Cæsaris Ferdinandi. Summa postulatorum erat, ut, quam Ordines nuperis Comitijs Augustæ pecuniam Cæsari addixerant, intra biennium, quòd ita publica necessitas exigeret, adnumerarent. Miserat quidem Cæsar ad Selimum de pace Legatos, sed cùm neque Legati, neque responsum à Selimo redirent, verebatur Cæsar, ne Turcæ de improviso Pannoniam atque inde Austriam opprimerent. Re ex Cæsaris sententiâ confectâ, Albertus Comitium ad 4. Idus Majas dimisit. Inde reversus domum, publico decreto clancularios Lutheri sectatores, qui in Provinciam ex occulto irrepserant, gravium pœnarum denunciatione proscripsit, induxitque non paucos, ut ad Catholicorum castra redirent. Toparchia Hohenschongaviensis Boicæ adjicitur. Idem Toparchiam Hohenschongavianam, bonâ Cæsaris veniâ, Boiariæ hoc anno adjunxit, qui Ladislao suæ gentis ultimo Hagensi Comiti postremus fuit, cujus proinde sine hærede defuncti Dynastia, ex Caroli V. & Ferdinandi Impp. beneficio, Maximiliano Cæsare annuente, accessit ad Alberti dominatum. XXIIX. Gasparis Franci conversio et zelus. Ladislaum nova religio multis casibus tragicis, ipse subditos suis erroribus involverat. Alberti prima cura fuit eosdem evolvere, & reducere in viam. Quam ad rem usus est operâ Gasparis Franci, qui aliquando dux errantium fuerat. Is, ubi sinceram veritatis lucem aspexit, nullum ejus propalandæ finem

finem faciebat, hortandíque eos, quos antè à vero abduxerat, ut jam rectè sentientem sequerentur. Fuit ille inter istius ævi viros clarissimos. Cardinalis Hosius ejus ingenium sapientiámque deprædicans, Rosam è spinis natam appellavit, cum voto, ut quemadmodum Albertus eum è spinis legerat, cæteri quoque Principes non solùm sæculares, verùm ètiam Ecclesiastici, Alberti exemplo accenderentur, ad homines ejus generis fovendos & alendos: *Minus* (inquit) *illorum Aulæ laborarent, & subditi, quod imitarentur, semper haberent.* Addit scribens ad Albertum Cardinalis doctissimus idémque sanctissimus. *Nunc sola mihi videtur Celsitudo vestra, quæ tanto studio ejusmodi viros ad se congregat, ut Aula illius, Schola quædam pietatis esse videatur; ex quâ velut ex equo Trojano prodeunt fortissimi milites, qui verbo & opere, errantes populos ad fidem Christi revocare contendunt.* Enimvero nullâ re magis recreabatur Albertus, quàm si qualemcumque hominem revocasset in viam. Libros infectos erroribus jubebat excuti de manibus volentium nolentium, & in eorum locum sinceros subijci suis impensis. Eam enim largitionem judicabat utilissimam, quæ æternæ vitæ fructus ad plurimos proferebat. Quam ad rem Sanctorum historiam à Laurentio Surio elucubratam, vastum opus in sacra volumina Latino sermone collectum, à Joanne Viano Albertus Germanicè reddi, maximísque impensis, typis mandari voluit, ut toti Germaniæ legenda præberetur. Permulti id generis scriptores, certi, se bono Mecœnati gratum facturos, Alberto suos libros dedicabant, quibus ille non auctoritatem modò commodabat, sed etiam reponebat præmium bonæ inposterum operæ incitamentum. Sed, quod mireris, in tanto támque negotioso Principe; quam ipse industriam eloquentiámque ad rem publicam ordinandam adferebat, eandem adhibebat propagandæ pietati: lætus, per familiares congressus, vel uni, illam persuadere. Nobilis Ligsalziorum familia hodiéque avi sui Andreæ Ligsalzij salutem Alberto fert acceptam. Malos errores cum bonis litteris peregre imbiberat Andreas, útque, quæ altè insedère menti opinationes, haud facilè evelluntur, domum reversus, jámque Reipub. admotus, pergebat sentire, quod didicerat. Id ubi comperit Albertus, majestate positâ, suspensâque tantisper legis severitate, Andreæ curandi partes suscepit ita feliciter, ut tandem monendo, rogandóque induxerit ad Stanislai Hosij librum evolvendum, ejúsque solidam doctrinam cum errantium somnijs conferendam. Isto adminiculo hominem erexit, eduxítque ex errorum labyrintho. Hosij liber adhuc visitur in Ligsalzianâ Bibliothecâ avitæ felicitatis, ad accepti ab Alberto beneficij monimentum.

Alberti conatus pro religione.

XXIX.

Hæc clementiæ benignitatísque illicia apprimè noverat asperitate temperare. Non probabat timidam illorum sapientiam, qui blanda duntaxat remedia inermémque institutionem credebant esse curandæ obstinatæ mentis depravationi adhibendam, quasi quælibet potiùs ferenda forent, ad divinitatis injuriam, quàm arma, & ipso ferro duriora.

An. M. D. LXIIX.

Eius consilium de curando Belgio.

Margaritæ certè Parmensi, Belgarum moderatrici sub initium fœdissimorum motuum, sententiam Alberti exquirenti, de genere remediorum, quale gliscenti malo opponendum judicaret, disertè respondit; Illam factiosorum vomicam frustra malagmatis foveri, ferro esse aperiendam; id ni fiat, corpus universum corrupturam tracturámque in ulcus exitiale. Maximilianus Cæsar diversam facilitatis viam ingressus, Nobilitati Austriacæ hoc anno Confessionis Augustanæ libertatem permisit. Id consilium vehementer improbârat Albertus, & quemadmodum ad Pium V. Pontificem scripsit, obsecrando, monendo, dehortandóque nihil earum rerum omisit, quibus Cæsareæ Majestatis animum ab istis Novatorum studijs alienissimum reddi posse existimaret; eò quòd crederet, tali indulgentiâ non tam sanari, qui irrepserant, animorum morbos, quàm opinionibus & erroribus viam patefieri; cùm nihil adeò enorme & impium hoc infelici sæculo Orcus emiserit, quod vanissimis titulis & patrocinio non vestiretur. Quantopere verò ipse optaret in hoc pietatis genere utilem

Libertas conscientiæ in Austria.

XXX.

operam ponere, ijsdem litteris abundè ostendit: *O utinam* (inquit) *felicem illum diem intuear, quo fructum aliquem faciam Ecclesiæ Catholicæ, eâ in re, quâ salubrior mihi meísque divinitus contingere non potest!* Fuere ex ipsius Provincialibus aliqui, qui inani specie libertatis decepti, pro impetrandâ religionis Avtonomiâ avidè laborabant: verùm Albertus ipsis se præbuit prorsus inexorabilem, constanter negans, suæ esse pietatis, novum cuiquam ad supremam perniciem ostium aperire: id potiùs sibi à Deo munus impositum, ut jam olim aperta obstruantur, arceantúrque, qui in salutis suæ præcipitia malè fascinati ruerent.

NEGATA BAVARIS.

Id genus homines multò quàm alibi frequentiores in Bavariâ inferiore reperiebantur. Hos ut revocaret ab interitu, negotium dedit Societatis Jesu sacerdotibus, qui Provinciam obeuntes, miseros sanâ doctrinâ instituerent. Adjunxit subinde Schwarzenburgium Comitem, virum salutis proximorum vehementer sitientem, qui refractariorum aures vice Principis, nominísque sui authoritate pertunderet. Dictu incredibile est, quantum illis cum hominum ignorantiâ, quantum cum malitiâ & obstinatione fuerit certamen: Ita falsæ opiniones nullum Deo, neque Principis reverentiæ locum reliquerant. Ad hæc impellebat submissus à Wolfgango Duce Bipontino Lutherici Evangelij prædicator, qui haud dubiè longè maiores strages dedisset, nisi tempestivè ejectus desijsset nocere, & bona mens atque innocens prudentia cum orthodoxâ fide fuisset errantibus restituta. Fuere tamen pauculi, qui, cùm patriâ, quàm pertinaciâ carere mallent, jussi fuerunt solum vertere ex eâ normâ, quam Augustana lex dictavit religionis causâ migrantibus. Ad eum modum optimus Princeps nihil relinquebat intentatum, quo suis subditis bene prospiceret: Pugnabat cum deceptis doctrinæ subsidio: pietatis, benignitatis ardore cum frigidis: cum dubijs clarè ac commodè, cum obstinatis invictè, cum omnibus patienter. Quibus rebus est assecutus, ut cum unitate fidei in suis ditionibus servârit intestinam quietem, quæ vix sperari potest, ubi viget discordia religionum.

XXXI. Inter hæc divini honoris & publici boni studia, Albertus affinitatem cum æquè Catholico Principe contraxit Carolo III. Duce Lotharingiæ, cujus sororem Renatam, Francisco Duce & Christinâ Daniæ Regis filiâ prognatam, nuptum filio Guilielmo accepit. Nuptijs Monachij regiâ pompâ celebratis interfuere Ferdinandus Archidux Austriæ: Carolus Ferdinandi frater: Franciscus Dux Vaudemontius, Christina Sponsæ mater: Dorothea vidua Friderici Electoris: Otto Cardinalis Augustanus Trucsessius, Salisburgensis & Frisingensis Antistites, Eberardus Wirtenbergicus Princeps, Legatus Cæsareus Ordinis Teutonici Magister: Hispanicus Carolus Zolleranus: Polonicæ Reginæ Dietolfus Losensteinius: Palatini Septemviri Fridericus Limburgicus: Saxonici Electoris Guntherus Schwarzenburgicus cum Gleissenthalio: Ducis Juliacensis Otho Walbandius: Magni Ducis Etruriæ, Troilus Vrsinus: Marchionis Badensis Langenmantelius. Adfuere præterea Augustæ & Norimbergæ civitatum Imperialium Legati.

NUPTIÆ DUCIS WILHELMI CUM RENATA LOTHARINGICA.

Ad vigesimum primum Februarij, Renata pulcherrimo ordine, ad Neuhusium, à Sponso alijsque Principibus excepta Monachium die advesperascente inter festos machinarum ænearum bombos, æris campani per omnia templa compulsationem, incredibilémque Ordinum omnium Boicæ, & urbis gratulationem ingressa, ad D. Virginis ædem, ubi sacer ordo cum Ottone Cardinali, Salisburgensi & Frisingensi Pontificibus præstolabatur, deducta est. Isthic eam excepêre fœminæ Principes Dorothea Palatina Rheni, Dano Rege nata, Jacoba Alberti Boiorum Principis mater, ejusdémque conjunx Anna, cum geminis filiabus Mariâ quæ Carolo Austrio nupsit, & Mariâ Maximilianâ, & Virgunculâ Badensi, cum omni cœtu aulico virginum & matronarum.

Sponsi ad aram principem deducti, in aureis pulvinaribus genua posuêre. Otho Trucsessius stans sub umbellâ aureâ bene ijs precatus, Christi de cruce pendentis effigiem dedit exosculandam, & aquâ lustrali aspersit, phonascis inter hæc hym-

hymnum Eucharisticum Divorum Ambrosij & Augustini accinentibus. Tum singuli in choro per disposita sedilia pro dignitate considentes, vespertinæ psalmodiæ adfuere, secundum quam itum in Alberti regiam. Postridie, festo ritu divina in palatij sacello frequentata: post epulum, sponsi ad aram Collegiatæ D. Virginis maximam, ritu Catholico sibi verba nuptialia dixere, assistente Cardinale Ottone, Principibus universis, Legatis, totâ Aulâ, & innumerâ populi multitudine. Tum vespertina comprecatio elegantissimo concentu absoluta. Inter quintam & sextam reditum est ad Palatium, póstque paulò ad epulum splendidissimum. Nimis longum foret singulas magnificentiæ partes, ludos equestres, choreas, cæteráque honestissimarum oblectationum, describere; sufficit compendio dixisse, nihil fieri potuisse splendidius, nihil opulentius. Decimo demum die Martij, cùm Principes externi discessissent, finis est celebritati impositus. Quàm felix faustúmque fuerit Boicæ domui patriæque universæ hoc connubium, annis insequentibus ostendit thalami prosperrima fœcunditas, mutua conjugum charitas, utriusque sanctitas admiranda, quæ suo loco memorabitur. XXXII.

Cùm Albertus hoc anno à Pio IV. tabulas accepisset, quibus jubebantur omnes Ingolstadiani Doctores fidem publicè profiteri, die vigesimâ quintâ Januarij, quæ sacra est D. Pauli conversioni, Professores omnes in æde Deiparæ Virginis, ex Pontificis mente se esse & fore Orthodoxæ religionis cultores, sunt contestati. In his Casparus Francus supremis Theologicæ sapientiæ insignibus jam antè donatus, ex Lutheri apud Hagenses præcone, factus Apostolicæ doctrinæ vindex egregius. Lautherius Alberti Concionator, Joannes Egolfus Knöringius, Joannes Gressenicus Dominicanus, Martinus Eisengreinius, Rudolfus Clenkius, è Societate Jesu Theodorus Peltanus, Hieronymus Torrensis, complures alij tum sacerdotes, tum diversorum ordinum religiosi, simul variarum facultatum studiosi. Civici Senatores, qui testes adfuere, jam antè, duobus exceptis, se Catholicos ex eadem normâ fuerant professi. In eâdem Academiâ, solenni ritu ad vigesimam tertiam Martij promulgata fuit lex ejusdem Pontificis de fidei professione edendâ certis temporibus, & præsertim ab ijs, qui honores Academicos essent suscepturi in posterum.

Rotmar. p. 142.

ACADEMIA INGOLSTADIENSIS EDIT PROFESSIONEM FIDEI.

Anno sequenti Wolfgangus Neoburgicus, quem Thuanus Bipontinum appellat, infelicem in Galliam expeditionem adversus Regem & Catholicos, pro Navarreo & Condeo suscepit, ídque pretium operæ tulit, ut priùs quàm cum hoste congrederetur, occumberet, eiúsque copiæ maximam partem laceratæ, ad paucissimos redactæ, vix cladis nuntium domum remiserint. AN. M. D. LXIX.

Dum ille de evertendis Catholicis satageret, de ijs stabiliendis sacrum comitium egit Joannes Jacobus Archiepiscopus Salisburgensis, accitis ad consultationes Provinciæ Salisburgensis Episcopis, Cœnobiarchis, Præsidibus, alijs sacrorum curionibus. Scopus erat, ex Oecumenici Concilij Tridentini præscripto, errores eliminare, proscribere hæreses, emendare mores, instituere parœcos, Monasteriorum disciplinam instaurare. Ejusce Synodi Decreta facta demum juris publici anno septuagesimo quarto, typis Dilinganis. In ijs concinnandis egregiam operam præstitêre Felicianus Ninguarda Theologus, & Joannes Baptista Ficlerus Jurisconsultus. XXXIII.

SYNODUS SALISBURGENSIS.

Cæsar inter hæc ambiguus, quorsum spectarent Selimi Turcarum Principis bellici apparatus, veritus, ne sibi ille Pannoniæ reliquias, ac demum finitimam Austriam sumpsisset expugnandas, Principum conventum Pragæ habuit, ad quem Albertus quoque Bojus est profectus. In eo actum de futuris Imperij Comitijs, decretúmque, ut Spiræ Nemetum cogerentur. Indictæ illic adversus Turcam suppetiæ pecuniariæ, belli leges emendatæ, de Imperij Senatu corrigendo quædam constituta. Selimus omissâ Pannoniâ, armis in Cyprum conversis, Insulæ jugum imposuit, insigni Reipub. Venetæ, quæ id Regnum sibi adjunxerat, totiúsque Orbis Christiani, detrimento. Turca iniquo bello specio-

AN. M. D. LXX.

COMITIA SPIRENSIA.

SELIMUS TURCA CYPRUM DEBELLAT.

ſam cauſam obtendit, quòd Cyprum Ægypti partem reipſa etiamnum tributariam eſſe Turcis diceret; quódque Veneti fide violatâ, Regni jure excidiſſent, quòd proinde Ottomanico dominatui eſſet apertum. Veneti ingenti damno, ex armamentarij ſui nuperâ conflagratione affecti, inito nihilominus, cum Pio V. Pontifice & Hiſpaniæ Rege, fœdere, immiſſâque adverſus Turcam claſſe, defenſionem parârunt, ſed caſſam, ducum ceſſatione, qui ad Cretam reſides, cunctando, optima Reipublicæ conſilia corruperunt, Cyprijs hoſtium direptioni, urbe Nicoſiâ expugnatâ, proſtitutis. Salamis, poſtquam incredibili propugnatorum virtute menſium undecim acerrimam obſidionem ſuſtinuerat, pactâ vitæ, rerum ſuarum & religionis incolumitate, manus dare coacta eſt. Sed Turcica perfidia Bragadinum vivum excoriavit, ultura ſexaginta millium jacturam, quos Tyrannus, in iſtâ expeditione, Venetorum ferro obiecit & perdidit.

SALAMINEM DEDITIONE ACCIPIT.

XXXIV.

AN. M. D. LXXI.

VICTORIA AD ECHINADAS INSULAS.

Cladem Turcis repoſuêre cum immortali nominis ſui gloriâ Pius V. Pont. Philippus Hiſpaniæ Rex, & Sereniſſima Venetorum Reſpublica, Duce M. Antonio Columnâ, Joanne Auſtriaco, & Sebaſtiano Venerio, pòſt Venetiarum Duce, anno proximo ad Echinadas Inſulas, Turcicâ ducentarum quinquaginta navium claſſe aut depreſſâ, aut redactâ in victorum poteſtatem. Periêre iſto prælio viginti quinque Turcarum millia, capti quater mille. In libertatem aſſerti ſupra quater decies mille Chriſtiani. Pugnatum nonis Octobribus. Victoria ſecundum Deum, ac D. Virginis impiorum triumphatricis opem, relata eſt in acceptis Pij V. ſummæ in Deum fiduciæ & ferventiſſimæ pietati. Dum iſta gererentur, Alberto non defuere labores & curæ in religione proferendæ. Philibertus Badenſis Marchio, bello Gallico cæſus, Philippum filium ex Mechtilde Alberti ſorore natum, pupillum reliquerat.

ALBERTUS RELIGIONI OPITULATUR, IN MARCHIONATU BADENSI.

Hinc ſumpta occaſio novandæ religionis. Jam Novatores ſic invaluerant, ut res Catholica illis locis propè ageret animam. Albertus proximi ſanguinis & populi ad exitium properantis miſertus, in Marchionatum ablegavit Comitem Schwarzenburgium, unáque Georgium Schorichium Societatis JESU Sacerdotem, qui errabundos, quà ſuaſionibus & auctoritate, quà probâ Chriſtianæ fidei explanatione in viam reducerent. Res ſucceſſit ex ſententiâ. Mox, ubi diſcuſſis tenebris, quas prava malorum magiſtrorum inſtitutio offuderat, lux affulſit, alia rebus & moribus facies inducta, ut, quanta inter Boicam domum & Badenſem Principem erat ſanguinis conjunctio, tanta eſſet avitæ pietatis æmulatio.

AMUSSIM AUSTRIAM PROSCRIBIT.

Eodem anno Auſtriæ Proteſtantes typis vulgârant Amuſſim novorum rituum ex Viennenſi officinâ: ea cùm Boijs propinaretur, videretúrque novos in promiſcuâ multitudine motus lapſúſque factura, Albertus veritus, ne ſi Imperatoris comprobatio malæ merci pretium faceret & authoritatem, eam voluit Ingolſtadienſis Academiæ cenſurâ excuti. Cùm ſcateret erroribus, Hieronymo Torrenſi è Soc. JESU ejus refutandæ negotium datum eſt; quod cùm abunde feciſſet, Albertus Amuſſim vanitatis & detortæ pravitatis notâ inſignem, è Boicâ proſcripſit, remiſítque ad ſuos architectos.

Iſtos pro tutandâ religione conatus, Deo viſum remunerari fauſtiſſimâ affinitate, ex quâ prodiêre optimi Cæſares, Archiduces, Reginæ ſanguinis Auſtriaci, quibus non Imperium modò, ſed etiam Regnum Hiſpanicum, Polonicum, Magnus Etruriæ Ducatus, debent magnam partem ſui ſanguinis & felicitatis. Calendis enim Septembribus, Carolus Archidux Ferdinandi Rom. Imperatoris filius, matrimonio ſibi ſociavit Mariam Alberti Boij filiam, Principem intra paternos Lares omnium virtutum ac laudum ornamentis excultam. Fuit hoc conjugium perpetuâ animorum conſenſione ac charitate beatum, fortunatum magnâ fœcunditate. Tulit enim Carolus ex Mariâ quindenos liberos, & ſtirpis quidem felicioris ſenos, fœmininæ novenos. Ferdinandus anniculus, Anna Regina Poloniæ diem obiêre anno nonageſimo ſæculi octavo: Chriſtierna vitam exegit in religioſo Halæ receſſu: Catharina Renata virgo undeviginti annorum

Ioan. Henmont. to. 4. rer. Germ.

norum defuncta: Elisabetha mortua anno ætatis nono: Ferdinandum Germania vidit imperantem: Carolus anniculus ad cœlum raptus: Gregoria Maximiliana anno ætatis decimo sexto defuncta: Leonora Halæ Deo devota: cæteri fuere Maximilianus Archidux Austriæ: Margárita Hispaniarum Regina, Leopoldus Austriæ Archidux, Maria Magdalena magnæ Dux Etruriæ. Constantia Poloniæ Regina: Carolus Archidux Austriæ.

Utcunque cœlum Alberto clemens fuerit, Boica terram habuit gravibus tremoribus insolentem. Monachium, tametsi motu vehemente concussum, nullam tamen edidit ruinam. Augusta Vindelicorum pariter tremuit. Oenipontum irrequietis motibus complurium ædium stragem dedit. Pars palatij eadem agitatione convulsa procubuit. Isthic attoniti mortales, exitium orbi extremum imminere rati, propè exanimabantur. Eum terræ motum sequuta est publica pestilitas, quæ Monachij multos homines sustulit. An. M. D. LXXII. Terræmotus in Boica, alibi.

Fridbergæ, quæ ab Augustâ quatuor passuum millibus abest, cædes immanis patrata in Christinæ Lotharingiæ Principis, Renatæ Matris diversorio. Qui ipsius aulæ præerat, nescio quid inimicitiæ gerebat cum aliquo Nobili. Hic in famulitio habebat sicarium audacissimum ad omne scelus. Conjurárunt Dominus juxtà ac famulus in Aulæ Præfectum, proximam ejus tollendi occasionem arrepturi. Ea sese cupientibus Fridbergæ ostentavit. Ergo dispositis extra mœnia jumentis, ad nefariam barbariem crudeliter accincti, Præfectum invadunt ex improviso. Famularis latro domino audacior, sclopo Præfectum defensioni intentum traijcit, prosternítque. Dum concurritur ad vindictam, elapsi ad equos evadunt Mengam usque Suevorum. Hîc cùm criminis fama increbuisset, deprehensi vinctíque, tum Ingolstadium retracti, crimen fassi candentibus forcipibus carpti ustulatíque, in ferales acti rotas, contusis membris, meritas crudelitatis pœnas dedêre. A servo nullis rationibus obtineri potuit, ut ullum pœnitudinis signum ederet, cùm palàm profiteretur, tam se non detestari crimen, ut, si infectum esset, quâcunque occasione esset intrepidè admissurus, adeò pertinax fuit vesani hominis improbitas. *Rotmar. to. 2. Annal. Ingolst.* XXXVI. Immane Homicidiū.

Stellam antehac invisam in Cassiopeæ sidere, notavêre Astronomi, quæ sub initium anni quarti & septuagesimi mortalium oculis subducta, multorum ingenia exercuit, dubitantium, esséine inter meteora potiùs, quàm stellas referenda. Novū sidus in Cassiopea.

Meritò inter benigna Boicæ, ipsius adeò Romani Imperij sidera referimus ortum Maximiliani è Guilielmo Duce & Renatâ, quo Landishutum 15. calendas Majas inclaruit, manè ante quartam, de quo plurima in loco memorabimus. Tam bono sideri objectus fuit crinitus Cometes, qui minaci vultu visus est numinis iras prænuntiare. An. M. D. LXXIII. Cometa crinitus. XXXVII.

Temperavit immitem Cometæ aspectum Maria Anna, Ferdinandi II. Imperatoris futura uxor, Guilielmi Boij Principis Religiosi & Renatæ Principis apprimè sanctæ filia. Subductus inter id temporis Boicæ fuit Simon Thadæus Eckius, qui Alberto à supremis cancellis fuit, Joannis Eckij magni illius Theologi germanus. Ille post exhaustos permultos pro fide Catholicâ labores, varijs & eximijs muneribus cum laude perfunctus Patavij, Eichstadij, Burghusij, Monachij; post probatam insignibus documentis incorruptam in Deum & suos Principes fidem, morum gravitatem, constantiam, studium immotæ pietatis, magno sui relicto desiderio, ad meliorem sortem migravit. An. M. D. LXXIV. *Rotm. p. 152.*

Datum hoc anno Monachij Domui Gregorianæ initium, ad tenuioris fortunæ adolescentes in bonarum artium studijs sustentandos. Ex eâ prodierunt viri prorsus insignes, quos ætas nostra ad primas dignitates & honorum subsellia evectos suspexit. Inter hos Cœnobiorum clarissimi Archimandritæ, civiles Magistratus, viri primæ apud Principes dignationis. Emersit ista domus ad eam, quæ hodie cernitur, nitelam, ex tenui quadringentorum aureorum fundamento; quibus piorum, præsertim Principum Guilielmi, Maximiliani, & privatorum Initium Domus Gregorianæ Monachii.

pia liberalitas tantum adjecit, adijcítque indies, ut haberi poßit pietatis, bonorum morum & eruditionis pium & fœcundum non opibus quidem, ſed probitate & numero ſeminarium.

Conventus Ratisbonensis. Rudolfus Rex Romanorum creatus. Litteræ Maiestatis apud Goldastum. p. 583. *Annal. Societ. M.S.*

Maximilianus Cæſar indicto Ratisbonam Conventu, Rudolfum Pannonum & Boëmorum Regem, ex natis maximum, ſucceſſorem à Septemviris cooptatum, Romanorum Regno dedit. Dedit & hic annus infelicem originem litteris (ut vocant) Majeſtatis, quas Bohemici Regni Ordines, Bohemi videlicet, Sileſij, Moravi, Luſatij, Imperatori exhibuere, ad impetrandam religionis avtonomiam. Quid ijs factum ſit Rudolpho & Matthiâ Cæſaribus, quæque ex ijs ortæ tempeſtates, hodiéque teſtantur veſtigia ingentium malorum.

XXXVIII. Societatis Jesu Professores Ingolstadio discedunt. Eodem redeunt.

Anno ſuperiore Albertus, compertâ profeſſorum Academicorum Ingolſtadienſium in Jeſuitas æmulatione, quaſi horum induſtria illorum luminibus obſtrueret, ut remedium gliſcenti in ſæcularium ſcholis invidiæ pro ſuâ ſapientiâ faceret, Societatis Collegas tantiſper Monachium evocatos, ſcholas non humaniorum modò, ſed etiam ſeveriorum litterarum voluit aperiri. Paruere ſocij: verùm cùm ex eorum abſentiâ paulatim nata eſſet in Academiâ Ingolſtadianâ ſolitudo tanta, ut docentibus auditores potiùs, quàm docentes Auditoribus quærerentur, Albertus Socios priſtinis ſcholis reſtitutos, non minore, quàm antè clementiâ eſt proſecutus, tutatúſque adverſus æmulorum obtrectationes. Rotmarus, qui ipſe in partibus fuit, hanc controverſiam ſilentio diſsimulat, contrà ac poſcit officium integri ſcriptoris, cujus eſt perinde vera non præterire, atque falſa non admittere.

An. M. D. LXXVI. Jubilæum. *Ann. M. S.*

Pietati egregiè litatum eſt in Boicâ anno ſexto ſupra ſeptuageſimum. Cùm enim Roma ſacrum annum magnâ piorum frequentiâ exegiſſet; Albertus Princeps, cum Erneſto filio Friſingenſi Antiſtite, à ſummo Pontifice Boicæ genti univerſæ plenam omnium peccatorum gratiam impetrârunt, in eâ formâ, quæ Jubilæo ſolet concedi. Tres menſes fuere huic indulgentiæ attributi, ex quibus quiſque dies quindecim ſibi ſeligeret, ad Divorum frequentanda limina præſtandáque alia, quæ Pontificiæ litteræ exigebant. Menſe poſtremo, Monachij quatuor templa conſtituta, quæ quaternis ſupplicationibus obirentur. Ea res mirè excitavit piorum animos, quòd à trecentis annis nihil ſimile Boica ſe vidiſſe meminiſſet. Ea gratia cum ipſis etiam Pagis communicata, plebem ad eximium religionis cultum & præteritarum noxarum deteſtationem excivit.

Rader. Bavar. Sanct. to. 3. S. Bennonis reliquiæ.

Sed & Monachium hoc anno novum Boicæ tutelarem D. Bennonem, advectis ipſius è Miſniâ ſacris oſſibus, accepit. Is primam ſtationem in Alberti palatio per quadriennium ſortitus, anno demum octogeſimo, feſtâ cæremoniâ in maximam D. Virginis ædem translatus, ſedem ſtabilem nactus eſt. Hic ilicò cœpit tantâ coli frequentiâ, hodiéque colitur, ut aliquando celebri octoginta, pluriúmve parœciarum concurſu, dies ipſius ferijs ſacer celebretur, gratus ipſe viciſſim in ſuos cultores, & impetrabilis apud Deum haud vulgarium beneficiorum orator.

Ann. domeſt. M. S. XXXIX. Albertus in thermis Wirtenbergensibus

Albertum memorant Annales, ſub hæc, thermas Wirtenbergenſes petijſſe. Accepit in comitatu ſacerdotem, quo concionatore ad ſuam Aulam, & ad aram faciente, uteretur. Haud prætereundus fructus, quem attulit miſeris, qui vel nondum à Romanis ſacris defecerant, vel hærebant in novâ religione ambigui, pro concione dicentis ardor, & lumen ſinceræ rerum divinarum explanationis. Ad eum multi è locis finitimis confluebant, conſilij causâ, & conſcientiæ à peccatis expurgandæ. In ijs haud pauci, quibus uſus virginei roſarij tum adhuc erat familiaris, quíque ad ſacroſancta Miſſæ officia per diſpoſitas adverſariorum vigilias clàm perrepebant.

Prodest religioni.

Habebat ſubinde ſacerdos conciones ſub dio, quò plures in loco patente forent auditores. Severè quidem erat interdictum, ne quis indigenarum dicenti aures commodaret, verùm quocunque demum periculo, ſe permulti ab ejus ore non ſinebant abduci. Fuere, qui profiterentur, etiam ex illis, qui novos ritus admiſe-

miſerant, audito muſicorum concentu, quem Albertus ad divina officia ſemper habebat magnificum & elegantem, viſâque ſacrorum majeſtate ac cæremoniarum ſplendido cultu; ſibi nauſeam ac ſtomachum moveri à prædicantium Neotericorum declamationibus, in quibus nihil ferè præter probra in Romanum Pontificem, in ſacrum ordinem, & in religionem Catholicam, audirent, cùm cætera illorum dictio neque pietatem in Deum ſaperet, neque haberet cæterarum virtutum commendationem, quaſi tota eorum religio ſita eſſet in meliorum rerum & perſonarum Deo dicatarum obtrectatione, qualem promptum malo cuique eſſet abſque talibus magiſtris addiſcere & uſurpare. Accipiebant etiam permulti avidè aquam luſtralem oratione ſolenni expiatam, more Catholico. Caverat autem accuratiſſimè Albertus, ne quis è ſuis Aulicis, ſive inferioris miniſterij mediaſtinis Luthericos cœtus adiret, vel privatim cum Lutheranis de fide & religionis diſſidijs ullâ ratione ageret, veritus, ne quid contagionis ſibi alijſque, domum reduces, reportarent.

Impedit Avtonomiæ publicationem. XL.

Meritò inter ſacroſanctos Alberti labores recenſent Brunneri Excubiæ, quòd publicationem Avtonomiæ, Ratisbonenſibus Comitijs, magnis Proteſtantium votis expetitam, adversâ ſuffragatione unà cum alijs Catholici nominis Principibus, repreſſit, hoc ipſo meritus egregios titulos, quos illi Petrus Caniſius inter ævi ſui ſapientiſſimos, vir integerrimus, attribuit, in limine operis Mariani, ubi illum non dubitavit appellare invictum Eccleſiæ propugnatorem, piæ in Chriſtum fidei & religioſæ Patrum traditionis fidiſſimum & tenaciſsimum cuſtodem, & cum Joſiâ & Theodoſio Regibus optimis compoſitum, miris veriſque laudibus extollere.

An. M. D. LXXVII. **Gebhardus Trucsessius Coloniensis Archiepiscopus.** *Sur. ad an. 1577. Michael ab Iſſelt. de bello Colonien. p. 6.*

Cæterùm, ut humana adverſis miſcentur, Erneſto Alberti filio remoram injecit, quò minùs Colonienſem mitram aſſequeretur, quorundam metus, ne Filius paternum Zelum in tuendâ religionis integritate imitaretur. Rem dabo ex Surij & Iſſeltij hiſtorijs. Gebhardus ex antiquâ Baronum Walburgicorum Trucſeſſiorum familiâ, qui Othonem Cardinalem Auguſtanum patruum habuit, poſt operam in litteris addiſcendis non ſine laude poſitam, Romam ad Patruum Cardinalem profectus, adſcriptúſque Clero, in Germaniam reverſus, mox Auguſtæ Vindelicorum fit principis Collegij Præpoſitus, & apud Argentinenſes Cathedralis Eccleſiæ Decanus. Pòſt receptus in ſummum Coloniæ Agrippinæ Collegium, tale morum & religionis dedit ſpecimen, ut, cùm quibuſdam ſpecie pietatis imponeret, alijs, quos nôrat ejuſdem eſſe ſecum inſtituti, non obſcurè teſtaretur, ſe parùm ad Romana ſacra, multùm autem ad profanam matrimonij libertatem affici.

Inter hæc Salentinus Iſenburgicus, ex antiquiſſimâ Comitum Iſenburgenſium ſtirpe, Archiepiſcopatui Canonicorum, quibus erat in deligendo jus, ſuffragijs admotus, decem annos, expers ſacratiorum Ordinum, cum non vulgari nominis ſui gloriâ & Eccleſiæ utilitate rerum potitus; quòd ipſe unicus ſanguinis Iſenburgici hæres ſupereſſet, redditâ gubernationis ratione, dignitatem Archiepiſcopi abdicat, matrimonium in ſpem propagandæ familiæ initurus. Trimeſtri poſt abdicationem exacto, convenitur ad augurale comitium. Duo præcipuè vacuam ſedem prenſabant; Erneſtus videlicet Bavarus, Principum aliquot ac Regum, ipſiúſque Romani Pontificis patrocinio ſubnixus; & Gebhardus Trucſeſſius, in quem vota, quâcunque demum ratione quæſita, propendebant, eorum videlicet, quibus juſto minor erat cura amórque religionis. Erant nihilominus, qui Erneſtum voto deſignabant. Interceſſit Hermannus Comes Nivenarius à Catholicis ritibus apprimè alienus, eóque reformidans Erneſti integritatem & Boicæ domûs potentiam. Ille, quâ erat verſutiâ, aliquot Erneſti fautores à ſententiâ abduxit, perſuaſos, Trucſeſſio ut ſuffragarentur. Ut ventum ad ſuffragationem, Trucſeſſius unico calculo Erneſtum ſuperans, quintâ Decembris ſedi Archiepiſcopali admovetur: Erneſtus verò ne ſe negligeret, ſedem Apoſtolicam appellat. Hæc diſcordia, difficilis belli ſemina poſuit, non ob quæſitum, XLI.

quibus dixi, artibus Archiepiſcopatum (nam Summus Pontifex electionem comprobaverat) ſed ob tentatam religionis everſionem, quemadmodum poſtea recenſebitur.

Domus Societatis Landspergensis.

Sub hæc tempora Alberti pro eâdem defendendâ charitatem imitatus Svicardus nobiliſſimus ac religioſiſſimus Comes Helfenſtainius, Landſpergæ Tironibus Societatis Jeſu, qui adhuc Monachij permixti veteranis inſtituebantur, domicilium in monte urbico, ſuo ære poſuit, quod deinceps foret ordinis propagandi, formandorúmque ad ſacras inſtituti leges Novitiorum ſedes atque palæſtra.

Domus Convictorum Monachii.

Albertus alia ſuper alia pietatis præſidia indies molitus, Monachij contubernium Nobilibus alijſque adoleſcentibus, bonarum litterarum ſtudio operam navaturis, inſtituit, quod ipſis D. Michaëlis ferijs coli cœptum, ab Archangelo nomen accepit. Valdè etiam probavit Princeps optimus cœptas hoc anno ſanctiſſimæ Virginis Sodalitates, quæ in ſex claſſes hodie diſtributæ, haud vulgares fructus proferunt ſinceræ in Deum pietatis.

XLII.

Gemina Ingolſtadianæ Academiæ lumina occiderunt hoc anno. Alter Martinus Eiſengreinius quarto die Maij, vir præſtanti eruditione & honoribus Academicis probè perfunctus è Theologicâ cathedrâ, & Procancellarij munijs: Alter Rudolfus Clenkius Juriſconſultus tempeſtivè à Novatorum ſignis, ad Catholica caſtra traductus. Is potiſſimam Theologici ſtudij partem, Alberti Ducis ſumptibus, Lovanij abſolverat, vir alioqui laboris immenſi, plurimæ lectionis, variæ linguarum peritiæ. Eum mors, præclarè pro religione Catholicâ, Erici Ducis invitatu, in Brunſvigia laborantem, in pulchro conatu, Calenbergæ extinxit.

Rotmar. Annal. Ingolſtad. p. 158. & 159.

Alberti obitus. An. M. D. LXXIX.

Brunn. in Alberto.

Videntur iſti fuiſſe prodromi funeris triſtiſſimi, quo Albertus 9. cal. Novemb. ab humanis eductus, Boicam ſummo luctu affecit: cùm ultimam operam Reipublicæ in Auguſtanis Comitijs impendiſſet, & non multò antè Gymnaſij & Templi ſuburbani inter plebis ſepulchra ædificationem Monachij abſolviſſet. Iſtis dives apud Deum meritis, magis rerum mortalium faſtidio, quàm morbo tentari viſus eſt. Mortis propinquæ cùm ipſe ſibi vates eſſet, Medicos ad lætiorum meditationem avocare conatos, importunæ conſolationis authores incuſans, vetuit inani vitæ longioris promiſſo animum, ad æternitatem longè ſecuriore conſilio tendentem, diſtinere. Philippum tamen Menzelium, cui uni fidebat plurimùm, cæteris amotis, privatim conſuluit, juſsitque non jam blanda cum Principe, ſed vera cum homine mortali ſine fuco liberrimè proloqui. Sibi quidem ex virium languore videri, haud procul abeſſe vitæ extremam lineam: ſua proinde ille ſenſa ne diſſimularet: Jam enim exigui, quod reliquum temporis, accuratam habendam eſſe rationem, omiſſâ corporis curâ, ultima momenta tribuenda eſſe animi procurationi: non agendum nunc de vitâ perbrevi, ſed de longiſſimâ immortalitate. Paruit Menzelius, & candidè, quod res erat, monitum laudavit; quòd ſibi ipſe ſapiens author eſſet agendi, quæ maximè tali tempore agi oporteret. Reſponſum accepit pectore vultúque immoto, & nihil cunctatus, voluit ab accerſito animi medico per ſacram exomologeſim expiari, divino Chriſtiani viatici ferculo refici, ad ſupremam luctam inungi, ſemper ſui compos, & ſellâ duntaxat ſubnixus. Tum Reipublicæ & Religionis amore filijs commendato, paſſus ſe referri in lectulum, ingentem animam abſque doloris ſenſu, nullâ certè ejus editâ ſignificatione, efflavit, ætatis anno quinquageſimo primo. Defletus eſt confuſis univerſæ patriæ lacrymis. Illi frequentiſſimo omnium Ordinum conventu, Monachij, in æde primariâ D. Virginis, juſta perſoluta. Nemo facilè veriùs elegantiúſque ejus decora, quàm Brunneri compendium exprimat, cujus proinde verba pleraque lubens reddo. Eum Monacenſes & Ingolſtadienſes, Muſæ Dilinganæ inſuper & Græcenſes ad cœlum uſque laudibus extulêre. Fuere videlicet grata virorum doctorum ingenia, quibus haud facilè quiſquam Principum favit prolixiùs. Fontem Auri Menzelius eum appel-

XLIII.

Eius Elogia.

appellavit, in omnes nobilium studiorum campos exundantem, rigantémque, quicquid fuit usquam eruditionis & eruditorum. Viventibus bene facere non contentus, etiam mortuorum monimenta, comportatis libris in amplissimam Bibliothecam Monachij, ab interitu vindicavit. Musicam nemo Principum rectiùs intellexit, nemo liberaliùs excoluit. Hoc Mecœnate Orlandus Lassus sui sæculi Orpheus, ad famæ fastigium ascendit, traxítque ad Albertum, quicquid faciendis modis, voce, manúque excelluit. Quæ rarissima conquiri potuêre penicilli, reíque statuariæ miracula, ex ipsis Antiquitatis reliquijs, immenso sumptu Monachij visenda composuit. Monacensis Regiæ splendori, Ingolstadij munimentis, Provinciæ universæ nitori, nobilissimis ædificijs consuluit. Dachavium, Iserecka, Starenberga, urbana Regia Landishutana ejus impensis atque operâ caput extulere. Quod his omnibus majus est, Albertus Religioni invicta propugnacula construxit, &, si licet more Romano dicere, ad ejus præsidium conscripsit legionem immortalem virorum doctrinâ & pietate præstantium, qui perpetuò adversus intestina pericula & finitimorum insidias excubarent. Me vetaret modestia referre ejus de Canisio & Hoffæo, quo utebatur Ecclesiaste, judicium, nisi Brunnerus retulisset, cùm sæpe ille magno animi sensu, Ecclesiæ de Apostolorum Principibus elogium utrique accommodaret hoc dicto: *Petrus Canisius, & Paulus Hoffæus, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Porrò cui divinus honor subjectorúmque salus adeò curæ fuit, mirum non debet videri, ipsum vicissim Deo curæ fuisse. Certè cùm adversarij non deessent, nemo tamen Numinis armis protectum ausus est lacessere. Cœlitum Reginæ, cujus gloriâ ac recordatione à teneris fuit delectatus, Alberti incolumitatem cordi fuisse, argumento sit; quòd præsenti ejus ope ex sævissimâ tempestate (ita scribit Canisius) emersit. Horribili procellâ Dæmon lacu Wurmio navigantem Albertum ex improviso involvit tantâ ventorum & undarum colluctantium vehementiâ, ut inter formidandos cœli fragores ac crebra fulmina nautæ vectorésque de vitâ desperarent. Albertus, cùm deficerent omnia prorsus hominum auxilia, ad salutis anchoram suas spes defixit, Deo in vota vocato, per Virginis Oetinganæ patrocinium. Mirum dictu, mox ut auditum Mariæ nomen, & ingeminatæ preces, navis ad portum incolumis fuit ejecta. Princeps vitam se debere Matri Virgini confessus, Oetingæ Deo suæque liberatrici se voti reus stitit, & aram donis regijs cumulavit. In his duodecim Apostolorum signa argentea, Sacrificantium præterea ac Ministrantium auro gemmísque illusæ vestes, & velum altaris fronti oppansum gemmeo Deiparæ nomine insigne, aliáque complura, quæ prodigæ gratitudinis memoriam hodiéque posteritati ostendunt. Aliàs etiam Ingolstadij aram principem egregij operis Deiparæ dedicavit. Præpositis Oetingensibus Pontificiæ Tiaræ pedique usum Romæ impetravit, ad tantò solenniùs colendam Virginem. Atque hæc quidem de Alberto magnanimo, Pio, Sapiente, de quo multorum extant funebres orationes. Ad ejus cœnotaphium primus dixit Nicolaus Eberhardus Juris Doctorum id temporis in Academiâ princeps. In secundis exequijs peroravit Joannes Leo Boscius medicandi arte nobilis. Prodijt ad diem tricesimum Academiæ Rector & Procancellarius Albertus Hungerus. Nomine Collegij Societatis Jesu threnos dixit Gregorius de Valentiâ. Rotmarus Rhetor suas quoque vices in hoc genere habuit. Addidêre suos planctus Philippus Menzelius Æsculapij simul & Apollinis alumnus, & Joannes Engerdus. Tulit Albertus ex Annâ Austriacâ Carolum Starenbergæ natum anno M. D. XLVII. ibidémque denatum an. LI. sepultum in conditorio Andecensi: Guilielmum V. de quo multa supersunt, Ferdinandum rebus præclarè gestis memorabilem, Mariam Caroli Austriæ Archiducis uxorem, Mariam Maximilianam, Fridericum; Ernestum Archiepiscopum Coloniensem Sac. Rom. Imp. Septemvirum.

XLIV.

Canis. in Ep. dedicat. Oper. Mariani.

BOICÆ GENTIS
ANNALIUM
PARTIS II.
LIBER XII.

Bellum Colonienſe. Guilielmi V. præclara pietas, & in excolendâ religione magnificentia. Res geſtæ Ducum Ferdinandi Boij & Erneſti Colonienſis Septemviri.

An. M. D. LXXIX.
I.

Guilielmus V. juſtis optimo Parenti rite perſolutis, Boicæ Principatum inijt, omnibus Provinciarum Ordinibus in ejus verba juratis. Rudolphus Cæſar, veteri more, clientelaris beneficij poſſeſſionem probavit, addiditque Cæſarienſis & Kircheimenſis Cœnobiorum protectionem, quâ Guilielmus conſervatoris nomine fungeretur.

Translatio reliquiarum S. Bennonis.

Hactenus D. Bennonis Lipſana Regiæ Monacenſis Sacello incluſa, minùs patebant populi frequentiæ & pietati. Guilielmus, ut Patroni Urbis Patriæque cultum liberiore comprecantium confluxu augeret, ejus reliquias ſolenniſſimâ pompâ ad D. Virginis Baſilicam voluit transferri. Id factum memorat Brunnerus anno ſequenti, Raderi adverſaria nonageſimo nono: ait uterque, publicas ſupplicationes fuiſſe inſtitutas, ad conciliandum provinciæ univerſæ, & futuræ Principis gubernationi divinum Numen, à quo omnis potentia & ſapientia in populorum Præſides derivatur. Placato Numine, Guilielmus curas ad ſubjectorum levandas, quæ nunquam deſunt, miſerias intendit. Sterilitas annonæ pretium vehementer accenderat; ut tenues magnâ paſſim fame premerentur. Guilielmus omnia granaria, & ſua quidem primò omnium, poſtea ditiorum è ſubditis, juſſit aperiri, magnámque frumenti copiam, vili pretio diſtrahi. Iſta ſpectabant ad corporum ſalutem, hæc ad bonum animarum.

Multis ſæculis apertum fuerat libidinoſorum inſaniæ publicum luparum in urbe Monacenſi proſtibulum, pernicioſa peſtis juventutis, tetrum innocentiæ ſpoliarium, infamis pudicitiæ charybdis multorum naufragijs truculenta. Ex hac ſceleſtâ Veneris ſpeluncâ, lege Guilielmi æternâ, proſcriptæ fuerunt meretri-

retriculæ, quarum ex numero fuere septem, quæ ad continentiæ castra, per pœnitentiam se receperunt. Illis Ducis liberalitate abunde prospectum, ne ad pristinos mores reverterentur.

Guilielmum boni Principis officijs domi intentum, Ernesti fratris fortuna, & Ecclesiæ pericula ad externas curas distraxere. Initia fuere honorifica & læta rebus secundis; processus laboris plenus & bellicorum tumultuum. Hos dedit Gebhardus Coloniensis septemvir: illas Leodium princeps civitas Eburonum. Ex Pontificibus, qui nobilissimo juxtà ac potentissimo Leodiensium Episcopatui præfuerunt, hodie sex numerantur è Boico sanguine. Gerbaldus, qui Carolo Magno imperante, eam sedem tenuit: Theoduinus, vir apprimè sanctus: Joannes, de quo suprà satis diffusè, è stirpe Ludovici IV. Imp. Hollandicâ: Ernestus Alberti V. Magnanimi filius: Ferdinandus paucis abhinc annis defunctus: Maximilianus Henricus, hodie magnâ cum laude de Principatûs istius & subjectorum incolumitate satagens. Ut redeam ad lineam, Gerardo Grœsbekano S. R. E. Cardinali Episcopo & Principe Leodiensi 5. cal. Januar. defuncto, cùm in turbulento periculosóque rerum statu Ecclesia patriáque Leodiensis prudenti juxtà ac potente successore indigeret, qui magno judicio, paríque authoritate, imminentia à vicino hoste mala propulsaret; Canonici, penes quos erat eligendi facultas, memores sapientis moniti, quo Gerardus adhucdum in vivis ostenderat, è republicâ futurum, si Ernestum Domo Bavarum, ad Ecclesiæ ac Principatûs suscipiendum gubernaculum postularent; solenni eum invitatione rogârunt, vellet Leodij se præsentem sistere ad eum diem, qui Comitio habendo erat constitutus. Eorum votis obsecundans Ernestus adfuit 9. cal. Februar. AN. M. D. LXXX. II. *Chapeavil. in Ernesto.* AN. M. D. LXXXI. ERNESTUS BAVARUS LEODIENSIS ANTISTES CREATUR.

Aderant quoque prensatores, à Duce Andegavensi magnis instructi promissis tuendæ Leodiensium libertatis, quo nihil gratius populo, sui juris studioso, poterat ostentari. Miserant Provinciæ Belgij Fœderatæ Legatos, pro Matthiâ Austriæ Archiduce. Venerat etiam à Duce Parmensi Belgij Gubernatore amandatus unus è Catholici Regis Consiliarijs cum fiduciarijs litteris: horum singuli suos commendabant candidatos. Itum in vota prid. cal. Februarij, quæ omnia unanimi consensu in Ernestum Bavarum conspirârunt, urbe universâ miro plausu & gaudijs electorum judicium approbante. Secuta die decimâ quintâ Junij solennis inauguratio, quam cohonestârunt Dux Ferdinandus Ernesti frater, Clivensis, Arschotanus, Nivernensis Duces, Marchio Badensis, Princeps Chimayus, alíique complures Comites, Barones, Proceres. Acta dehinc, decimo nono ejusdem mensis, frequentia Ordinum Comitia, in quibus aliqua pro Grœsbekani hæredibus, alia pro salute patriæ præclarè constituta. III.

Læta hæc excepit Aquisgranensium Calvinistarum in Catholicum Magistratum & Legatos Cæsareos tumultus, cui reprimendo, cùm leniora Cæsareæ clementiæ remedia nihil profecissent, Ernestus ex Cæsaris voluntate urbem anno octogesimo secundo obsedit. Gravior tempestas Coloniæ parabatur ab Gebhardo Archiepiscopo, haud obscurè jam Agnetis Mansfeldicæ amoribus irretito, & ad ejus nuptias mutandámque toto Archiepiscopatu religionem adspirante. Rem planiùs post hæc explicabimus. CALVINISTÆ AQUISGRANI TUMULTUANTUR. AN. M. D. LXXXII.

Monachij Guilielmus cal. Januar. primam de D. Archangeli Michaëlis Basilicâ & Collegio Societatis Jesu à fundamentis extruendo suscepit cogitationem. Nullum adhuc templum habebat sibi proprium Societas, in quo sacra perageret, consuetísque Ordinis sui munijs fungeretur. In Patrum Augustinianorum Æde (quod gratâ memoriâ Societas recolit) unius duntaxat angusti sacelluli usum habebat precarium, fuerátque ab ijsdem Patribus tecto contubernióque à primis Monacensis Collegij incunabulis, benignè excepta. Guilielmum, Renatam conjugem, Mariámque Maximilianam sororem, incessit desiderium visendæ solennitatis, quam Societas Jesu, anno nascente, Christo circumciso, & sanctissimo Jesu Nomine cœlitus donato, solet agere. Advertit religiosissimus Prin- IV. *Annal. M.S.* GUILIELMI CONSILIUM DE EXTRUENDO D. MICHAELIS TEMPLO ET COLLEGIO.

Princeps adeò confertam populi multitudinem, ut, cùm omnes non caperet templi totius, nedum ſacelli, anguſtia, permulti ſacris parietibus excluſi, ſub dio, tempore licèt incommodiſſimo, divina frequentarent. Accerſitum itaque Collegarum Rectorem Ferdinandum Alberum Guilielmus interrogat, quî fiat tantus populi concurſus, cùm ejus tamen pietas templo non capiatur? Rector; *Non hoc ſolùm die* (inquit) *Sereniſſime Princeps, ſed per totum propè annum feſtis quibuſque diebus par eſt hominum comprecantium frequentia. Ego verò*, (reponit Wilhelmus,) *haud patiar, tam ferventem ac prolixam meorum ſubditorum religionem, loci incommoditate præpeditam tepeſcere.* Vix intercesſit triduum, cùm ſubmiſit Architectum, qui novo templo ſpatium deſcriberet, locúmque ejus ædificationi opportunum. Coëmptæ poſtea privatorum domus, concinnata area, & ædes, quæ nunc ſtat, annis ſequentibus, ad faſtigium deducta.

Comitia Augustana. Sub hæc interfuit Guilielmus Imperij Comitijs, quæ Rudolfus Cæſar Auguſtæ celebravit. Eò quoque venit Erneſtus ejus frater Leodienſis & Friſingenſis Epiſcopus. Datum huic Cæſaris & comitiorum auctoritate negotium, Aquisgranenſes factioſos ad officium adigendi, & intentè vigilandi, ne res Catholica apud Ubios aliquid detrimenti, ex Gebhardi Archiepiſcopi molitionibus, caperet.

V. Quamobrem ex Auguſtano Conventu citatis equis Coloniam reverſus, ſimul ac arcana quædam cum Canonicis Comitibus contulerat, eâdem, quâ venerat, celeritate Auguſtam revertit. Quam rem cùm Trucſeſſius ſuſpectaret, prid. Non. Novemb. quadringentis peditibus & ducentis equitibus ſtipatus, Bonnam, urbem ad Rhenum, Romanorum prælijs nobilem, ſe recepit.

Gebhardi Coloniensis incesti amores. Jam enim tum vulgò malè audiebat ob inceſtos amores, quos ipſa aſſiduitas & liberior indies licentia, pudore profligato, proferebat in apertum, tametſi ipſe ſuſcepto ſacerdotio fucum facere conſciorum oculis niteretur. Pronum ad ruinam prorſus evertit familiaris conſuetudo Agnetis è ſtirpe Comitum Mansfeldienſium, quam ſic deperibat, ut ab ejus latere videretur avelli non poſſe. Erat illa ex eo genere Veſtalium, quas vulgus nuncupat Canoniſſas, contubernij Girreſheimenſis. Inſanæ libidinis primas ſcintillas tribuit Iſſeltius magicis artibus Scoti hominis Itali, cujus ſpectris faſciniſque delirum in modum Gebhardus capiebatur. Fertur nebulo maleficus Gebhardo Agnetis ſpeciem mirè illecebroſam in ſpeculo oſtentaſſe: verùm alij Gebhardum ſuis ſe oculis & cupiditate ultro irretijſſe memorant, antequam Scoti operâ uteretur. Utut ſit, conſtat, conceptum ignem Coloniæ, cùm Agnes apud Sororem diverſaretur, increviſſe. Bruelæ, in arce Principis, ſub medium Septembrem, cùm illuc Maria Mansfeldica cum Petro Erneſto Barone Krichingio marito, & Agnete divertiſſent, per dies aliquot furtivis congreſſibus data ſolito major licentia, per choreas, pergræcationes, colloquia, aliaque nefanda, ſine arbitris. Ut ſacrilegij impudentior foret facultas, Agnes ſorore ejúſque marito dimiſſis in Turingiam, ex condicto Meurſium ad Comitem Nivenarium Acatholicum, & probè conſcium, quidnam Gebhardus animo coqueret, proficiſcitur. Eam pòſt paulò ſubſequitur Trucſeſſius, indéque pellicit Cæſaris Werdam, ubi paucis admodum conſcijs latitantem in arce habuit. Bonnam reverſi, ac ſubinde ſecedentes Poppelſtorfium, quæ arx eſt in agro Bonnenſi, tantâ egère cœcitate, ut, cùm foras prorumperet amoris inſanientis flamma, crederent tamen ſe clàm inſanire.

VI. Inter hæc Comites Mansfeldici Agnetis fratres, ſororis infamiâ vehementer accenſi, præſertim Comes Hoierus, qui illam ſtatuerat ſuâ manu è medio tollere, & familiæ maculam noxio ſanguine eluere, communi conſilio Gebhardum adeunt, & cum ſtomacho flagitant, ut, qui virginem tam illuſtri natam genere,

Matrimonium Agnetis spondet. fœdatam mortalium ludibrio expoſuiſſet, eam matrimonio cohoneſtaret, alioqui non defore rationes injuriæ vindicandæ. Quare Gebhardus, teſtibus adhibitis, in Aulâ majore Bonnenſis Cancellariæ promittit, ſe repudiato Archiepiſcopatu, Agnetem ducturum. Jam in eo erat, ut pollicitis faceret ſatis, cùm

à Cal-

à Calvini sectatoribus & Agnetis blanditijs circumventus, mutatâ de abdicando Archiepiscopatu sententiâ, statuit unà cum Agnete infulam Archiepiscopalem Septemviratúmque retinere facto cum religione Catholicâ divortio, tractísque Ubijs in defectionis societatem; quod credebat haud fore difficile, tum auxilio Protestantium, tum populi ad res novandas propensi tumultibus. AB ECCLESIA DEFICIT.

Ergo delectus habet in Ubijs, in Westphalia, Hassiâ, Francofurti, alibi: arma comparat, arces communit milite & novis operibus, nullos ad consilium admittit, nisi acatholicos: comportatum à præcedentibus Archiepiscopis thesaurum maximam partem, ex arce Bruelensi Bonnam, ad belli usus avehit, Ecclesiæ vectigalia consueta occupat, nova imperat, viginti duas civium Agrippinensium sodalitates, scriptis ad singularum curias litteris, clàm sollicitat allicitque in partes: Metropolitanum capitulum per suos partiarios dividit in factiones, omnia Canonicorum consulta per eosdem explorat, disturbat; suas verò molitiones apud vicinos Principes, & Coloniense Collegium publicæ securitatis obtentu excusat: causam rogatus bellici apparatûs à Canonicis, quibus inscijs nefas esset eam ad rem Ecclesiæ bona usurpare, responsa suspendit, aut fingit à vero aliena. Quod omnium erat miserrimum, Illustribus Canonicis, quorum nonnulli à fide Catholicâ defecerant, inter se, & à Presbyteris, quibus in capitulo jus est suffragij, dissentientibus, aut religionis studio, aut ambitione, quòd aliqui mitram sperarent, si eam Gebhardus poneret, nihil agebatur, nisi languidum, timidum & ambiguum: auctor deerat, cujus prudentiâ, animi magnitudine, & potentiâ, Gebhardi conatibus apertè obsisteretur. *Archiv. Monac. tom. ann. 82.*

VII. Aliquot ex Illustrium Collegio aberant, inter hos Ernestus Boius, cuius consilijs ac viribus, rebus inclinatis posset succurri. Periclitantium spem animósque erigebant Episcopatûs Leodiensis, quo potiebatur Ernestus, opes, Domûs Bavaricæ subsidia, Guilielmi Bavari ardens Ecclesiæ defendendæ studium, Ferdinandi Fratris bellica fortitudo, quibus si accederet Rudolfi Cæsaris auctoritas, Regis Catholici suppetiæ, Septemvirûm aliorúmque Imperij Principum ad bellum sociale conspiratio, pronum foret nobilissimi Archiepiscopatûs labem evitare. Igitur, quibus res Catholica cordi erat, cùm publicis non possent, privatis litteris, Pontificem Maximum, Rudolphum Cæsarem, Orthodoxæ fidei Septemviros ac Principes, Ducem Juliacensem, Alexandrum Parmensem, de præsenti rerum conditione edocent, Ernestum Bavarum monent, hortantur, rogant, ut, si dignitati suæ, si Canonicorum in fide Romanâ constantium votis consultum velit, ocyùs Coloniam advolet, ubi potioris Canonicorum partis, civici Magistratûs studia, & plerosque cives ad nutum sit habiturus: celeritate rem posse confici feliciter, quæ alioqui cunctatione, seris consilijs, suspensâ subtractâve manu, sit ruitura.

Hæc dum in eo forent, frequentes acatholicæ fidei Principes ad Gebhardum commeabant, fœdera percutiebantur, languebant, veriùs extinguebantur in Aulâ ritus Catholici: inter continuas pergræcationes nullus ferè sermo nisi ad doctrinæ Romanæ sacrarúmque personarum ludibrium: jactabantur à Gallis, Danis, Batavis, paratæ suppetiæ. Agneti applaudebatur, aptabatúrque Essendiæ extra turbas secessus.

Sub hæc Gregorius XIII. Sum. Pont. litteras dedit amoris paterni plenissimas ad Truchsessium, quibus eum ab interitu vindicaret: dedit & Cæsar non dissimilis benevolentiæ cohortationes; cogitaret etiam atque etiam, non minùs Truchsessianæ familiæ decora, quàm fidei Catholicæ perpetuum studium, Ottonis Cardinalis Augustani purpuram, propriam adolescentiæ ipsius in Ecclesiæ Romanæ velut gremio educationem, spes maximas, quas ipse Romæ de se concitâsset. Poneret ante oculos, quantâ benignitate ejus ad Archiepiscopatum cooptatio à sede Romanâ adversus competitorum querelas fuisset asserta: Haberet rationem famæ suæ, quotidianis virorum haud obscurorum delationibus sic labefactatæ, ut jam non dehonestata, sed penè deleta esse videatur criminibus tam sublimi loco prorsus indignis, quæque citra ruborem non patrari GREGORII XIII. PONT. AD GEBHARDUM LITTERÆ. VIII.

ſolùm, ſed ne commemorati quidem poſſint. Attenderet, quid Deo, quid ſedi Apoſtolicæ, quid Chriſtiano nomini, quid patriæ, quid generi, quid propriæ ſaluti deberet: ne ſibi ipſe hoſtis effectus, per pravos ſe mores, honorificentiſſimo loco, quem, Deo ac Pontificiâ ſede authoribus, erat aſſecutus, exturbaret. Meminiſſet, quàm difficiles, quàm ambigui periculoſíque ſint rerum novarum exitus, & quantopere cavendum ſit viro pio ac prudenti, ne temerè famam, ſtatum, dignitatem, animam denique ipſam in extremum diſcrimen adducat: reſpiceret recentia iſtius ætatis exempla, quibus poſſet ſuum munus & periculum edoceri. Denique ſi hæc monita longiùs progreſſa exiſtimet, ea tribueret amori admonentis, ſinerétque ſtudium ſalutis ac dignitatis ipſius id habere pondus, quod pietas in Deum, famæ, ſummi boni cura & Reipublicæ incolumitas exigeret.

Sed fruſtra apud vecordem & inſano amore furentem hæc fuere. Cæſar, quem non latebant Gebhardi conſilia, ingentiáque Germaniæ incommoda, quæ projecta ad ciendas in Imperio turbas audacia parturiret, eum per Gailium Legatum virum apprimè ſapientem admonuit ſimili propè, quâ Pontifex, lenitate. At neque quippiam eâ monitione profectum, ſed inflammata potiùs in contrarium ſtudia, ut, cùm ſub hæc mero Gebhardus incaluiſſet, auditus fuerit ſuper menſam convitia iactare in Gregorium Pontificem, convivarum ex ordine approbationem mentémque explorare; mox remotis menſis in choreas effuſus, ſe familiaribus præſultorem inſano modo præbere, quendam religioſum, ſtipem pro Cœnobio rogantem, ad tripudium adigere. Tandem larvâ detractâ, menſe Decembri edictum vulgavit, quo profeſſus eſt, ſe à veteri Majorum religione, ad novæ lucis cognitionem abductum, ſtatuiſſe ſuæ conſcientiæ & ſubjectorum libertati ac tranquillitati conſulere. Se nemini prorſus vim allaturum, quò minùs alterutrius religionis in Comitijs Imperij Auguſtanis permiſſæ arbitrium habeat, & utram voluerit amplectatur. Pollicitus etiam fuit, ſe Archiepiſcopatûs privilegia, immunitates & patriæ conſtitutiones nullo pacto violaturum, Collegio Canonicorum Colonienſium ſupremo liberam electionem permiſſurum, ſeu ipſe ſponte Septemviratu abiret, ſeu morte infulâ privaretur: & quidem paratum ſe publicis tabulis, ſi Canonici deſiderent, ſuam hanc voluntatem ſancire. Subinde loco movit Præfectos, quæſtores, alióſque miniſtros, quos norât rei Catholicæ eſſe addictos: Hornburgum arcem, Cæſariswerdam novo præſidio implevit.

IX. *Edictum Gebhardi pro religionis avtonomia.*

Adventum Erneſti Bavari interea ſuſpirabant Ubiorum Proceres, Ordines, quotquot denique erant à Gebhardi factione intacti: verùm ille, ne quid tentaret temere, invitiſve Summis orbis Chriſtiani Principibus, Pont. Maximi & Rudolphi Cæſaris nutum imperiúmque expectabat. Guilielmus Erneſti frater Cæſarem de re universâ certiorem fecerat, à quo id accepit reſponſi: Gratam fuiſſe denunciationem de Gebhardo: ſe verò, cùm primum rumorem eâ de re accepiſſet, credidiſſe, famam jactare atque augere in majus Gebhardi infamiam: miſiſſe nihilominus è ſuo Conſilio Andream Gailium, qui cuncta examuſſim exploraret, dein eodem ablegaſſe Jacobum Curtium virum apprimè Catholicum & ſapientem, ſed ambos varijs promiſſis deluſos revertiſſe: tandem duobus Pontificibus Septemviris Moguntino & Trevirenſi dediſſe negotium conveniendi Gebhardum, monendi de officio, & rogandi Guilielmum, ſe ut ipſe illuc pro majore negociationis iſtius authoritate conferret, quòd ſperaret poſſe illum tantorum virorum ſtudio ac reverentiâ ad mentem revocari. Sed cùm Gebhardus jam jeciſſet aleam, & cum Julio Cæſare Rubiconem tranſmiſiſſet, neuter Elector eâ provinciâ functus, nec Guilielmus de Gebhardo adeundo fuit rogatus. Non defuerunt Coloniæ, qui ex Principis edicto Avtonomiæ licentiam, publicum Auguſtanæ doctrinæ exercitium, templum habendis conventibus poſcerent; ſed Senatus, quâ fuit ſemper in retinendâ ac defendendâ Orthodoxâ fide integritate ac conſtantiâ, vetuit quicquan ejuſmodi ampliùs poſtulari.

Archiv. tom. an. 82.

Lit. Archiep. Treviren.

Aliqui Colonienses religionis Acatholicæ publicū exercitium postulant.

Redi-

Redierat ex Comitijs Auguſtanis Romam Madrutius, Gregorij Pont. Legatus, cui cùm multa de Germaniæ conditione, religionis ſtatu ac periculis, de re Colonienſi retuliſſet, Gregorius varijs magnorum virorum litteris ſolicitatus, dedit ipſis Januarij calendis has litteras ad Guilielmum. AN. M. D. LXXXIII.

Dilecte fili, nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Incredibiliter lætati ſumus tuâ gloriâ, cujus quidem apud nos graviſſimum habes teſtimonium dilecti filij noſtri Ludovici Cardinalis Madrutij: ſic enim per litteras, dum Auguſtæ legatus erat, & proximè coràm confirmavit, magnopere in conventu illo extitiſſe pietatem tuam & Catholicarum rerum Zelum. Certum antea habebamus, te ſemper tui, Majorúmque tuorum ſimilem futurum, in Catholicâ religione tuendâ, ínque omni virtute colendâ; ſed lætamur, campum tum tibi datum eſſe, in quo poſſet pietas excurrere. Magnam nunc item ſpem habemus, te in ſummo Colonienſis Eccleſiæ diſcrimine, conſilio, authoritate, operâ, nullo loco, Eccleſiæ illius incolumitati, Catholicæque religionis amplitudini defuturum. Narratur ubique Archiepiſcopi illius turpitudo, expectantúrque indies deteriora, tantum abeſt, ut emendationis ſpes ulla oſtendatur. Nihil hactenus, hortando, monendo, profecimus. Certum autem habemus non deſiſtere, neque Eccleſiam illam tanto in periculo deſerere, ſed magnopere indigemus ope atque auxilio optimorum Principum, in quibus Nobilitatem tuam inprimis numeramus. Rogamus igitur atque obteſtamur per Chriſti gloriam, ut hanc cauſam commendatam habeas, eámque pietate & prudentiâ tuâ amplectaris, tuáque merita hoc etiam cumulo augeas, neque antea deſiſtas, quàm res optatum exitum habeat, Eccleſia ſcilicet illi ſalutarem, vicinis ſecurum ac tranquillum, bonis omnibus lætum. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die primâ Iannuarij M. D. LXXXIII. Pontificatûs noſtri anno primo. X.

Ad iſtas litteras Guilielmus his verbis reſpondit.

BEATISSIME IN CHRISTO PATER,
Ac Domine benigniſſime.

Ad pedum beatiſſimorum oſcula, devota humillimi filij ſtudia & officia paratiſſima.

NOn equidem reſpondebant animo atque voluntati, quæ Auguſtæ nuper in Conventu illo Imperiali à me præſtari poterant: cupiviſſem in multis meliores ſucceſſus, ac plurium etiam, ad quos non minùs pertinebat ea res, conatus paratiores & conjunctiores meis. Quia tamen ijs tam benigniter contenta eſt Sanctitas Veſtra, ſuæ potiùs gratiæ hoc, amantiſſimíſque optimi Cardinalis prædicationibus debere me video. Iam ad Colonienſem Eccleſiam quod ſpectat, id inprimis mihi valde gratulor, quòd eorum periculorum Sanctitatem Veſtram nihil prorſus lateat: Siquidem ea & de magno iſto incendio, quod religioni non minùs, quàm Reipub. per univerſum Imperium inde imminet, & de everſâ Archiepiſcopi mente rectiſſime agnoſcit. Vnde in ſpem venio ſanè maximam, ad ea conſilia & auxilia reſpecturam Sanctitatem Veſtram, quæ tantis malis remedium afferant efficax & commodum. Id, quod in ſuâ ſit poteſtate conſtitutum, eventum non poterit non habere ſaluberrimum: ubi enim Sanctitas V.ra & ſuâ aget authoritate, cùm in Archiepiſcopum ipſum, tum apud Capitulum iſtius Eccleſiæ, & ſimul etiam Imperatoriam Majeſtatem in negotij partem adducat, non video, quid turbis iſtis comprimendis inſtitui queat magis accommodum. Sanè utriuſque ſummi hujus in terris Magiſtratûs authoritas, juncta præſertim, ſimúlque manus admovens, negligi uti minimè poterit, ita quod nulla poteſtas alia, præſtabit unicè. Sed hic maturato opus erit, ne vires animúmque ſumat majorem effrenis audacia. XI.

Porrò quæ ex me ad istas necessitates proficisci queant, neque consilium neque operam unquam desiderabit Sanctitas V.ra, quamvis imbecilliora esse videam tantis incommodis avertendis, præsertim si non præsentissimis & efficacissimis Sanctitatis V.ra auxilijs inniti queant. Confirmet Deus necessaria & paterna Sanctitatis V.ra consilia, cui me reverenter ac humiliter semper commendo & offero. Datum Monachij XVIII. die Ianuarij. anno M. D. LXXXIII.

Sanctitatis V.ræ

Filius obsequentissimus
Guilielmus.

XII. Hoc videlicet vertebatur, expediretne adversus Gebhardum arma capere, antequam à summo Pontifice sacris infulis, ab Imperatore Septemviratu civilique dominio esset exutus: proinde neque Guilielmo erat integrum, injussu Cæsaris, Germaniæ pacem contra leges turbare, nec suadendum Ernesto fratri, arma adversus indemnatum ut indueret, utrique etiam nimis operosum ac difficile, tam periculosi belli molem proprijs viribus sustinere.

Augebatur interea indies Gebhardi conspiratio, per conjuratos è Comitibus & liberis Nobilibus, quorum numerus jam ad vigesimum quintum excreverat: invalescebant delectus, Bonna ad sustinendam obsidionem rebus necessarijs firmabatur: D. Francisci Patres erant jussi inde facessere: aderant Ducis Bipontini, Casimiri Palatini Comitis, Richardi Ducis Simerensis aliorúmque Principum in aulâ Legati, qui amplissimis promissis Gebhardum; Catholicum urbis Senatum, minis urgebant ad aperienda templa Lutheranæ factioni, liberandos captivos restituendas mulctas, laxandásque habenas grassanti ad Catholicorum perniciem libertati.

Nobilitas Vbiorum, quæ nondum sacra mutârat, à principe Collegio convocata, id duntaxat decernendum credidit, ut Gebhardus denuo officij à Capitulo moneretur, alioqui nihil adhuc movendum: cæteram deliberationem ad totius Provinciæ Comitium, quod ad XXVII. Januarij erat indictum, esse reijciendam. Admonitæ tamen civitates, ne mœnibus plures reciperent milites, aliósve, quàm contra quos suam ipsæ libertatem possent tueri: caverent, ne Bonnensium exemplo, se Gebhardi molitionibus circumscribi paterentur, néve commodarent aures ejus emissarijs, quippe qui patriæ civiúmque saluti insidiarentur. Cæteroqui satis languidè à quibusdam Canonicis res gerebatur: à duobus tribúsve, ferventiùs. Carcinoma ab omnibus cernebatur, nemo audebat attingere. Decanus alijque aliquot ab urbe aberant, alij in consultationibus infrequentes, timidi, ambigui, oscitantes. De Casimiri Palatini Comitis, de Bremensis fœdere, de Comitum Sylvestrium conspiratione nullum erat dubium: timebatur etiam Alenconius, ne, si Parmensis Gebhardo vim moliretur, ipse ad eum divertendum, Regis Catholici provincias invaderet; isque jam ferebatur novum Gallorum exercitum ducere in Brabantiæ Campiniam. Nivenarius mandato Archiepiscopi, per omnem inferiorem Provinciam, curabat novi Evangelij funalia circumferri, sed paucos accendebat.

Archiu. tom. Ann. 83. Nonis Januarijs, Wolfgangus Moguntinus Archiepiscopus Guilielmo per litteras Gebhardi desperata consilia graphicè descripsit: idem postridie præstitit Wirceburgensis Princeps & Antistes. Septimo Idus Janu. Ludovicus Palatinus, Augustus Saxoniæ Electores Imperij, litteris communibus rogavere Cæsarem, ne Gebhardum à complectendâ Augustanâ religione prohiberet, néve idcirco eum insectaretur, sed mandaret Coloniensi Collegio, quò molestum

XIII. ipsi esse desineret. Extant eorum litteræ in tabulario Monacensi. Verùm Cæsar, quod Catholico Principi erat faciendum; respondit, se quidem inscio, Gebhardum Catholicæ religioni nuntium remisisse, sed non videre, quidnam ipsi leges

leges Imperij & Augustana Pacificatio possint suffragari. Ut porrò religionis avitæ desertor, & vinculis profanæ conditionis innexus, sacrosancta Ecclesiæ jura & Septemviri dignitatem retineat, id esse à veteri omnium retro sæculorum consuetudine, ab ipsis Gebhardi juramentis, promissis, pactis, & legibus quà sacris, quà civilibus, prorsus alienum: neque id quidem posse admitti, citra violationem Bullæ aureæ, Pacificationis Augustanæ, citra perturbationem totius statûs Ecclesiastici, eversionem unius Septemviratûs, labem atque supremam concussionem Germanici Imperij.

LITTERÆ RUDOLPHI CÆSARIS DE GEBHARDO.

Certum esse, paucos inquieti ingenij Provinciales esse, qui istam Gebhardi defectionem approbent, majorem saniorémque Archiepiscopalis Collegij partem communi consensu obnixè reclamare & reniti: ob paucorum, qui sequiora sentiant, importuna desideria, nihil esse cur tota Provincia convellatur. Postquam jam Gebhardus se ipse loco ac religione moverit, nil porrò superesse, quàm ut alius in ejus sedem liberâ Collegij electione cooptetur. Huic sua jura, pacta, vetustam consuetudinem, Ecclesiæ verò suam integritatem esse relinquendam. Quare non esse, cur à Cæsareâ Majestate quicquam præter justum bonúmque expectent. Id si ipsi probârint, fore hoc ipsum tranquillitati Imperij, paci servandæ, tutandæ concordiæ, sarciendæ animorum confidentiæ, perquam opportunum.

GREGORII PONT. MAX. SOLICITUDO.

XIV.

Ad hæc Gregorius Pontifex Max. mirè vigilans ac sollicitus binos ex Purpuratorum Senatu, Andream Austrium & Ludovicum Madrutium Legatos destinavit Coloniam, dedit etiam litteras ad Ernestum Episcopum Leodiensem duodecimo Januarij, quibus illi Andream, eum ut consilio juvaret, commendabat, hortabatúrque vehementer, ut Coloniensis Ecclesiæ causam susciperet. Cæsar etiam scripsit Regi Hispaniarum, Parmensi aliísque Principibus in eandem sententiam, egitque per Legatos, ut pro suâ facultate singuli ad extinguendum belli nascentis incendium concurrerent.

SENATUS COLONIENSIS PRÆCLARA CONSTANTIA.

Summopere interim Coloniensis civitas ab Acatholicis Principibus solicitabatur, ut in suam Rempub. novæ religionis Autonomiam reciperet: at ipsa per se constantissima, pérque Cæsaris & Principum cohortationes firmata, veluti Marpesia cautes, in priscâ Majorum fide cum laude immortali perstitit. Ei se adjunxêre Catholicæ Ubiorum civitates. Fridericus Dux Saxo-Lauenburgicus Canonicus Archiepiscopalis Ecclesiæ, vir apprimè Catholicus, per id tempus onerariam Archiepiscopi, quæ annonam militaréque instrumentum Bonnam vehebat, Sonsij attinuit: Arnzbergensis Satrapa Westphaliæ, militem ab Archiepiscopo missum exclusit, negans, se gesturum morem ejusdem litteris, nisi Capituli mandata simul adferrentur. Rechelinghusani & Dorstenses in deligendo novo Magistratu repulêre suspectos, quos Archiepiscopus commendabat. Eundem horrebat Archiepiscopatus universus, paucis exceptis, ob inquinatos mores, vitámque fœdè maculosam. Sic multa quidem erant, quæ bonam spem facerent: haud tamen pauciora, quæ metum.

LITTERÆ BARWITII AD DANDORF.

Madrutius Cardinalis Guilielmo author fuit, ut fœdus Lanspergense inter Principes Catholicos, Alberto V. auctore olim sancitum, pro Catholicæ religionis incolumitate curaret ampliandum, cui respondit Guilielmus, id iam se conatum, sed languidis nonnullorum consilijs nihil adhuc confici potuisse, tentaturum verò se denuò, an quo pacto posset renovari. Advénit sub hæc Coloniam à Summo Pontifice submissus Minutius de Minutijs, vir prudentiâ & rerum usu singularis, qui pro re Catholicâ isthic magno cum fructu desudavit.

Conventus Coloniensium Ordinum ad XXVII. Januarij indictus, frequenti Prælatorum, Nobilitatis & Urbicorum Legatorum præsentiâ habitus est. Postridie ejus diei, manè explicata fuerunt rerum agendarum capita. Subsecuti Solmius, Winnebergius, & Crichingius, qui ab Illustrissimo Canonicorum Collegio secessione factâ, negabant, se probaturos, quæ Presbyteri Collegæ essent constituturi: quasi eorum nulla foret in communi deliberatione habenda ratio.

CONVENTUS COLONIENSIUM ORDINUM.

Verùm explosa illorum contestatio, velut juri firmatæque longo sæculorum usu
XV. consuetudini, repugnans. Adfuere quoque Legati Cæsarei, qui ex Imperatoris mandato Provinciales seriò sui officij admonuerunt. Bipontinus in Conventum fuit admissus. Bremensis etiam adfuit; cúmque hastatis custodibus ad Conclavis vestibulum vellet uti, senatûs edicto statim fuere jussi ex eo loco facessere. Quam rem tulit ægerrimè, exprobravítque Magistratui. Eodem die venit Tengenus & Sulzius: expectabatur Argentinensis Antistes, Manderscheidij Scholastici germanus, qui magnis votis ad Coloniensem Infulam adspirabat. Abfuit Ernestus Bavarus, quæ res aliquorum animos pupugit, ut in eum forent minùs propensi. Hæc porrò fuete capita, de quibus Ordinum sententiæ fuere exquisitæ. Primùm quidem, quid censendum de Gebhardo, qui Collegio Archiepiscopali & Provinciæ Ordinibus inconsultis, contra datam fidem externum militem scripsisset, Bonnam hostiliter habitam præsidio alendo vexasset, vectigalia, unde Capitulo census, usurpasset, contra electionis pacta, à Romanâ Ecclesiâ defecisset, tentaret sacram infulam ac pedum colo peplóque per vetitas nuptias copulare; qui cum externis Principibus clandestinas conspirationes inijsset, Alenconio videlicet, Bipontino, Casimiro & alijs: qui peregrinæ terræ & religionis homines, exclusis indigenis, in consilia rerúmque arcanarum conscientiam adhibuisset. Cæsareowerdensem Præfecturam homini externo demandasset: adversus pacta conventa, contraxisset ingens æs alienum; opes Provinciæ dilapidasset. Exitus Comitij fuit, ut Ordines Metropolitano Capitulo manerent in omnem eventum conjuncti, ac starent legibus antiquis, quicquid demum Gebhardi partiarij obstreperent. Haud inanis metus erat, ne Saxoniæ Septemvir causam Gebhardi defendendam susciperet; verùm Guilielmi hortatu tam non suscepit, ut vehementer etiam datis ad Guilielmum litteris improbârit. Gebhardus Capituli & Ordinum concordiâ territus, 4. Februarij, demandatâ Carolo Trucsessio fratri Bonnæ propugnatione, cum suâ Agnete Dilleburgum ad Joannem Nassovium discessit, avecto secum Archiepiscopali tabulario, thesauro, & pretiosiore sacrarum vestium apparatu. Eodem propè tempore Fridericus Saxo Cæsariswerdam, quam sibi Trucsessius asseruerat, stratagemate in Capituli potestatem reduxit, præsidiatijs aliquot, unóque Præfecto, qui in navi majore curabat, interfectis: cujus rei fama Coloniam perlata, magnum illi favorem conciliavit, quem auxit Brula oppidum ipsúmque castrum, centuriatorum colonorum ope, per ipsum recuperata. Sub idem temporis in inferiore Provinciâ, Alpensis, scalis admotis, Bercham tentans, oppidanorum virtute fuit repulsus: Linnam haud procul inde, Honselarius Trucsessiano præsidio munivit. Gebhardus interim cum Hassiæ Landgravio collocutus, datóque negotio, ut ex Coloniensis Ecclesiæ thesauro Dillenburgi nova moneta ad bellicos sumptus cuderetur, in Westphaliam profectus, loca pleraque indefensa invasit.

Saxoniæ Septemvir Gebhardi causam improbat.

XVI.

Gebhardus Bonna discedit.

Monuerat Cæsar Guilielmum Ducem, Ernesti fratris iter Coloniam, omni quâ posset ope, maturaret; quòd rei summa in ejus adventu consilijsque verteretur. Suspensus eatenus hæserat Ernestus eâ maximè causâ, quòd non nullis, à quibus in nuperâ electione in fraudem fuerat inductus, non crederet esse fidendum, résque ipsa ingentem laborum, curarum, impensarum, periculorum molem, dubio admodum eventui haberet annexam. Nihilo tamen minùs cessit Cæsaris & Guilielmi auctoritati, ne periclitantem Ubiorum causam Ecclesiámque nutantem desereret. Adolescente ergo Martio, citatis itineribus Frisingâ Mittelburgum profectus, incognito habitu & tenui comitatu, qui speciem Austriacorum Nobilium referret, impedimentis in naves impositis, secundo Mœno in Rhenum illapsus, ubi in S. Goaris conspectum venit; cùm aliquæ naves de more ad telonium applicuissent, ipséque in onerariâ medio Rheno staret in anchoris, ballistarum ænearum telis appetitus, inque cymbam actuariam receptus, extra præsens discrimen evasit Poppardiam Trevirensis Imperij oppidum

Litt. Dandorf. ad Barvitium.

Ernestus Coloniam profectus.

XVII.

dum, dum comitatus appulsus, per Hassicos publicanos, præfectúmque, multis quæstionibus exploraretur. Hassus suspicabatur, eâ classe vehi Austrium Cardinalem. Inde junctis rursus Poppardiæ navibus, insidias Caroli Truchsessij ipsámque Coloniam prætervectus, die Martij octavo decimo, Dusseldorpium navigans, cùm unius diei colloquio cum Duce Juliacensi consilia communicasset, Rheno adverso Coloniam salvus gratissimúsque Canonicorum potiori Collegio, totique urbi, advénit. Nata ex ejus adventu insignis animorum conversio, omnibus ad novi Archiepiscopi creationem intentis. Eam differebat Legati Apostolici absentia: ambiguam reddebant tergeminæ factiones, quarum una studebat Friderico Saxoni, altera Ernesto, tertia Manderscheidio: timidam faciebant minaciæ Gebhardi, ultima exempla denunciantis, si quicquam Collegæ Supremi Capituli in ejus perniciem molirentur. Meras etiam calamitates intonabat Casimirus Palatinus per epistolas, quarum unam ad Ernestum dedit nono decimo Martij, alteram ad Capitulum vigesimo octavo ejusdem mensis. Rudolphus Cæsar suadebat, ut à Gebhardo per annuam pensitationem, de Coloniensis Ecclesiæ censibus, quies Imperiique otium emeretur. CANONICORUM FACTIONES.

Id consilium vehementer improbabant alij, quòd tali conventione, ostio discolorum Antistitum defectionibus aperto, certa Germanicis Ecclesijs ruina inveheretur. Juvat uno quasi aspectu Coloniensium rerum & pleræque Germaniæ statum ex Alexandri Farnesij epistolâ, ad Colonienses calendis Aprilibus datâ intueri. In eâ vehementer perstrinxit Calvini sectatores quidlibet audentes, & præ Martinistis (sic vocat Lutheranos) Imperij fundamenta labefacientes, sollicitatâ credendi libertate, aditúque ad sacerdotia, Ecclesiasticósque Principatus, quibus egentiores acatholici Principes ac Dynastæ, depulsâ domesticâ egestate, pristinum familiarum splendorem instaurarent. Jam Casimirus, Bipontini, Simerenses, qui in utraque Rheni ripa acatholici incolebant, à Luthero ad Calvinum transierant, plerique Gallicis obstricti stipendijs, vel privatis alijs necessitudinibus. Quamplurimi lætabantur, natam esse ex Gebhardi facinore rerum novandarum occasionem; quasi jam adesset audendi tempus, & novam fortunam fabricandi. Casimirus duo equitum millia peregrino ære legerat, legebátque in horas complures, & gravis erat suspicio, exteris pecuniam suppeditantibus, Bonnam pignoris loco esse addictam, ubi illorum statio, ad infestandum Rheni littus utrumque, accidendúmque Imperij limitem, poneretur. Ex eodem capite credebantur prodijsse voces Protestantium in postremis Comitijs, qui, cùm de rebus Belgicis & Cameracensibus sententiæ dicerentur, haud dissimulârant, perinde sibi fore, Hispani, an Galli, Belgio potirentur, modò ipsis sua quies otiúmque constaret. Constabat, omnium, qui ad Comitia venerant, audacissimos fuisse Septemviri Palatini & Casimiri Legatos, ídque Gallicorum (inter quos Plessius) instinctu, qui tametsi à Cæsare Comitiorum aditu fuerant prohibiti, clàm tamen in Palatinorum contubernia irrepserant. Gebhardus in Westphalis caput conferebat cum Bremensi, alijsque Principibus, augebat exercitum, & non vanis indicijs cum Duce Alenconio, (quod Ubij ipsi objecere) credebatur conspirare. Arensbergæ cùm Ordinum Westphalicorum conventum ageret, suam Apologiam vulgavit, quâ Westphalis imposuit, ut religionis mutationem, ejúsque connubium exoscularentur, scriberent Coloniensi Collegio, se ob Augustanam confessionem à Gebhardo discedere non posse. Exinde spoliata Monasteria, ædes sacræ direptæ, fractæ Divorum Imagines, sacramenta conculcata, inducti novi Evangelij Præcones, passim tumultuatum, Werlæ præsertim, quicquid contrà Eberardus Solmensis, Reckius, Hazfeldius, Joannes Drostius, Cleinsorgius, alijque Catholici niterentur. Coloniæ nobilis quidam patriâ Juliacensis, Calvini assecla, Gebhardi emissarius, Illustrium Canonicorum fidem clanculariis cuniculis tentabat, erátque author, arma ut ponerent, sinerentque Gebhardum in Catholicum aliquem Principem Archiepiscopatum transferre. Idem constantiam Ducis Juliacensis ausus erat appetere, propositis magnis affinitatibus ac præmijs, si tragœ-

XIIX. *Codex M. S. anni 83. Epist. Parmensis. cal. April. an. 83.* RERUM STATUS IN GERMANIA.

XIX.

diæ

diæ mallet esse spectator, quàm actor. Non deerant, qui Ernesto, loco Leodiensis Episcopatûs, Metensem, & sexaginta prætereà aureorum, in singulos annos, millia offerrent, si ad Coloniensem sedem eveheretur.

Moguntinus Septemvir, tametsi salutaria suadebat, dubius tamen hærebat Aschaffenburgi, veritus, ne Casimirus aliíque Principes Palatini, novi quippiam è vicino, in Konigssteinium aliáve loca molirentur. Trevirensis Wedanum, Winnebergium, aliósque Principes ac Comites habebat infestos.

XX. Juliacensis tametsi egregiam voluntatem præ se ferebat per crebras ad Collegium Coloniense litteras & Legationes, quicquid tamen polliceretur, non credebatur esse firmum, quòd assensu Juliacensium Ordinum, in quos Acatholicismus haud obscurè irrepserat (ne aulâ quidem consilióque incorruptis) non probaretur. Cæsar procùl aberat, deerat exercitus; ipsius intererat, non turbari pacem Imperij. Coloniensibus etiam atque etiam providendum erat, ne interceptâ commeandi libertate, commercium annonáque interciperetur. Areburgicus cum non contemnendâ militis Hispaniensis manu, Friderico Saxoni accesserat; sed ubi Saxo advertit suas spes de adeundo Archiepiscopatu & vota suffragatorum languescere, auxilia regia, ipsámque militiam fastidiebat. Arnoldus Comes Manderscheidius, spretis Capituli mandatis, cum stomacho Coloniâ discesserat. Interim Nivenarius inferiores Ubios vastabat, cessantibus Hispanicis suppetijs, quarum hiberno contubernio agrestes mirè offendebantur. Si quid seriò agendum erat in Conventibus, Ubiorum inter Catholicos hæ plerumque voces audiebantur, Gebhardum nondum esse dejectum dignitate, abesse Legatos Pontificios, sine quibus nihil certi posset confici.

Quamobrem Collegium Metropolitanum, litteris ad Vercellensem Episcopum Nuntium Apostolicum postrid. cal. Aprilis datis, magnopere urgebat, ut tum ipse, tum Andreas Austrius Legatus à Latere, quantâ possent celeritate Coloniam festinarent: quippe quorum ductu & authoritate nitendum esset, ac decernendum, an adversus Gebhardum palàm à Catholicâ religione ad Augustanam, à Pontificio cœlibatu ad incestas nuptias transfugam, citra longam litis ambagem & citationem, ad novi Præsulis electionem esset procedendum, quam Collegium, secundum sacros Canones & rei Catholicæ bonum futuram pollicebatur.

XXI. *Litt. dat. 3. April.* Inter hæc Principes Acatholici Wormatiæ coacti, ad octo menses Gebhardo auxilia decrevêre, Ductore Joanne Casimiro. Vicissim Colonienses à Guilielmo Bavaro auxilia rogârunt, quæ ipse se præstiturum recepit, præstititque abunde, uti pauló pòst recensebitur. Jam habebat sub signis Truchsessius è Westphalis ad duodecim armatorum millia; expectabat à Germanicis Protestantibus longè plures, Bonnæ curabant bis mille circiter.

De his plerisque per Ferdinandum Archiducem, Andreæ Cardinalis parentem, certior factus Gregorius Pont. Max. ne longiore cunctatione Coloniensis Ecclesia in supremum discrimen differretur; cognito, Andream Cardinalem eò penetrare non posse, calend. April. in secreto Cardinalium Senatu, Gebhardum velut desertæ fidei Catholicæ, & sacri Ordinis flagitiosè pessumdati manifestum, de gradu Archiepiscopi conceptis verbis dejecit, Capitulum jussit ad novi Archiepiscopi electionem primo quoque tempore progredi, & damnationis sententiam per Episcopum Vercellensem ad Ubios deferendam, Andreæ Cardinali Austriaco transmisit. Iis Coloniæ vulgatis, Illustrissimum Collegium, Maij proximi diem vigesimam secundam novæ Electioni constituit. Dubitatum fuit, quinam absentium Canonicorum essent ad suffragandum vocandi & admittendi. Hermannus Comes Solmensis, Joannes Baro Winnebergius palàm Acatholicos ritus sectabantur: Henricus Saxoniæ Dux postulatus Archiepiscopus Bremensis, qui idem Episcopatu Osnabrugensi & Padebornensi potiebatur, ferebatur sacra Catholica aversari: Thomas Baro Crichingius tametsi se pro Catholico gereret, videbatur tamen Truchsessij partes fovere: Malaspina Nuntius Apostolicus vetuit admitti ad Comitium Acatholicos, quippe quos sacræ

GEBHARDUS GRADU MOVETUR.

cræ

cræ leges excluderent. Trucſeſſius per litteras hortatus eſt Nobilitatem, ne electionem comprobaret: Caſimirus, Bipontinus, & Carolus Trucſeſſius minaces ad Capitulum dedêre Epiſtolas. Sparſa quoque per opificum Sodalitates quina exempla litterarum, quibus Carolus Trucſeſſius hortabatur cives, ut electionem diſturbarent: verùm Sodalitates ne lectas quidem, ſine ullo motu exhibuere Senatui. Fridericus Saxo Coloniam redijt, ivítque in ſuffragium. Ob rem præclarè geſtam à Capitulo donatus fuit Hulckenradio cum agro annexo, qui fuerat Nivenario Comiti nuper ereptus. Salentinus Iſenburgicus & Arburgicus cum ſuis copijs extra urbem excubabant, ne quid turbarum foris oriretur. Solmius & Winnebergicus abſentes, ſcripto dehortati ſunt Canonicos ab electione: Bremenſis neque interfuit electioni, neque miſit ſuffragium: abfuit quoque Thomas Baro Crichingius. Fridericus Saxo, cognitâ ſuorum ſuffragatorum paucitate, ad Erneſti partes acceſſit. Manderſcheidio nullus adhæſit: Itaque placidè, nemine prorſus diſcrepante, Erneſtus Bavarus omnium (fuere autem novendecim) votis, Archiepiſcopus eſt renunciatus, circa horam decimam matutinam, cum incredibili urbis, Ordinúmque plauſu & gratulatione. Qua de re Joannes Franciſcus Malaſpina Vercellenſis Epiſcopus Nuntius Pontificis, Guilielmo ſcripſit in hæc verba. XXII. Ernestus eligitur Colonienſis Archiepiscopus.

Seren^me. Princeps ac Domine, Domine mihi ſemper colendiſſime. Quod cupiebamus, impetravimus. Erneſtum Celſitudinis veſtræ Seren^mæ. fratrem habemus in Archiepiſcopum Colonienſem, hócque ipſo manè paulò poſt ſacrum de Spiritu Sancto cantatum, nemine ex Canonicis, qui aderant, diſcrepante, electum. Vtinam ipſe, quemadmodum ſeriò illum monui, & moniturus ſum iterum, antequam diſcedat, divinæ gratiæ ſibi collatæ magnitudinem intelligat, abjectíſque juvenilibus ac levioribus ſtudijs, id unum agat, meditetúrque in dies ac noctes, ad quod ſanè peculiari quâdam prærogativâ vocatum illum eſſe, nemo eſt, qui ambigere queat: unde non modò ad Colonienſis Eccleſiæ damna ſarcienda, eámque in priſtinam libertatem & ſtatum vindicandam, verùm etiam ad Germaniam propè univerſam avitæ religioni ac dignitati reſtituendam. Ex quo ſibi primùm, deinde etiam Bavaricæ familiæ ſempiternam gloriam comparare poſſit quàm facillimè. Plura hac de re ſcribere non licet; quòd ex podagrâ chiragráque graviter laboro. Gratulationis officia ijs, qui cogniti non ſatis ſunt, relinquo. Celſitudo enim V^ra optimè novit, quali ego ſim erga illam & Sereniſſimum fratrem voluntate. Fuſiùs verò aliàs litteris, vel fortaſſe coràm in reditu. Rogandus jam Deus eſt, ut Sanctiſſimum ſpiritum ſuum ei infundat, quo poſſit munus hoc Archiepiſcopale, ſecundum divinam voluntatem, integrè exactéque adminiſtrare; quod ego equidem ſummis precibus à Domino petere, & Sereniſſ^mæ Veſtræ familiæ univerſæ omne veræ felicitatis genus precari nunquam intermitto. Coloniæ Agrippinæ 4. Non. Iunij. Anno M. D. LXXXIII. XXIII.

Erneſtus poſtridie quàm fuerat electus, in Canonicorum Illuſtri Conſiſtorio multa præclarè diſſeruit de Archiepiſcopatûs reſtauratione, de perpetuandâ cum urbico Senatu amicitiâ, de religione ex normâ Concilij Tridentini profitendâ, per eos præcipuè, qui ad Archiepiſcopale Collegium forent admittendi: quæ omnia pronis excepta auribus, magnam lætitiam, ſpémque de futuræ adminiſtrationis æquitate ac ſapientiâ, in omnium auditorum animis concitârunt. Cùm eodem die Civico ſenatui Principúmque Legatis ſolenne epulum exhiberet, mirè omnibus ſatisfecit, quando ſe omnem daturum operam eſt pollicitus, eliminandis ex universâ Provinciâ Novatorum erroribus, & Cleri moribus reformandis, petens viciſſim, ut Senatus ſuis partibus non deeſſet. Tertio die Lechenichum contendit, Tengeno & Geriſteinio Canonicis comitantibus. Inde per Zulichium Brüelam provectus, cum Salentino, Arburgico, aliíſque præcipui nominis viris de belli ratione collocutus eſt.

Erneſti electione Bonnæ vulgatâ, milites in Carolum Trucſeſſium tumultuati, unius menſis ſtipendium à Gubernatore expreſſerunt. Hic Bonnenſes D. Caſſij Canonicos, qui civitate non exceſſerant, conjecit in vincula, ſeniore Tumultus Bonnensis præsidii. XXIV.

excepto, ut à cæteris, qui profugerant, captivorum lytrum exigeret. D. Caſſij templum transſcripſit Lutheranis ritibus ac declamationibus. Lotharingici equites, ex Alenconij reliquijs ad Gebhardi ſigna pellecti, cognito, Erneſtum è Boico ſanguine ad pedum Colonienſe eſſe deſtinatum, negârunt, ſe adverſus Catholicum & Lotharingo ſanguini innexum Principem, arma laturos. Bonna ſub exeuntem Junium, à Salentino quidem obſidione claudebatur, ſed cùm tormenta nondum veniſſent in caſtra, nihil magni gerebatur. Colonienſes, quo minùs illa è ſuo armamentario commodarent, vetabantur juramenti religione, quâ tenebantur obſtricti, ne cuiquam extra ſua pomeria bellicum inſtrumentum præberent. In ijs præbendis Ducis Juliacenſis conſiliarij ſe præbuêre tardos ac difficiles, quòd pleraque Nobilitas ad medias partes proclivis, ab hoc bello eſſet aliena, ipſe verò Princeps, tametſi optima quæque præſeferret, citra conſenſum Ordinum nihil poſſet. Quamobrem cùm novæ ſuppetiæ in civitatem hoſti acceſſiſſent, obſidio fuit ſoluta, datáque hoſtibus facultas, prædas agendi, colligendi meſſem, bina Sanctimonialium Cœnobia, quorum alterum in medio ferè Rheno eſt, alterum haud procul à margine, diripiendi. Nihilo feliciùs à Friderico Saxone & Arenbergio in Ubijs inferioribus res gerebantur.

Bonna languide obsessa et dimissa.

Hæc dum in eo foret, Erneſtus in Eburonibus, & Germaniâ militem legebat. Caſimirus Palatinus longè infra famam, quæ illum cum viginti Gallorum millibus adventantem jactaverat, ſeptem circiter peditum equitúmque millia adduxit. Interceptæ fuerunt ejus litteræ ſcriptæ Mulheimij, quibus Gebhardi fortunam indies in deterius ruentem deplorabat, accuſans Gallorum inconſtantiam, qui denuntiabant, ſe ultra duodecimum diem, quo militiæ tempus finiretur, in caſtris non futuros, & non raró cum Germanis, gentis odio, digladiebantur. Thomas Crichingius ſub id temporis, ab agreſtibus Unckelio rejectus fuit, cum Vaſconum, quos Gebhardo ducebat, clade. Tuitium Coloniæ trans Rhenum oppoſitum, ſextâ Auguſti, à Trueſeſſianis incenſum. S. Heriberti Monaſterium quinto pòſt die concrematum. Septembri menſe Francofurti ad Mœnum Comitia fuere habita, ad quæ Rudolphus Cæſar Imperij Septemviros & Principes, ad cognoſcendam Ubiorum cauſam evocârat. Adfuit pro Erneſto Salentinus Iſenburgicus, habuit & Gebhardus ſuos: cauſa Bavari poſt acrem diſceptationem probata fuit parti potiori. Inde Cæſar per Fecialem, Caſimirum, Carolum Trueſeſſium, Comitem Nivenarium, omnéſque Trueſeſſij partiarios juſſit ab armis diſcedere, occupata deſerere, ablata reſtituere, vel proximo quoque tempore proſcriptionis ſententiam expectare. Cujus edicti fama per exercitum vulgata haud paucos à ſignis abduxit. Caſimirus, ſeu proſcriptionis metu, ſive quòd nunc in Ubijs, uti olim in Galliâ & Belgio adverſum Martem eſſet expertus, auditâ Ludovici Septemviri fratris morte, quaſi Nepoti hæredi opitulaturus, cùm duos menſes Gebhardo militaſſet, agro Montenſi miſerè, vaſtato, Arenbergio ejus tergo perpetuò hærente, cum magnâ ſuorum, præſertim Vaſconum, qui D. Heriberti ædem incenderant, clade, ſe in Palatinatum recepit. Buyus Gallus dum ſuis vult opem ferre, à Bavaris fuit captus. Caſtra demum caſtris fuerunt oppoſita, Rheno interfluente. Erneſtus ſub ſignis habebat novem duntaxat millia ſub Ferdinando Fratre, qui è Boicâ ſimulato habitu, & frequenter mutato profectionis modo advenerat. Eum è Boicâ ſubſecuti ſunt mille alarij, legionarij ter mille. Gregorius Pontif. Max. ſexaginta aureorum millia ad belli ſubſidium, pro inſigni ſuo in Boicos Principes & Eccleſiam Colonienſem affectu, opportunè admodum in magnâ ſtipendiorum & temporum difficultate, Erneſto curavit numeranda, additâ nuperæ Electionis comprobatione, ſcriptâ Nonis Octobribus. Guilielmus, præter ingentem ſummam, quam in conſcribendis, quos dixi, quatuor armatorum millibus fecerat, inſignem pecuniam miſit Erneſto, quâ ad belli ſumptus uteretur. Languidè ſatis rei ſumma inter velitares conflictus & militares prædas adhuc ſteterat, donec

Comitia Francofurtensia.
Sur. p. 1095.
Casimirus proscribitur.

Ferdinandus Boius bello præficitur.

nec Ferdinandus Ernesti frater, decimâ Octobris, universi exercitûs imperator est renunciatus, Erhardo verò Hoheneckio, qui è Boicâ cum mille equitibus à Guilielmo missus in castra advenerat, demandata cura totius equitatûs. Eodem die, duxit Ferdinandus in hostem cum aliquâ copiarum parte, Rheno adverso, per hosticum, crebris ballistarum explosionibus petitus, nemine tamen è suis desiderato, hosce verò castra sæpe huc illuc pro variâ rerum formâ transferente. MOVET IN HOSTEM. *Litt. Ferdinandi data 19. Octob.*

XXV.

Prosperos rerum progressus haud parùm retardaverant Belgicorum auxiliorum & Germanorum discordiæ, ex quibus subinde oriebantur (ut fit inter diversa nationis ingenia) tumultus, secessiones, æmulationes, quæ faciebant, ut si quid fortiter esset gerendum, confidenter suscipi nequiret, his vel illis ductorum imperia, æmulorum gloriam, prosperósq; successus aversantibus. Res, Ferdinando urgente, haud paulò acriùs gerebantur, hostium viribus Casimiri discessu insigniter diminutis. Nono Octobris, Philippus Marchio Badensis ad Ferdinandi castra, septuaginta stipatus equitibus venit, gratus Ernesto juxtà ac Ferdinando consobrinis. Comes Nivenarius nihilo seciùs, Inferiorem Ubiorum tractum infesto milite tuebatur; Alosto pago, qui à Muersensi oppido distat mille circiter passibus, arce & geminis Monasterijs clarus, per Alpensem Comitem septingentorum præsidio ad agrum Kempensem devastandum firmato. Eo comperto, Ferdinandus Fridericum Saxonem, qui res isthîc gerebat, monuerat, se auxilia adversus Nivenarium maturaturum, quibus acceptis cum hoste confligeret. Verùm ille non expectatis suppetijs, Alostum obsedit, unà cum Aytâ Gandavensium Præposito, viro togâ sagóque inprimis claro. Friderico tandem accessêre, Ductore Kespenojo, aliquot Eburonum veteranæ cohortes. Præsidiarij Alostenses jam pressi cinctu arctiore, frequentes erumpebant variâ fortunâ. Protracta est in aliquot hebdomades obsidio. Trucsessius, ne obsessos desereret, contractis ex universâ Westphalia copijs, nova Ferdinandi auxilia, quæ Ductore Schwarzenburgio ad Fridericum properabant, antevertit. Ergo duplici agmine progressus celerrimè, priùs fuit in Friderici conspectu, quàm propinquantis fama in castris audiretur. Erat tunc in procinctu Petrus Pazius cum Hispanico subsidio, quod à Friderico in horas expectabatur. Wallones, qui in excubijs erant, cùm eminus equitum peditúmque globos adproperantes cernerent, regios esse arbitrati, stetêre immoti, donec hostilia signa conspicati, pedem retulere, ut Germanis, qui aciem instruebant, sese adjungerent. Germani rati Eburones fugere, confusis ordinibus fugam ineunt: Trucsessiani equites, qui in proximo nemore stabant in insidijs, in confusos irruunt, vertúntque in effusam fugam. Supererant Eburones sub signis: in hos mota hostium acies universa, cùm paucis acerrimè dimicantibus incumberet numero magis quàm fortitudine, multis hinc & inde cadentibus, cruentam victoriam reportavit, Eburonibus omnibus in vestigio obtritis. Germani plerique evasere, impedimentis hosti relictis. Fridericus victoriâ jam desperatâ, equo celeri in arcem Hulkenradensem salvus pervenit. Præpositus Gandavensis ægrè à pugnâ divulsus, Kempam se recepit. Comes Rifferscheidius aliique, prout cuique opportunum, fuere dilapsi: Kespenoius cum alijs aliquot Præfectis, saucius venit in hostium potestatem. Alpensis, partâ hac de Bavaricis victoriâ, labascentes Trucsessianorum animos mirum in modum erexit; nobilibúsque devictorum exuvijs, quot trecenti currus ægrè asportarunt, victorem militem recreavit: quatuor præterea campestribus tormentis est potitus. *Surius.* XXVI. *Isselt. p. 408.* CLADES FRIDERICI SAXONIS.

Quarto decimo Novembris Ferdinandus arcem Poppelsdorfensem obsedit, expugnavit, eodémque die à Guilielmo fratre è Boicâ novas equestres pedestrésque copias ductore Erlacho accepit. Trucsessius postremo anni mense, rursus edicto publico, religionis Avtonomiam, quâ unusquisque, quos vellet ritus & credendi formam pro arbitrio sumeret, vulgavit: Ipse verò Bonnam regressus, Calvinianos præcones pro concione audijt. Quamobrem Coloniæ cives aliqui TRUCSESSIUS CALVINIANOS PRÆCONES AUDIT.

ejus exemplo permoti, à Senatu denuo religionis libertatem & templum, in quo suis sacris operarentur, postulantes, novam tulêre repulsam.

XXVII. Nuperam Bavarorum cladem compensavit memorabilis Godesbergæ expugnatio. Est Godesberga mons præruptus, ascensu eò usque præcipiti ac difficili, ut nulla in ejus fastigium tormenta vehi possint: creditur à Gentilibus locus Mercurio fuisse dedicatus, à Christianis autem, proscriptâ Idololatriâ, D. Archangeli Michaëlis æde consecratus, tandémque sub annum à Christo nato M.CC.XIV. à Theodorico Montensi Comite Coloniensi Archiepiscopo constructâ in sublimi arce munitus. In hac arce erat è Belgis epibatis, præduro ac feroci hominum genere præsidium. Ferdinandus agrum finitimum excursionibus ac prædis ut eximeret, locum arctâ cinxit obsidione. Expugnationem aggressus est tormentis in objecto colle: sed cùm labes illata mœnibus facili negotio à præsidiarijs obstrueretur, frustráq; foret vis ballistarum, mutato consilio, rem agendis cuniculis aggreditur. Accitis igitur fossoribus, quà parte rupes erat facilior, jubet sub arcem, magno licèt molimine, excisâ petrâ igniariæ machinationis ductus & fornaculas excavari. In hoc opere dies aliquot consumpti. Cùm verò suffossio eò jam foret producta, ut mœnium fundamenta & bona pars arcis vi nitrati pulveris everti posse crederentur, subjecto fomite, qui inclusam catapultariæ materiei copiam accenderet, obsessi, quod jam aliàs factum erat, ad faciendam deditionem fuerunt invitati. Detrectârunt illi protervè omnem pactionem, non sine obsidentium ludibrio. Ergo sub horam primam à meridie ignem concipiunt cuniculi, flammáque è rupe prorumpens, murum, turrem, propugnacula suis revulsa sedibus, horrendo fragore in altum everberat, tantámque edit ruinam, ut jam per longam muri labem, arx pateret incursioni. Præsidiarij nihilo seciùs convectis ad dejectam parietinam tormentis, tonant in subeuntes, objectísque pro mœnium strage pectoribus, summâ vi conantur amoliri cominus invadentes. Dimi-

Godesbergæ expugnatio.

XXIIX. catum atrociter: sed cùm Bavarici numero superiores, mutatis in orbem vicibus, impressioni nullum finem facerent, jámq; starent in muri ruderibus, propugnatoribus paulatim cedentibus, tota munitio fuit extorta. Ex ijs septuaginta duo reperti superstites, neci omnes addicti, tum quòd truculentus hominum genius nihil nisi futura latrocinia perfidiámque polliceretur, tum quòd oblatam vitæ gratiam petulanter respuissent. Abbas Esterbacensis, quem grassatores isti, ante menses aliquot, captivum in suum spoliarium abduxerant, in libertatem assertus, memor non illiberalis captivitatis ac benevolentiæ, quam à centurione, qui arci præerat, fuerat expertus, eidem capitis veniam à Ferdinando impetravit. Vinculis exemptus fuit Ranucinus patriâ Florentinus, qui in Tuitij excidio, in hostium manus venerat. Hildesiensis verò Procepiscopus paulò antè in carcere objerat. Hac obsidione perfunctus Ferdinandus, stipendia militi jussit persolvi, & nonnihil indulgeri quietis, quò generosiùs incumberent propediem inchoandæ Bonnensium obsidioni. Godesbergam subactam scribunt decimâ septimâ Decembris. Inter hæc Trucsessianæ copiæ degebant ad Schonsteinium, inde machinas curules in Westphaliam, ubi Gebhardus belli sedem figere statuerat, avecturæ. Cæteroqui cùm hostis indies rebus magis magísque diffideret, à compluribus, qui Gebhardo tot malorum authores fuerant, desertus, ab armis, in quibus denique parùm videbat fore præsidij, ad malas artes conversus, octo sicarios conduxit, qui Ernestum simul ac Ferdinandum è medio tollerent. Sed enim uterque Numinis propitiam manum tutelámque expertus, id evasit discriminis, unius è percussoribus ultroneâ denunciatione. Is, stimulante conscientiâ, facinus atrox atque infame detestatus, pactâ cogitati sceleris impunitate, meditatas jámque dispositas insidias unà cum criminis socijs edidit, ex quibus aliquot comprehensi, parricidij consilium capite luerunt.

Litt. Ferdinandi. Isselt. p. 401.

Insidiæ Ernesto et Ferdinando structæ per Sicarios. An. M.D. LXXXIV.

XXIX. Bonna, in superiore Provinciâ, Gebhardo erat reliqua, quâ bellum & inane Principis nomen, in istis partibus defenderet: tametsi foret hiems aspera & obsidentibus intempesta, nihilominus Ferdinandus Ernesti jussu & Ordinum flagita-

Bonnæ obsidio.

gitatione, hunc etiam receptum hosti statuit eripere. Gebhardo in Westphaliam reverso, Carolus frater, majori spe, quàm robore locum tuebatur. Ferdinandus, interclusâ non terrâ modò sed etiam flumine, commeandi libertate, annonam prohibebat, & excursiones. Mox inde adhibuit cinctum arctiorem, & propugnaculum verberandæ civitati, claudendæque navigationi opportunum. Res ibat non improsperè, sed deerant militi stipendia, quibus longè impar erat collectitia Provincialium tametsi grandis contributio. Quâ de re Ferdinandus apud Guilielmum fratrem conquestus, etiam atque etiam ursit, ut prompta adferret remedia. Habebat in castris quatuor lectissimas Burgundionum turmas, duce Thorasio, forte quidem, sed petax & inopiæ impatiens bellatorum genus. Aderant totidem Italorum equitum centuriæ, sub Nicolao Bosco, quinque præterea vexillationes Eburonum. Peditatus ex Germanis, Wallonibus & Boijs, constabat signis quadraginta. His omnibus de annonâ nummisque oportebat esse prospectum, quorum alterum si deficeret, metuendum erat, ne vel seditionem moverent, vel brumæ rigoribus indignati, à signis diffluerent. *Lit. ad Guilielm.*

Sed neque obsessis erat res copiosior. Deerant pecuniæ, faces nocturnæ: sal defecerat, lignatio petebatur ex tectis ædium, lignéaque supellectili, cibatio angusta & maligna, miles ferè à Duce alienus, civis haud obscurè infensus, quòd in hominis exauctorati, & Romanis sacris infensi gratiam, civitas alioqui pia, durè vexaretur. Nec Carolus ipse sibi satis constabat, metu anxius, & casus ipsos (quod territis familiare est) vertens in malè ominata prodigia. Magnificas ad telonium ædes sibi habitandas delegerat: id conspicati ex objecto propugnaculo oppugnatores, librato in eam domum tormento, unicâ pilâ, terna ex ordine conclavia perfodiunt: inde globus in Caroli cubile penetrans, ensem lectulo appensum, in tres partes diffringit, unúmque fragmen tantâ vi infigit parieti, ut nonnisi magnâ vi evelleretur. Sed & baculum imperatoris insigne in frusta comminuit. Accessit & aliud, si vera fama est, quam refert Isseltius. Dum vigeret obsidio, ex gentilitio Gebhardi scuto, quod Bonnensi telonio præfigebatur, trium Leonum effigies, pulli coloris, in flavâ areâ, quod Trucsessiorum est Symbolum, nullo propellente, in terram decidit, quod item Carolus interpretatus est nescio quid infausti præsagire. Idem meminerat, Gebhardo, cum è Canonicorum subsellijs nondum emersisset, Antuerpiæ ominosum quid in eodem genere, sed eventu dispari contigisse. Cùm Annæ Austriacæ Hispaniarum Regi nupturæ, Antverpienses honoris causâ, arcum triumphalem advenienti erexissent, eo posuerant Imperatoris ac Septemvirûm Imperij icones, & depicta ad singulorum pedes insignia. Cùm Gebhardus opus attentè lustraret, subitò Electoris Coloniensis tessera è sublimi in lustrantis pileum delabitur. Ab adstante admonitus, signum galero hærens inspicit, notánsque esse Coloniensis Septemviri: Id, inquit, meum erit aliquando, & tabellam in sinu recondit. Hæc Carolus secum animo repetens, non inscitè colligebat, casum Antuerpiensem fuisse omen futuræ dignationis; Bonnensem, monstrare fortunæ labascentis finem ac ruinam. Sed longè fuit illi portentum certius, cæsus Gebhardi miles, quem Bonnæ laboranti auxilio miserat. Henrico enim Brunsvicensi notho, & Adolfo Nivenario Comiti negotium dederat, ut, quantâ possent celeritate, Carolo Fratri periclitanti suppetias festinarent. Mox Henricus triginta peditum cohortes, & octonas alariorum turmas, universè quinque armatorum millia collegit: his aliquot cohortes è Sicambris addidit Nivenarius. Istis instructus copijs Bonnam properabat, annonam præsidiúmque in urbem importaturus. Boiarij multò, quàm nuper ad Alostum, sagaciores, facti de istâ expeditione certiores, tempestivè mittunt venienti tredecim equitum, decem peditum signa, obviam. Brunsvicensis fluvio, cui Ager nomen est, & arbustis protectus, pervenit Siegburgum ad Siegum amnem, quem ponte sublicio erat transmissurus. Est in ulteriore ripâ sylva densis opaca arboribus, in quâ Bavarici Henrico inexplorati, constiterant, adscitis è vicino accolis, peditatuique succenturiatis. Inde spectârunt Trucsessianos in citeriorem ripam evadentes,

PORTENTA GEBHARDO ADVERSA.

XXX.

Famian. Strada. lib. 1

SUPPETIÆ GEBHARDI CÆDUNTUR.

donec eorum pars potior flumen ſuperaverat. Cùm jam Henrici copiæ, medio amne diremptæ ſibi mutuò non poſſent ſuccurrere, Bavarici cum ingenti clamore erumpentes ex inſidijs, ut in re ſubitâ, hoſtem circumventum conXXXI. fuſóſque ordines, proturbant. Miſeri metu propè exanimes ad ſuos refugiunt in adverſam ripam. Dum Boici tergis inſtant fugientium, pars elabitur ad pontem, pars in fugâ ferro obtruncatur. Ex his, qui ad pontem venerant, confertim ſeſe inferentes, ſublicis tabuliſque nimio pondere depreſſis, ſublabenti flumine involuti, extinctique magno numero, alij internecione deleti. Qui è regione ſupererant, triſti ſuorum ſpectaculo perculſi, relictis impedimentis, per Tuitium & Mullemium Bercam refugerunt. Boici inter ſpolia legerunt annonam ſalariam, pernas Weſtphalico more ſuccidias, arma, ſulphureum pulverem, aliud belli inſtrumentum.

Ea clades Trucſeſſij ſpes de retinendâ Bonnâ decollavit. Unicum in votis erat reliquum, ut Carolum fratrem periculo ſaltem eriperet. Id conſilium, quod

Gebhardi litteræ interceptæ.

credebat fratri ſalutare, Numine adverſante, vertit in ejus perniciem: tam nihil prudens fauſtúmque eſt, quod Deum non habet adſpirantem. Ergo ad fratrem deſtinat tabellarium cum litteris, quibus eum clàm monebat, quâcunque demum ratione diſcrimini ut ſe ocyùs ſubduceret: adjunxerat alias, quas Carolus militi oſtentaret, plenas ſpei magnæ, ingentiúmque pollicitationum. Has ſic ſparſit in vulgus, ut, quod ægræ menti nimiùm difficile, vultu, ſubitis indicijs, curas metúmque vel incogitans non diſſimularet. Ductores his rebus permoti, denique verum perveſtigant, deſperatas nimirum eſſe ſuppetias, Carolum fugam meditari, nihil ſtipendiorum eſſe expectandum, denique pereundum. Rumor inter milites celer ac fœcundus, mox ad manipulares & minoris nominis Præfectos perrepſit. Quapropter primùm inter ſe eſſe diſcordes, deinde factâ con-

Carolus cuſtoditur à præſidiariis.

ſpiratione, Carolum non ut Ducem, ſed captivum obſervare, dare operam, ne quà elaberetur, flagitare ſtipendia, poſcere annonam. Manavit ejuſce rei fama ad Ferdinandum, à Ferdinando ad Erneſtum. Utrique bonum factum viſum eſt, de ſtipendijs cum urbano præſidio paciſci, ſi vellet facere deditionem. Ad

XXXII. Datur in Vincula.

eoſdem tranſmiſſum Cæſaris Edictum, quo Duces juxtà ac gregarij, qui in Gebhardi partibus inpoſterum militarent, Imperij hoſtes renunciabantur. Telum triplex, Ducis deſperatio, metus Cæſaris, pecuniæ illecebra, fortes licèt viros expugnavit. Ergo Gebhardo deſerto, ejus Fratrem & ex centurionibus duos primores vinciunt. Reliquum erat, ut deditionis pactio communi conſenſu firmaretur. Dies dicta ad colloquium, dictæ deditionis leges: quibus in urbem relatis, poſtridie præſidium univerſum è mœnibus conſpicuum, porrectis in altum digitis pollicetur, ratum ſe habiturum, quicquid antè allegati milites decreverant.

Pacta Bonnensis deditionis.

Conditiones hæ fuere. Quando jam conſtaret & tabulis Pontificis & diplomate Cæſareæ Maieſtatis, Erneſtum Boicæ Ducem, verum ac legitimum eſſe Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem, æquum eſſe, ut Bonnæ poſſeſſionem nullo obſiſtente adiret. Eapropter præſidiarios ex urbe diſceſſuros: Electorem viciſſim abeuntibus quatuor aureûm millia, loco ſtipendij à Gebhardo non repræſentati, numeraturum. 2. Mitteret Elector, die poſtero, ſub horam nonam viginti è ſuis in oppidum, qui Carolum Trucſeſſium binóſque Centuriones captivos abducerent: Præter hos, quatuor obſides in præſidij poteſtate manerent, donec addicta pecunia perſolveretur: eſſet interim penes militem oppidi cuſtodia. 3. Vicarij, ſigniferi, alij minoris notæ ductores, gregarij milites omnes, pro more armati, cum uxoribus, liberis, ſarcinis (modò de rebus Eccleſiarum, civium, aut incolarum nihil haberent) cum publicâ ſecuritatis teſſerâ diſcederent, eâ lege, ne adverſus Erneſtum, trimeſtri ſpatio, arma tractarent. 4 Qui Erneſto militare vellent, ij novo ſtipendio & ſacramento auctorarentur, qui mallent exauctorari, ſuo arbitrio vterentur. Cuſtodirent interea præſidiarij armamentarium, & caverent, ne quicquam bellici apparatûs diriperetur, aut inficeretur. Conventa hæc vigeſimo octavo Januarij.

Poſt-

Postridie Ekenbergius, alijque viginti numero, oppidum ingressi, Carolum Trucsessium, Christophorum Bruinum, & Balthasarem Cochnerum accepêre captivos. Carolus ductus est Poppelsdorfium, bini Centuriones Bruclam. Postremâ Januarij numerata militi pecunia, datæ liberi commeatûs tabulæ. Calendis Februarij, medio foro tria Gebhardi vexilla à præsidio lacerata, traditæ urbis claves Joanni Mauritio, & Paulo Storio: miles Trucsessij eductus, inductus miles Archiepiscopi. Actæ Deo gratiæ solennes: Ernestus unáque Ferdinandus omnibus Chiliarchis, centurionibus, insigníque nobilitate stipati, Bonnam ingressi, civitate universâ cum inexplicabili lætitiæ significatione ad spectaculum effusâ, ac Principes velut salutis suæ authores auspicésque libertatis, faustis acclamationibus accipiente. Non multò pòst Carolus Trucsessius Bonnam reductus, pòst in Huum Leodiensis Principatûs oppidum, futurus in custodiâ. Rebus Bonnæ compositis, Ferdinandus exercitum confestim duxit ad Bedbergam. Est Bedberga oppidum ad Erfium flumen, naturâ magis quàm opere munitum, arcem habens longè firmiorem. Parebat id temporis Nivenario, qui castrum oppidúmque Schreckio Buscoducensi centurioni propugnanda commendârat. Inde fiebant quotidianæ excursiones, quibus itinera totâ latè regione habebantur infesta. Evaserat Bedberga totius viciniæ famosum spoliarium, ex prædis, quæ de mercatoribus, de incolis juxtà & accolis raptæ à grassatoribus in arcem fuerant comportatæ. In oppidi expugnatione parùm fuit negotij, cùm Eburones, admotis de nocte scalis, mœnia superâssent. Grandioris fuit operæ, arcem redigere in Ernesti potestatem. Animos fecit oppugnatoribus spes ingentis prædæ, vehemens ad audendum incentivum. Ab obsessis nihil prætermissum, quo se opésque partas tuerentur. Admotis denique æneis machinis, ad suæ salutis curam fuere adigendi. Jam ingens muri strages erat edita, cùm Schreckius vim supremam veritus (qui genius est prædatorum) abjectâ spe propugnationis, paciscendæ deditionis facultatem exoravit. Permissus est cum suis, capite incolumi, solo accinctus gladio, cæterâ vacuus inermísque, eâ conditione discedere, ne cuiquam, intra semestre, adversus Ernestum militaret. Facta deditio nonâ Martij.

XXXIII. BONNA ERNESTO DEDITA.

BEDBERGA OCCUPATA À FERDINANDO.

Pacata ad eum modum superiore Ubiorum Provinciâ, Ferdinandus movit sub medium Martium in Westphaliam, belli reliquias prosecuturus. Rhenum trajecit ad Lippam cum universo exercitu. Die vigesimâ octavâ cùm transitum moliretur, cum hoste per horas omnino quinque fuit dimicandum prælio velitari, donec appetente nocte, hostis ponte relicto, viam transituris reliquit, non ausus de summâ rei decernere. Cùm citatis castris magnâ se celeritate subduceret, Ferdinandus eum maximis itineribus insecutus, ultimo demùm Martij cum sexcentis equitibus, quos Henricus Brunsvicensis ducebat, manus conseruit ad Burgum, pagum Dynastiæ Zutphaniensis, haud procul à veteris Isalæ profluente. Nihil tum minùs quàm prælium meditabatur Henricus, quòd Bavaricos crederet longè abesse, cùm nihil de eorum adventu per exploratores cognovisset. Jam quingentis duntaxat passibus distabant, cùm Ferdinandus existimans, hostem cum universis copijs sui copiam facturum, aciem instruit. In primo agmine constituit trecentos pedites Belgicos, omnes sclopetarios equites, Nicolaum Bastanum, Arcanatium, & Montignij vicarium: in medio Joannem Manricum de Larâ, cum auxiliaribus Hispanicis: tertium agmen sibi sumpsit Ferdinandus, in quo signa quinque Boicorum equitum, quos recèns Guilielmus Dux submiserat. Cum his Torasius Burgundio, & pedites Boij, ductore Erlachio. Henricus Brunsvicensis cum sexcentis duntaxat alarijs, & aliquot legionariorum centurijs ad Burgum substiterat. In eum primam impressionem fecêre levis armaturæ equites; hos secutus est Arcanatius: utrosque Henricus tantâ animi magnitudine excepit, ut ter repulsus averteret. Galli Belgici, qui in vicinâ sylvula aberraverant, paulò adfuere seriùs, sed commodè admodum. Restitutâ enim per eos acie, majoribus quàm antè animis, itum in ho-

XXXIV. FERDINANDUS HENRICUM BRUNSVICENSEM CÆDIT AD BURGUM.

in hostem, qui objecto vacerrarum septo, trabibus in transversum productis suorum latera tuebatur, cæteroqui nudus à fronte, sed pugnans fortissimè, nec facilis expugnari, cùm pauci in loco angusto multorum impetum sustinerent. Saluti fuit Bavaricis, trabes obversas disiecisse. Mox enim & Trucsessiani à fronte & à latere hosti patuerunt, multitudini longè impares paulatim cedere, pòst cuneos solvere, denique confusis ordinibus, quà cuique licuit, sese dare in fugam. Verùm fugientes intercipiebant confragosæ viarum angustiæ & propinquus amnis. Quamobrem cæsi propè omnes, vel hausti Isalæ gurgitibus,

XXXV. nonnulli capti: cæteri per sylvarum avia palantes, octoginta, si multi, in oppida vicina sunt elapsi. E Bavaricis desiderati viginti & unus, sauciati plures. Henricus Brunsvicensis cùm suæ legionis signiferum è Bavaricorum manibus conaretur eripere, ternis vulneribus ictus graviter, suæ ipse jacturam fecit libertatis. Captus, adductúsque ad Ferdinandum ignotus, benignè fuit habitus, commendatúsque chirurgo, qui vulnera obligaret. Agnitus deinde & perhumaniter cultus, in liberâ custodiâ Cæsaris-Werdæ captivitatem exegit. Cæterùm scriptorum una asseveratio est, Bavaricos magna de hoste superato spolia legisse, torques aureos, gladios ac pugiones capulis argenteis, divites cæsorum exuvias, signum prætorium Gebhardi, his inscriptum vocibus: *Dominus Fortitudo mea.*

Isselt. Chapeauvill. in Ernesto.

TRUCSESSIUS FUGIT IN BATAVIAM.

Quantulâcunque eâ clade, Trucsessij res fuere profligatæ. Sub Alpensis signis numerabat mille equites, & aliquem peditatum. Ad hos debellandos, antequam novorum delectuum, aut fœderatorum accessione firmarentur, Ferdinandus, indictâ confestim profectione, sese accingebat, cùm per exploratores nunciatur, Trucsessium, agmen trepidum, Isalâ primùm, deinde Rheno transmissis, in Bataviæ Insulam, quæ Leccæ & Wahali interiacet, traxisse, atque illic, ductis circùm munimentis castra moliri. Mutato igitur consilio, Ferdinandus exercitum in agrum Reckelinghusensem, per pontem, haud procul à Dorstenâ reduxit. Eò delatus ilico, Reckelinghusio deditionem detrectanti, admovet obsidionem. Incurrère oppugnatores, bis, ter, in mœnia, toties à propugnatoribus rejecti. Ferdinandus, comperto, nihil levioribus istiusmodi impressionibus promoveri, jubet validum bellici instrumenti apparatum admoveri, totísque viribus muros ac propugnacula exballistari. Terruit propinquum discrimen oppidanos: nec mora, impetrato colloquio, paciscuntur imperata facere, séque permittunt Ferdinandi arbitrio, ne exceptâ quidem vitæ necísque potestate. Passus tamen est Princeps vitâ incolumi inermes abire 4. Non. Maij.

CAPIT RECKLINGHUSIŨ, LOCA ALIA.

Non multò antè Horburgense præsidium, corrupto aut disiecto instrumento bellico, cùm supremâ annonæ necessitate laboraret, intempestâ nocte ex arce

XXXVI. profugerat. Jam eò usque Gebhardi exulis nomen eviluerat, ut Werda, Arensberga, & Westerholdia se victoris fidei ultro permitterent. Sub Octobris initium, Blancartus Cæsariswerdæ Præfectus, Ordingam Coloniensis Diœcesis oppidulum insigni stratagemate, ipso diei crepusculo, ad Ernesti obsequium reduxit. Erat in arce captivus, qui clàm cum Blancarto consilia communicabat. Ille in arcis hypogæo fenestram deprehenderat, per quam pateret ad cætera conclavia ipsásque excubitorum stationes, non difficilis accessus: eo comperto, Blancartus cum justâ suorum manu per fenestram invadit arcis penetralia, vigiles primùm, deinde octoginta præsidiarios obtruncat. Unicum restabat Limburgum castrum in Westphalis, Nivenariæ Dynastiæ, quod à Trucsessianis adhuc tenebatur, infestum circumjectæ patriæ. Id quidem à Westphalicis Ordinibus clausum tenebatur, sed ob montis abruptos aditus, nonnisi operosè admodum poterat oppugnari. Productâ ad usque Octobrem exeuntem obsidione, cùm Hessius arcis Præfectus sensisset cuniculos sub montem actos arci ruinam minari; Novembri ineunte, Bedbergensium exitio territus, certas leges pactus, fecit deditionem. Ita Limburgenses omnium ultimi ad officium redierunt, atque abinde Westphalia universa, hostibus ejectis, concessit in Ernesti potestatem.

Gebhardus rebus jam prorsus desperatis, cùm neque ampliùs haberet in toto Archiepiscopatu sedem ullam, neque ad propagandum bellum opes vel auxilia, ad Auraicum Principem, Delphos Batavorum; Nivenarius verò operam Geldriæ Ordinibus adversus Hispaniæ Regem bello locaturus, sese recepêre. Atque hic quidem belli Coloniensis ardui sanè ac periculosi fuit exitus. Ernestus deinceps pacato Archiepiscopatu potitus, & à Trevirensi Electore vigesimâ quartâ Augusti, ex commissione Cæsareâ Septemvirali Collegio, præstito juramento, solenniter adscitus, omnem ditionem bonis legibus componendam aggressus est, quâ parte Novatores irrepserant, ad veteris instituti pietatem, eliminatis erroribus revocare. Haud dubiè nobilissimus iste Principatus, secundum Deum suam salutem, magnam partem debet Bavaricæ Domui, Guilielmi præstanti religioni, Ernesti sapientiæ, Ferdinandi magnanimæ felicitati.

Ferdinandus reversus in Bavariam.

Hic in Boicam regressus, non triumphantis more, quod ejus felicitati debebatur, sed supplicantis habitu, ad Deiparam Duntenhusanam profectus, ejus singulari beneficio non modò victorias, sed salutem etiam retulit in acceptis; quòd tot objecta periculis, sub Mariano Clypeo, cui ipse se devoverat, tuta fuisset. Pilam plumbeam domum retulit, vestémque, perpetuum divinæ protectionis monumentum, quod solebat amicis ostentare, si quando de fiduciâ in Deo cœlitibúsque reponendâ sermo incideret. XXXVII. Is globus è ballistâ in adversum ipsius pectus delatus, vires suas momento perdiderat, relicto sui luculento vestigio in veste, quæ visebatur velut ab allambente adustione longo tractu siderata, *Brun. Excub. p. 182.* signis adeò claris, ut haud dubiè appareret, impetum glandis impactæ majore quâdam vi fuisse retusum. Quam rem Ferdinandus per omnem vitam, ad grati in Deum animi incitamentum, sibi propositam habuit. Inde illa religio, quâ egregio inter cœlites militi ac Martyri D. Sebastiano, quem sibi domi militiæque habuit tutelarem, ædem perelegantem à fundamentis extruxit, & ornatam decentissimè, anno M. D. LXXXIIX. dedicavit. Idem vetus sodalitium ejusdem Martyris honori jam olim sacratum, sed longo temporum usu, veriùs neglectu, obsoletum ac collapsum, in pristinam celebritatem reduxit. Sodalium albo Guilielmus ipse fratris studium æmulatus, voluit, velut unus de multis, inscribi, & in obeundis votivis Divi solennibus, cæteris præire ad pietatem, quâ filios etiam suos sodalitio adscriptos vehementer accendit. Sed & illud memorabile Ferdinandeæ in Deum religionis argumentum, quòd in augustissimâ D. Michaelis Monacensi Basilicâ D. Sebastiano, cum necessario sacrorum instrumento, Aram locavit: quòd quaternas permagni ponderis campanas ære suo fusas ejusdem cœlestis militiæ Principis templo donavit. Ut mirum non sit, feliciter eum militâsse, qui geminos sibi præstantissimósque belli Duces fautores habuit, & potentes apud Deum patronos.

Maximiliani Guilielmi F. pietas.

Hoc ipso anno Maximilianus Guilielmi filius, magnis jam passibus paternæ virtutis hærens vestigijs, cùm jam secundùm Marianæ Congregationis, quæ à Virgine ab Angelo salutatâ nomen habet, Præfectum ageret, Philippum Fratrem designatum Ratisbonæ Episcopum, in Sodalium Marianum cœtum cooptavit, proximo pòst anno Ferdinandum fratrem alterum, & duos Marchiones Badenses in idem sodalitium cooptaturus.

Et quando sumus in recensendis Boicæ pietatis officijs, non debet illud prætermitti, spectans ad Maximiliani commendationem, quod ipsi quidem fuit perquam singulare & vix ulli aliàs concessum. XXXVIII. Jam in tenerâ illâ ætate tam egregia amoris in Deiparam virginem edebat documenta, támque scitè Marianæ sodalitati Monacensi præerat, ut gravissimorum virorum decreto, Româ, omnium per Germaniam ejusdem generis cœtuum supremam acceperit potestatem. Certè per omnem vitam tam egregijs factis isti dignationi respondit, ut, cùm illa religionis teneritudo novis indies incrementis unà cum annis adolesceret, mirum non sit, ad solidum & præaltum culmen ascendisse, quod Deus vicissim insigni rerum ac dignitatis accessione amplissimisque favoribus coronavit.

An. M. D. LXXXV.

In Hist. Lauretana.

GUILIELMUS LAURETANAM ÆDEM INVISIT.

Quod jam memoro, Guilielmo peculiare est. Cùm hoc ipso anno fundamenta Monacensis templi D. Michaelis assurgerent, ille Lauretanam peregrinationem insigni pietate suscepit. Eam juvat reddere verbis Horatij Tursellini elegantis è Societate JESu scriptoris, quibus & Brunnerus reddidit. *Wilhelmus Bavariæ Dux, vir vel opibus vel pietate Germani nominis longè Princeps, Paternæ in Virginem Lauretanam munificentiæ memor, regalis munificentiæ dona partim misit Lauretum, partim attulit. Inter dona missa, erant Equus generosissimus, laminàque argentea Ebeno inclusa, ubi B. Maria IESVM puerum gremio gestantis, Iosepho fugæ comite in Ægyptum, effigies expressa cernitur: candelabrum item argenteum pensile non magis pondere, quàm opere egregium; pondus est librarum octoginta, opus autem ejusmodi, ut quatuor & viginti veluti rami ex eodem emineant trunco scitè omnes venustéque dispositi; adeò ut totidem cereos laxè sustineant. Ergo id candelabrum in ipsâ Virginis cellâ perpetuò ante ejus effigiem pendet, nobile omnino Bavari donum, sed hoc nobilius, quòd dotatum venit. Dotis nomine assignatum à Duce stipendium, ut quotannis per quadraginta dies festos ac solennes, candelis vicenis & quaternis candidis B. Virgini luceat. Inde Dux ipse munera secutus, & quatuor duntaxat comitantibus, Lauretum, mutatis subinde equis, cucurrit ignotus. Annus agebatur M. D. LXXXV. Eximia tanti Principis modestia pietatem quoque insigniorem fecit. Namque humanas aspernatus delitias, ut divinas liquidiùs hauriret, publicum magnificúmque Principibus excipiendis destinatum hospitium posthabuit privato tenuique. Quippe ex aulici strepitûs pompæque fastidio, avidus religiosæ quietis, ad Patres Societatis Iesu, de quo Ordine optimè meritus erat, perfamiliariter divertit, ibíque apud eos dies aliquot diversatus est, vulgari quidem victu cultúque contentus. Cæterùm tanta virtus diu latère non potuit. Præses, Bavari Ducis adventu cognito, properè ad eum venit; perliberaliter invitat hospitio, rogitat, urget, instat. Demum, ut obfirmato animo recusantem vidit, incæpto irrito discedit. Nec minor in templo modestia Ducis fuit, quàm in hospitio fuerat. Scabellum ad genua submittenda, selláque ad considendum apparata erant penè regio cultu. At ille non luxum ex Lauretanâ Æde, sed pietatem petens, adeò aspernatus est, ut ne aspexerit quidem; In augustissimâ porrò Virginis Cellâ usque eò Christiana ejus humilitas pietásque enituerunt, ut cæteris miraculo forent. Nam tantâ animi corporísque submissione supplicabat in turbâ, ut unum aliquem de populo crederes. Obversabatur, credo, ejus animo Dei filius, qui cùm in formâ Dei esset, inibi exinanitus formam servi accipiens. Ita porrò assiduus erat in supplicando, ut in B. Virginis Domo habitare videretur.*

XXXIX.

Nec obscuriora reliquit Laureti munificentiæ suæ, quàm religionis vestigia. Præcipuum ejus donum fuit libellus ex auro solido, qui trifariam divisus, quatuor velut paginis, geminata sigilla egregiásque imagines continet. Integumentum ex auro, unionibus, gemmísque clarissimis opere mirabili perfectum pendet ex tribus catellis aureis, quas ex aureo fluentes annulo, ingens Sapphirus excipit. Fama est, hoc donum octo aureorum millibus æstimatum; nec ferme aliud est in Ædis Lauretanæ thesauris, quod jucundiùs à peregrinis avidiúsque visatur; adeò non solum ornatus, sed etiam interiorum imaginum sigillorúmque eximia pulchritudo spectantium oculos rapit, arte certante cum copiâ. Ejusdem donum Christus aureus fuit, eâ specie, quâ redivivus existit è sepulchro; sed sepulchrum adamantibus pyropísque collucet.

XL.

GUILIELMUS CONSTRUIT DOMUM CONVICTORUM INGOLSTADII.

Non fuit hoc anno Guilielmus peregre tantùm liberalis, sed etiam domi munificus in bonarum litterarum studiosos. Ingolstadij Alumnis suis, cæterisque emptitiæ mensæ sub Societatis Jesu disciplinâ convictoribus, domicilium pereleganti structurâ & amplitudine inprimis commodum sub D. Ignatij Martyris Antiocheni patrocinio construxit: ut verò opportuna præsidibus foret ultro citròque ad suos Patres ac discipulos commeandi facultas, bis mille quingentos aureos ad proferenda continuandáque Collegij cum Ignatianæo ædificia, altero confestim anno est largitus. Eodem quoque tempore Monachij non magnitudine quidem & formâ simile, sed benignitate fortasse grandius

dius ædificium molitus eſt, quod denique ceſſit in uſum pietate & ingenio præſtantium adoleſcentum, quos perinde egeſtas prohibet à manſuetiorum diſciplinarum cultu, atque alliciunt præſtantes animi corporiſque dotes. Habitabant illi antehac in obſcuro maléque materiato contubernio; conſilium ergo fuit Guilielmo, laxare honeſtis mentibus, & valetudini meliùs aptare ſpatia. Id cùm eſſet tertio pòſt anno conſecutus, ut ſuâ ipſe majeſtate præſentiáque domum dedicaret, cum Renatâ Sereniſſimâ conjuge, Ferdinando Fratre, & Maximiliano filio, poſtea Septemviro, primo, quo immigratum eſt, initio, in novo triclinio dignatus eſt prandere. Juſſit eodem prandio tenuis fortunæ juvenes quadraginta bellè haberi, atque in poſterum eam liberalitatem dimenſúmque velut in Prytaneo ex penu domeſticâ præberi. Id collatitiâ piorum donatione ſubinde auctum cenſu copioſiore & alumnorum numero, ſub D. Gregorij clientelâ, hodiéque egregium exhibet plantarium virorum præſtantium, qui indies ex iſto domicilio prodeunt. Primam Guilielmi liberalitati ſymbolam adiecit Ferdinandus, pecuniâ, unde quadrageni aurei quotannis redirent, contributâ. **Domus Gregoriana Monachii.**

Dum Guilielmus, ejúſque frater in Deum hominéſque ſe præbent beneficos & clementes, Deus in Erneſti Electoris ſinum novas opes effudit. Jam opulentus erat ternis ſacris Principatibus, Colonienſi, Leodienſi, Hildeſienſi. His acceſſit Monaſterienſis, hac ratione. Joannes Cliviæ, Juliæ, ac Montium Princeps, deſignatus Eccleſiæ Monaſterienſis Epiſcopus, à ſacris ad Politicum ſtatum tranſiturus, Epiſcopatum abdicavit. Henricus Zobenburgicus Bremenſis Epiſcopus fuit inter competitores; ſed is paulò ante electionem migravit è vitâ. Cùm ſuffragatorum Collegium iturum eſſet in vota, varijs ſententijs diſceptatum, quinam pro exulceratiſſimi temporis acerbitate ac periculis, moderandis ſervandíſque iſtius illuſtriſſimæ Eccleſiæ rebus, aptiores viderentur. Itum denique in ſuffragia, & Erneſtus votis fuit expetitus; quòd is viſus eſſet utiliter ſecuréque præfuturus. Et ea ſanè erant tempora, ut Eccleſiarum paſtores ad arcendas inhiantium ſacris poſſeſſionibus & animabus inſidias, non tam pedo imbelli, quàm ferro armatâque pietate indigerent. **Ernestus Monasteriensem Episcopatum consequitur.** *Chapeanville in Ernesto.* XLI.

Id patuit, cùm Truceſſianæ partes, quæ profligatæ prorſus videbantur, rurſus caput exeruerunt, Martini Schenckij viri audaciæ militaris, ab Hiſpanicis caſtris, ad hoſtes iteratâ defectione. Tranſitionis cauſa ferebatur, quòd in Geldriæ præfecturâ, quam exambiverat, ſe Altapennio poſthabitum doleret, quódque petenti poſthæc Anhaoltij Comitis legionem, ejus regimen Alexander Farneſius, Belgij pro Rege Catholico gubernator, negaſſet, non ſatis fidens hominis turbulento inconſtantique ingenio. Ex eo, damnatâ ſpe loci honeſtioris in Regis militiâ; repetijt Fœderatorum Belgicæ Bataviæ partes, adhæſitque Meurſæ Comiti, eo ferè tempore, quo Comes, & Villerius Ultrajecti Præfectus, paulùm ſupra mille pedites, & equites ſeptingentos, habito delectu, contraxerat. Cùm ijs pugnavit infeliciter in agro Ultrajectino victus à Taſſio, & tergeminis Comitis Bergenſis filijs, Hermanno, Friderico, & Oſwaldo, fuitque Ultrajecti ex fugâ receptus. Tum reparatis utcunque viribus, Weterwerdam Cœnobium, bis, ter, fortiſſimè repulſus ab Hiſpanis, incendit, multíſque è ſuorum numero deſideratis occupat: Venlonæ ab Hiſpanis obſeſſæ fruſtra tentat ſuppetias; percurſâ Geldriâ, Wachtendonckam ſe recepit, Wertam in Weſtphaliâ Colonienſis imperij oppidum, civibus incendio, quod ipſe excitaverat, extinguendo intentis invadit. Arcem Verminenſis Præfectus ſervavit. **An. M. D. LXXXVI.** **Martinus Schenckius bellum Coloniense instaurat.** *Fam. Strad. lib. 7.* *Ensins p. 496.*

Ad famam capti oppidi, extemplo vicina Nobilitas colonos centuriatos vocat ad arma adverſus patriæ prædatorem. Concurrêre ad quatuor tam equitum, quàm peditum millia. Hos Schenckius utpote diſciplinæ militaris rudes atque inexpertos, factâ eruptione aggreſſus, magnâ reſtitantes audaciâ, fudit, cecîdit, pugnâ à Nobilibus vix tentatâ. Decimo poſt captum oppidum die, cùm ſe fruſtra in oppugnando caſtro laborare animadverteret, & rumor de Regis & Erneſti copiarum adventu percrebreſceret, Schenckius oppido direpto, ſuos præ- XLII.

dâ graves Rhinbercam reduxit, per Altapennij, qui se abeunti objecerat, copias viâ ferro apertâ. Quam ob rem à Roberto Dudleo Comite Lecestrio Anglo Fœderatorum gubernatore honorificè exceptus, torquem aureum, non diuturnæ deinceps vitæ militiæque solatium accepit.

Fam. Strad. l. 8. NOVESIUM OCCUPATUM à COMITE NIVENARIO, COMMENDATUR CLOETO

Novesium Agrippinensium urbem, quatuor horarum itinere infra Coloniam, haud longè à Rheni ripâ, Ernesto Septemviro, Meursæ Comes stratagemate eripuerat, quo die solenni mercatu D. Quirini festum in urbe celebrabatur, portarum custodibus à Meursiano milite, mercatorum habitu in mœnia recepto, trucidatis. Coactâ ex spolijs tercentûm florenorum millium prædâ, Nivenarius civitatem in Trucsessianorum manus tradidit, Hermanno Friderico Cloëto adolescente impigro ac præferoci ad ejus regimen relicto. Cloëtus assiduis excursionibus agrum universum, ipsam adeò Agrippinam Coloniam infestam habebat, ut dominantibus jam per confinia Novesianis, vix urbe pedem Colonienses tutò efferrent. Ijs cohibendis frustra Ernestus dabat operam, dum Hispanica auxilia Antuerpiensi obsidione detinebantur. Captâ tandem Antuerpiâ, Ernestus, dimissâ pompâ & familiarium comitatu, ipse Alexandrum Farnesium jam urbis victorem, suppetias coràm rogaturus, accedit, impetràtque. Erat Novesium annonâ, omni armorum telorúmque genere, omníque ad sustinendæ diuturnæ obsidionis usum rerum copiâ, reparatis etiam circùm munimentis apprimè munitum. Aderant præsidiarij mille circiter sexcenti, equitum duo signa ex milite veterano, præter centuriatos oppidanos, quos Calvinisticum nomen è Catholicis sedibus ejectos, nactósque Novesij asylum, ad ejus tutelam acerrimè stimulabat.

OBSIDETUR à DUCE PARMENSI. XLIII.

Farnesius Belgicis periculis utcunque expeditus, lustratis in Novesij confinio copijs, urbem undique arctâ claudit obsidione, occupatâ etiam non sine suorum sanguine Insulâ, quæ mœnium Rheno incumbentium plagæ ex adverso protenditur. Longior sim, si, quæ ab obsidentibus juxtà ac obsessis fortiter gesta sunt, singula commemorem. De multis hæc pauca. Principio, Cloëtus Gubernator cum trecentis audacioribus per arcanam imis ex mœnibus portulam, ac dehinc secundum oppositum fossæ marginem inobservabiles egressi, in Italorum stationem improvisi erumpentes, Grimaldum centurionem, ante operas cum militum globo curantem, cæsis, fugatis socijs, confoderunt. Tum ad ipsa Italorum contubernia penetrantes, fossoribus fabrísque, quos ex urbe secum traxerant, in subruendis appropinquationum operibus sudantibus, ipsi terrorem cædémque castris inferunt, latiúsque intulissent, nisi Sylvester Piccolominius legionis instructor, aliíque, increpito per iram & minas suorum metu, auxilio fuissent, rejectis in urbem aggressoribus. Desiderati ex utrâque parte ferè nonaginta, plerique tamen è regijs.

COLLOQUIŪ DE PACE.

In castra venerat Ernestus cum cohortibus aliquot Germanorum. Is author fuit Parmensi, ut dispositis jam ad oppugnationem suggestis & machinis, per tubicinem exploraret obsessorum animos, malléntne se urbémque suo Principi dédere, an belli eventum experiri? Illi impetratis ad consultationem sex horarum inducijs, missis ultro citróque collocutoribus, denique negant sibi quicquam esse cum Ernesto. Parmensis nihilo minùs eos jubet sperare conditiones multò, quàm ipsi crederent, molliores, si animum inducant cum Septemviro causam disceptare. Sed dum verba ante urbis portam permutantur, ecce tibi subitò sub ipsis inducijs in Hispanorum castra è mœnibus displóditur, ínque ipsum Alexandrum Farnesium ac comites grandis lethalium glandium procella repentè è vicino muro ac portæ munimentis effunditur, innoxia tamen Alexandro, incessu gradario, vultúque minaci, ad castra, salvâ majestate recedenti, cùm ejus comitatum fuga huc illuc dispalasset. Id tametsi obsessorum perfidiam certò argueret, non desijt tamen Parmensis de pacis legibus consilia cum illis agitare, sed nullo operæ pretio. Nam obsessi eam Ducis facilitatem, exercitûs imbecillitatem, obfirmatis ad propugnationem animis, interpretantes, tandem respon-

OBSESSORUM PERTINACIA ET PERFIDIA. XLIV.

re$\mathit{s}$ponderunt, civitatem juris eſſe Cæſarei, nihil quicquam ſpectare ad Regem Hiſpaniæ; Cæſare inconſulto nihil de eâ poſſe conſtitui. Ergo Alexander, illudi ſuis conſilijs expertus, in diem poſterum, qui D. Jacobo Hiſpaniæ tutelari ſacer erat, indicit urbis aggreſſionem. Noctem egêre Hiſpani inter hilaria & feſtos ignes. Obſeſſi, combuſtis in medio foro duobus è captivis Hiſpanis, in Divi & gentis contumeliam, ſuo furori litârunt, neſcij, quàm luctuoſum urbi univerſæ incendium ex iſtis hoſtiarum cineribus uno pòſt die eſſet ſuboriturum. URBIS OPPUGNATIO.

Ergo primâ ſtatim luce, triginta omnino tormentis muralibus cœpta urbs everberari, perſeveratúmque eâdem contentione per horas omnino novem, donec Petrus Aybarnes inſtructor, & Claudius Barlottus Centurio Lotharingus, inſpectâ muri ac turrium ſtrage, retulêre, juſtam eſſe ad aggrediendum ruinam. Igitur dato ad impreſſionem ſigno, conclamatóque militariter D. Jacobi nomine, in muros itum eſt. Gemino mœnium ambitu, interjectâque foſſâ obuallabatur urbs. Extimum, pulſis repetitâ aggreſſione defenſoribus, oppugnatores occuparunt, Trucſeſſianis ex intimo adhuc acriter in ſubeuntes, jámque muro potitos fulminantibus. Quamobrem Farneſiani confeſtim oppletis humo corbibus, ſubmiſſíſque lignorum faſcibus ſe muniunt: dehinc elatis in occupata mœnia aliquot caſtrenſibus tormentis, libratis ex alto emiſſionibus, hoſtem vulneribus apertum, fatigatum, deſperantémque amiſſæ ſtationis recuperationem, ad curam interioris urbis defendendæ avertunt. Jam tenebant Farneſiani Rhenanæ turris ac portæ, adiacentíſque muri munimenta, cùm tenebræ ingruentes Farneſio viſæ ſunt intutæ ad proferendam aggreſſionem. Tumultuosè nox traducta eſt, inter continuam telorum grandinem, & cæca utrinque vulnera, cùm præter brevem fulgorem, ex tormentorum ignibus intermicantem, facéſque pilarum tranſvolantium tralucentes, nulla lux hoſtem ictui deſignaret. Poſtremò, quadringenti circiter, ex urbe, Cloëto duce, per obſcurum noctis, pluteis cratibúſque tecti, clàm auſi in foſſam erumpere; ad Rhenanam turrim, unde timebatur urbi pernicies, adhibitis foſſoribus, ſubruendam. Atque hinc quidem natum Noveſij excidium. Cloëtus enim ſocijque malleolis, qui accenſi ſpargebantur, detecti, ſubito jactu lapidum, ipſâque turri in ſubjectos magnam partem procumbente, multi miſerum in modum obtriti, non pauci lethalibus pilis percuſſi laceratique, demum accurrentibus eodem Hiſpanis, conſertâque cominus pugnâ, omnes propemodum internecione deleti. Cloëtus, ſucciſo femore, à paucis ſuorum in urbem retractus. XLV. CLOETUS IN ERUPTIONE VULNERATUS. Actæ ad eum modum nocti dies longè funeſtiſſimus Noveſio ſucceſſit: cum luce, cœpta tormentorum in muros interiores fulmina: illis apertis, accinctæ aderant ad invadendum cohortes, tantâ in urbis interitum indignatione ferociáque, quantam non ita ſæpe, in Annalibus, quiſquam animadvertit. Iras acuebat recentis injuriæ, violatæque fidei cum Parmenſis periculo, memoria: urebat Hiſpanos audita ſuorum mediâ in urbe crudelis concrematio: omnium animos accendebat ſpes manubiarum, quibus conſtabat ex finitimorum direptionibus, ſuper opulentiam mercatorum, civitatem eſſe refertam. Nec ipſi jam cives militéſque ſe urbi defendendæ pares eſſe ſentiebant, labefactatis ad Rhenum mœnibus, Gubernatore decumbente, amiſſo fortiſſimo quoque propugnatorum. Erant tamen, qui irritatam hoſtium ultionem animo reputantes, rati ſe non ad victoriam deſignari, ſed ad ſupplicium, ducebant ſatiùs, militum more, pugnando occumbere, quàm pecudum inſtar jugulum præbere percuſſoribus. Verùm repreſſâ horum deſperatione, communi nomine Centurionem Riſtaldum, ſigniferúmque Gaudentium propere delegant, qui colloquendi facultatem à Duce Parmenſi exorent. Sed malâ ſorte, dum aditum ad Principem poſcunt ab excubitoribus, offendunt in indignantes Hiſpanos, reijciuntúrque à negantibus, patére acceſſum ad Parmenſem. Irent, XVII. Cloëto referrent, nuper illum in fœdâ ſuorum proditione dormijſſe: intempeſtivè nunc ipſum expergiſci, dormire enim Parmenſem Principem. Convenerat

rat per castra, nuperæ Gubernatoris excusationi, eâ dormientis tesserâ, illudere. Quare cùm alij per portam Nederensem à Cloëto missi, deditionem se adferre clamitarent, idem truci vultu ex composito responsum est ab Italis. Sylvius tamen Piccolomineus pro Novesianis Alexandrum adijt, affirmans, illos urbem clementiæ ipsius permittere esse paratos. Et Alexander quidem civitatem à ruinâ sartam tectam Ernesto Septemviro reddere, & frumenti vinique copiam illinc ad castrorum usuram avebat legere, jámque Ernesti adventum ad paciscendam eo præsente deditionem expectabat; cùm re animadversâ, Hispani Italíque irâ frementes, quòd civitas, Calvinianarum partium receptrix, post tam insignem perfidiam, post cœlitum mortaliúmque tam atrocem contemptum, veniæ destinaretur, militíque subtraherentur certa periculorum & opulentæ victoriæ præmia, nihil morati, nec alio, quàm sui furoris ductu, Hispani primùm per Rhenanam portam, superato aggere, quem objecerant defensores: tum Itali per Nederensem ruinam proniore aditu, in urbem penetrant: obvios quosque nullo ætatis sexûsve discrimine implacabiliter obtruncant. Restitêre quidem alicubi cives milítésque conglobati, ut impetum furentium cohiberent; sed Itali Hispanique conjunctis jam agminibus, ceu duo torrentes ruptis aggeribus aucti rapidíque in obstantes violentiùs ferebantur. Denique desertis per urbem stationibus, ubique fuga, ubique cædes fugientium. Soli imbelles pueri atque mulieres, Alexandri jussu, opéque quorundam è primarijs ductoribus, in sacras ædes compulsi, stragem evasêre, cùm per vias ac fora cæsorum passim corpora sternerentur. Qui se rapidè è mœnibus demisêre, partim ab equitatu, qui urbem cinxerat, partim à circumpositis stationibus interficiebantur.

Urbs invaditur,

Exscinditur,

XLVII. At Cloëtus, cujus maximè supplicium flagitabatur, quippe perduellis, violatoris divini humanique juris, & à Cæsare proscripti, jussus est à centurione confestim necari. Ad eum lecto affixum missus est sacerdos è Societate Jesu, cuius operâ æternæ saltem morti prœriperetur; sed cùm is nil sani ad animum admitteret, imò ad sopiendum rationis usum, ingens vini poculum exhausisset, linteo ad collum injecto strangulatus, atque è fenestrâ, quò militibus, ejus necem minaciter poscentibus, palàm esset aspectabilis, unà cum Calviniano ministro, aliísque nonnullis, suspensus est. Ejus uxor cum sorore puellísque, addito honesto comitatu, illæsa, intacta, immo ne conspecta quidem ab Alexandro, in tutum fuit dimissa. Trecenti adhuc armati supererant, modicæ miseræque reliquiæ duorum ferè millium præsidiariorum. Hi munitam in turrim confugerant portæ cohærentem, sed nec ibi satis tuti offerebant deditionem: cùm non audirentur, inde egressi, abjectísque armis ante victorum pedes, eorum se clementiæ permisêre. Verùm nihil mitigatâ efferatorum militum irâ, ad unum omnes contrucidati sunt. Adeò sanguinis rabies animos asperaverat, ut, cùm nonnullos Ernestus Septemvir subducere ex eâ carnificina voluisset, accurrentes milites & quidem gregarij, ac semilixæ, nullo disciplinæ respectu, nullâ ducum reverentiâ, in ipsius Principis & Procerum propè manibus, miseros confoderint. Absolutâ carnificinâ, tum ad prædas ac spolia quaquaversum cœperunt discurrere, penetrare in tecta, in conclavia irrumpere, arcana quæque rimari, quicquid uspiam auri argentíque, gemmarum aut vestium, diripere, sarcinarijs calonibus imponere, cum socijs, qui interim præ foribus excubabant, constante inter prædatores fide, partitò dividere. Laniena omnis potissimáque præda stetit penes Hispanos Italósque, donec alij, animadverso, captam à socijs urbem, magno omnes impetu, hinc admotis scalis, inde effractis portis, certatim intra mœnia diffusi legêre spoliorum reliquias.

Diripitur.

Incenditur.

Ortum exinde urbis incendium, vento immodicè furente, & ignium globos regionatim ejaculante, donec repentè correpta magnam partem tecta, inter horrendos fragores, quorum atrocitatem nox, militúmque sævities, miserabilis mulierum & debilioris ætatis facies atque comploratio, immensum quantum exaggerabat, procubuere, quartâ civitatis parte vix servatâ. Scripsit ad Regem Catho-

Catholicum Farnesius, consideranti sibi laborem industriámque, quam in extinguendo domorum incendio adhibendam curavit, ne res præsertim frumentaria corrumperetur; præterea reputanti animo insolitam militum rabiem in hostem insatiabiliter adeò sævientium, ut eos neque ducum imperia reprimerent, neque ex captivorum lytro lucrum, neque ulla recordatio humanæ conditionis inflecteret, profectò videri, hujusmodi ultionem militarem modum supergressam, altiùs utique referendam esse, agnoscendámque in eo excidio occultam divini Numinis manum: unde factum sit, ut quâ in urbe, paucis antè mensibus, Divi Quirini corpus, exterarum quoque gentium peregrinationibus celebre, barbaro Calvinianorum tripudio combustum erat; ea demum urbs Deo Sanctorum injurias ulciscente, incendio inexpiabili plecteretur. Atque ita una dies Novesium vidit urbem florentem & hostium contemptricem; altera cædibus, ruinísque consumptam ac propè nullam. Cæsorum in ea numerus haud certò iniri potuit. Ex bis mille ferè præsidiarijs nullus superfuit: ex civibus totidem flammam ferrúmque absumpsisse, fama fuit.

Post tristem victoriam, Ernestus Septemvir, rebus in Ubijs ordinandis dedit menses aliquot, cúmque biennium propè Leodio abfuisset, anno jam senescente, sese ad nobilissimæ istius Provinciæ curas propiùs retulit. Dies Decembris decimus agebatur, cùm in publico Ordinum Leodiensium Conventu, gratias egit Eburonibus, quòd se absente magnísque Coloniensis Ecclesiæ difficultatibus implicato, tantâ tranquillitate & prudentiâ, geminis Hispanorum hibernis vexati, bello aperto nihil tentassent, solâ quorundam locorum defensione vindiciísque contenti. AN. M. D. LXXXVII. LEODIENSE COMITIUM.

XLIX. In eo Comitio varia constituta, de ratione terminandarum litium, quæ inter privatos, occasione Hispanicorum stativorum, ob inæqualem contuberniorum sumptuúmque divisionem, fuerant excitatæ: de cohibendis appellationibus: de servandis privilegijs: de militaris disciplinæ modo quàm antehac accuratiore; denique de æqualitate in tributis exigendis observandâ. Addixêre præterea suo Principi Ordines insignem collatitiæ pecuniæ vim, quæ ex privatorum annuis censibus redigeretur.

Per id temporis, cùm Ernestus Ardennam peragraret, ut erat ingenij sagacis, magnáque rerum naturalium cognitione præditus, majoribus celatas fossilium venas detexit. In his sulphur, alumen, chalcantum, eâ copiâ, quæ fossorum labores non modò compensaret abundè, sed etiam domini vicinarúmque Provinciarum commodis deserviret, nobilitarétque solum alioqui infœcundum, & passim genistis ac sterilibus dominatum avenis.

Hoc anno cœlum 4. Non. Quinctileis, ultimâ prole Guilielmum beavit, Magdalenâ videlicet Principe præclarissimâ, Wolfgangi Wilhelmi Neoburgici Ducis faustissimis nuptijs destinatâ. Vicissim cœlum ad se rapuit Carolum, octavum annum nondum egressum die vigesimâ septimâ Octobris, cùm Princeps amœnissimus unà cum Philippo Episcopo Ratisbonensi, & Ferdinando, futuro olim Coloniensi Septemviro Salisburgi degeret. Gewoldus ejus obitum refert ad annum LXXXVII. Patres Societatis Jesu, qui ejus pueritiæ instituendæ erant dati, differunt in annum sequentem, in suis Annalibus. Ejus funus ductum fuit in conditorium sancti Montis Andecensis.

A bello nonnihil respirabat Ernestus, Ecclesijs in ordinem redigendis intentus, cùm subitò nova illi materia belli nascitur. Martinus Schenckius, qui, ut suis molitionibus aliquam honesti speciem indueret, se ferebat vindicem partium Trucessianarum, homo inquies, & occasioni insidiari apprimè peritus, cùm ex Schenckiano propugnaculo, quod ipse prævalidis nuper operibus in Rheni divortio communitum excitaverat, Geldriensem & Agrippinensem agrum infestaret, aliquid majus ad firmandam belli sedem prædásque longiùs proferendas sibi designavit, ac dedit confectum. Bonnam Trucessianis non ita pridem ab Ernesto Ferdinandi fratris virtute ereptam, magno sibi emolumento futuram *Chappeavil. p. 544. Gaspar Ens. p. 535. Fam. Strad. lib. 10. p. 697.* SCHENCKIUS BONNAM OCCUPAT.

L. ram ratus, ſtatuit expugnare, idque eò propenſiùs, quòd ex eâ civitate nonnullæ ſubinde Trucſeſſianæ factionis ſcintillæ, ex cineribus compreſſi nuper Calviniani incendij, promicarent. Igitur eductis è Bercâ Rhenanâ ducentis fermè peditibus, pluribúſque aliunde ſpe prædarum in expeditionis ſocietatem allectis, cum equitibus omnino trecentis, noctis ſilentio, ex oppido Hoppeldorfo vigeſimâ tertiâ Decemb. Bonnam inobſervatus acceſſit. Ubi in vicino conſtiterat, cum paucis, quos ad facinus promptiſſimos ſelegerat, ad Rhenanam urbis portam ſuſpenſo progreſſu, ne à vigilibus obſervaretur, venit prope telonium. Non potuit uſque adeò premere ſtrepitum, quin notaretur ab excubitore, quiſnam adeſſet, more militari exclamante. Hunc ut falleret, diſpoſuerat aliquot è ſocijs, qui in harâ proximâ inconditum porcorum grunnitum irritarent, quò minùs militum præſentia ſentiretur. Attulerat novum raróque antè uſurpatum exballiſtandarum forium inſtrumentum, quod mortarij formâ Latini tubum inſititium aut inductilem, Græci Polyclaſtum nominârunt, fulmineum portarum arjetem pulvere pyreo fartum obturatúmque ſtupa cerato linteo & aſſulâ quernâ, quam latiùs protenſam crux ferrea ad majorem vim roborabat.

Eam peſtem Martinus, impacto altè in valvam terebro, portæ inſerit, ſubjectóque per canaliculum igne, accendit manè ſub horam tertiam. Ex eâ machinâ tam ineluctabili violentiâ illicò flamma erupit, ut non fores modò fractæ ſuíſque avulſæ cardinibus diſſiluerint, verùm etiam poſtes, párſque muri continentis, eâdem vi corruerit. Tum patente aditu, Schenckius in urbem cum ſuis involans, obtruncatis obvijs, diſpoſitiſque undique excubijs latè eſt dominatus. Pauci civium interfecti, præſidiarij pars cæſi, pars fugâ noctiſque beneficio ſervati. Carolus Billæus Gubernator urbis, magnæ vir prudentiæ, per murum delapſus, ſibi conſuluit. Civium opes præſcripto à Schenckio ordine, quo rapina fieret utilior, jucundiórque, militari direptioni permiſſæ. Annonâ ex agro importatâ, armato præſidio, excitatiſque in adverſo Rheni margine propugnaculis, civitas ſic fuit munita, ut perdifficilis ejus recuperatio appareret. Ejus regimen demandavit Schenckius Othoni Podliſio Comiti: defenſores impoſuit ferè ter mille pleroſque veteranos, & ſpe prædarum jam pridem Schenckij fortunam ſecutos. Ipſe verò Schenckius ad Imperij aliquot Principes profectus, rogatis undecunque auxilijs, ſedem Bonnæ firmare ſtatuerat. Non dubium, quin in Trucſeſſij & Acatholicæ religionis gratiam ſuppetias in Germaniâ fuiſſet im-

LI. petraturus, niſi proſcriptio Gebhardi, cujus auſpicijs Schenckius aiebat ſe militare, à periculoſi belli & perduellionis ſocietate prudentes Principes abſterruiſſet.

Cæterùm Erneſtus Septemvir, nuntio de Bonnâ amiſſâ haud leviter perculſus, meritóque ſollicitus, ne Colonia pari infortunio brevi amitteretur, auxilia undiq; circumſpexit. E Bavariâ à Guilielmo tarda nec ſufficientia poterant expectari, ſi Schenckius Germanicis viribus fulciretur. A Cæſare nihilo quàm in Noveſienſi bello anníſque prioribus majora ſperari vix poterant. Quare Regis Catholici jam antè expertus benevolentiam, quódque Regis intereſſet, ne in Ubijs Acatholicorum arma figerentur, rurſus auxilia petijt à Duce Parmenſi. Guilielmus, quod per temporis anguſtias licuit, Erneſti Fratris cauſam Colonienſémque Eccleſiam per litteras vehementer Farneſio commendavit. Summum etiam Pontificem Sixtum V. rogandum cenſuit, vellet ad erigendam Erneſti Eccleſiæque fortunam, tantum ab urbe pecuniæ ſubmittere, quantâ una ſaltem Germanorum legio ſcribi, & trimeſtri ſpatio poſſet ſuſtentari: verbo actitata omnia, ut antè quàm Schenckius vires auxiſſet, Bonna reparando bello ſtatio percommoda, ejus manibus nominíque Trucſeſſiano eriperetur. Jam uſque eò magnus Schenckianorum terror Ubios invaſerat, ut Erneſti Septemviri & Cliviæ Ducis adminiſtri, authores eſſent, inducias aliquot menſium inter Erneſtum & Schenckium ſanciendi. Id conſilij cùm neque ſuaderet honeſtas, quippe quod prorſus eſſet indecorum, tantum Principem cum homine tot transfugio-

Erneſtus auxilia adverſus Schenckiũ comparat.

An. M. D. LXXXVIII.

rum

rum comperto, & prædatoriæ potiùs violentiæ, quàm justi belli famoso concitatore, quicquam, in re præsertim maximi momenti, publicè pacisci, visum satius, quærere tempestivum, à festinatis armis remedium.

Prima omnium venêre ab Alexandro Farnesio, jussu Regis Catholici, eâ tamen lege, ne Hispanicis auspicijs bellum gereretur: neque enim sine Cæsaris offensione, sine magnis Germaniæ Principum querimonijs bellum inferri poterat, vel in Imperij finibus externa signa explicari; sed erat consultius, ut Ernestus suo ipse nomine, pecuniâ tamen copijsque Hispanicis adiutus, bellum per se suósve procuraret. Igitur mense Martio, venêre è Belgio, ductore Blasio Capisucco, Wallones trecenti, cum unâ hastatorum turmâ, & parte Ducis Gravinæ equitatûs, qui Agrippinensem Provinciam, Bonnensem præsertim agrum, adversus hostium rapinas & incendia tuerentur. Factum id prospero successu. Nam è Bonnâ, locisque alijs raro deinceps fuerunt ausi prodire, qui finitimos infestarent. Non multo pòst fuit ab Ernesto Bonnensis expeditio commissa Carolo Croyo Arescoti Ducis Filio, Chimaci oppidi in Hannoniâ Principi. Ejus imperio attributi ex Belgarum nobilium equitatu turmæ sex, quæ ab Hipparchorum vicarijs regebantur, totidémque leviter armatorum signa, Joanne Cordubâ ductore. Addita recèns scripta Lotharingica legio, Chiliarcho Sanblemontio. Jussus præterea Joannes Baptista Tassius, è Frisiâ, Chimacio adjungere aliquot Frisonum cohortes, & quo maximè valebat consilium commodare egregiámque sapientiam. Habebat etiam ex Eburonibus & Ubiorum Provincijs, copias numero & virtute insignes. Quare non distulit Ernestus castra ad Bonnam locare, & aggeribus civitatem circumplecti. Maluisset Tassius à Transrhenanis propugnaculis, unde in urbem continua poterant inferri auxilia, obsidium inchoari; cessit tamen majoris arbitrio, cui urbis oppugnatio ante Schenckij, tum adhuc apud Principes suppetias rogitantis, reditum, opportunior videbatur; quòd eâ occupatâ, objecta è regione castella futura hosti inutilia & expugnatu minimè ardua censerentur. Oppugnatione in crastinum decretâ, Tassius, quâ erat ejusmodi designationum peritiâ, fuit destinatus, qui stationum, suggestorúmque ballistariorum loca inspiceret, atque ordinaret. Inspexit ille noctu fossam ac muros; sed quâ erat ex longo usu ac felicitate fiduciâ, dum singula propiùs contemplatur, pilâ à puero calone è fossæ margine in ipsum libratâ, capite ictus occubuit, vir nulli rei militaris peritiâ animíque magnitudine posthabendus. Adeò nihil tam sapiens ac validum, cui non sit periculum à stolido & infirmo. Funus ab obsessis redemptum, Coloniámque deportatum est summâ militum sacrorúmq; pompâ, ac planè supra militaris Tribuni modum; sed infra bellicam viri virtutem, palmásque, quas de hostibus, bello Belgico, cum insigni gloriâ reportavit. Ejus gentilibus plurimùm debet Germania ac Hispania, quòd aucto firmatóque per eos transmittendarum litterarum, in omnem penè orbem, commercio, dispositis ex eorum designatione tabellariorum cursorúmque per certa intervalla stationibus, publicum factum est, facile, obviúmque; quod antea rarum, difficile, ac potentiorum duntaxat, non sine magnis impensis fuerat. Haud multo post Tassij necem Schenckius novis cum auxilijs, quæ in Palatinatu contraxerat, Bonnam ingressus est: unde longior futura operosiórque obsidio. Farnesius contrà bellum istud animo complexus, Verdugum Frisiæ Præfectum, Carolum Spinellum, cum duodecim è suâ legione signis, & Eckenbergium Chiliarcham cum Germanis, & tormentis aliquot, Frisijsque cohortibus, Coquellâ Mottææ legionis protribuno, in castra jubet properare. Verdugus, inspectis hostium ac suorum munitionibus, auctor fuit, omissâ urbis aggressione, ut (quod antè Tassius censuerat) vis omnis transferretur adversus arcem & propugnacula è regione urbis à Schenckio trans Rhenum excitata. Ergo Lotharingicâ legione cum parte equitatûs circum Bonnam relictâ, reliqui, transmisso Rheno, ad propugnaculorum oppugnationem deducti sunt. Paucos intra dies, è tribus duo occupata: tertium mole ac defensorum virtu-

Accipit à Duce Parmensi.

LII.

Taxis.

Bonnæ obsidio.

Cædes Tassii.

Fam. Strada, l. 10. p. 703.

LIII.

Castra mutantur.

te præstantius, diu restitit, fatigavítque obsidentes crebris, nec improsperis eruptionibus. Objectæ illi fuerunt geminæ hinc & hinc ab oppugnatoribus municiunculæ, decretáque aggressio. Jam propugnaculi angulum tormenta decusserant, latúsque sic labefecerant, ut rari in eo cernerentur defensores, eo præsertim, quòd ex Bonnensi ripâ, tribus colubrinis, Sanblemontius in eam partem creber fulminaret. Quare Germani stratam ad invadendum viam conspicati, non expectato ducis signo, concito gradu, ascensum primi moliuntur. Alexander Montius, Neapolitanæ legionis protribunus, contrà ac jussus erat, suos eodem impellit, ne sibi decus devictæ munitionis à Germanis præriperetur, gli-
LIV. scente simul irâ & æmulatione. Defensores contrà, sumptis per eam occasionem animis, scandentes non irritis ictibus loco proturbant, cogúntque pedem referre, relictâ, ut in re tristi solet, nonnullâ inter Germanos Italósque offensione. Post hunc improsperæ aggressionis eventum, omissis in præsens hujusmodi incursionibus, visum admovere propiùs aggeres, & agi suffossionibus. Jam ad arcis alam (sic appellabant propugnaculum, quod ab arce aliquantò longiùs prominebat) Germani festinatis operibus, tam propè accesserant, ut colloquia cum propugnatoribus facilè miscerent, cúmque hujusmodi sermonum commercia sæpius intercederent, præsidiarij seu territi, sive corrupti, Eckenbergianis alam concessere, quâ amissâ, defensores, amisso liberiore per reliquam arcem commeandi usu, atque adeò depositâ indies magis magísque ferociâ, de arce tradendâ colloquium petivere: denique pacti deditionem, habitíque militariter, acceptis per Rhenum cymbis, usque in Hollandiæ fines deducti sunt.

Bonna rursus urgetur.

At Schenckius, antequam dederetur arx, veritus, ne alæ istius jactura arcem, ipsámque tandem Bonnam in supremum discrimen traheret, in Angliam properè trajecerat, Reginam rogaturus urbem, periclitantem suam ipsa in tutelam ut reciperet, neque eam Hispanorum in manus venire pateretur: sed Anglis expeditionem in Hispaniæ regna parantibus, ne auditus ille quidem à Reginâ, ad Casimirum, Principem Palatinum rursus excurrit, ac inde confestim Bonnam repetens, reperit non modò amissam transrhenanam arcem, sed etiam traductis inde copijs, multò quàm antè graviorem urbi obsidionem intendi. Etenim Farnesius octo legionis Neapolitanæ centurias, septem Wallonum, sub Claudio Barlottâ, & aliquot præterea turmas, cum Georgio Bastâ in castra Bonnensia miserat, eorúmque accessu Chimacius novis operibus urbem circumvallabat. Itaque cùm nec promptum esset Schenckio tentare civitatis aditum, nec si pateret aditus, tutum ipsi foret mœnibus includi, statuit opperiri à Casimiro copias, per quas ingressum ad obsessos securitatémque sibi pollicebatur. Sed cùm à Casimiro venissent armati pauciores, quàm ut eorum ope castra auderet aggredi, irâ curísque agitatus, consilium Novesij obsidendi, cum ijs, quas habebat, & alijs, quas expectabat, copijs, ex tempore cepit, ratus, se Ernesti vires à recipiendâ
LV. Bonnâ ad retinendum Novesium posse divertere. Verùm quod abundè Novesio foret prospectum, ejus curâ intermissâ, jussit Elector oppugnationem continuari. Igitur Bonna magis magísque in horas premebatur, tametsi Podlisius Schenckij Vicarius, frequens in Neapolitanos & Lotharingos erumperet. Jam eò productæ erant appropinquationum fossiones, ut ab obsidentibus lignorum fasces cum cespite in fossas exæquandas jactarentur; cùm multi civium militúmque defensionem desperantes, de urbe Ernesto reddendâ agitarent. Hoc ut inculpati facere crederentur, alimentis profusè deinceps distractis famem necessitatísque famam, quam metui prætexerent, de industriâ accersivêre. Deditionem quoque maturavit rumor diditus de Petri Ernesti Comitis Mansfeldij in castra profectione cum novis (ut ferebatur) auxilijs. Quare Chimacius, veritus, ne Mansfeldius victoriæ decus sibi præriperet, voluit opera festinari; obsessi verò metuentes, ne Mansfeldium Chimacio austeriorem in paciscendis deditionis legibus experirentur, mitiora cœperunt respicere, & tempestivè se rebus durioribus velle subducere. Ergo cùm essent certi suam rerúmque suarum incolumi-

lumi-

lumitatem supremo periculo antehabere, missi à Podlisio & Bonnensi Magistratu Legati, qui deditionem honestis legibus addicerent. Auditi benignè, impetrarunt, ut postridie præsidiarijs liceret cum sarcinis excedere, qui agmine tamen incomposito, signis complicatis, extinctísque scloporum funiculis, Bercam aliqui, alij Wachtendoncam tutò, datis obsidibus tesseráque securitatis, comitantibus aliquot regiorum cohortibus fuere deducti. Eodem die, qui fuit 4. cal. Octobris, Ernestus Septemvir medius inter Chimacium Principem & Verdugum Frisiæ Gubernatorem, Bonnam intravit. DEDITUR.

Ernestus eâ lætus victoriâ, se retulit ad res suorum Principatuum moderandas, præsertim Provinciæ Leodiensis, quam miles Hispanicus, uti & aliquot annis superioribus, recurrentibus continuò stativis, excursionibúsque afflixit. Quam rem Ernestus sic attemperavit, ut in medijs militaris insolentiæ turbelis patria à rapinis immunis, multò quàm antè molliùs haberetur. ERNESTUS LEODIENSIŪ REBUS CONSULIT.

LVI.

Nondum Schenckius, qui bello instaurando insudabat, arma posuerat, cùm à Varambonij ad Berchæ obsidionem contendentis milite, cæsus fugatúsque, ac paulò pòst novis auctus viribus in campo Lippiensi de Pattono Chiliarchâ, & Joanne Contrerâ Gamarrâ victor, Neomago intercipiendo animum adjecit. Rei expediendæ noctem legit opportunam. Wahali fluvio adsitum est Neomagum. Schenckius igitur validam militum manum navigijs impositam jubet urbis aditum per tenebras tentare; subsequitur ipse majore navigiorum apparatu. Quos præmiserat, non fefellêre quidem excubitorum oculos, sed per vim, civibus quamlibet obnitentibus, invasêre domum amni propinquam. Schenckius ubi appulit, binas portas Antoniam & Cliviam aggreditur die jam illucescente. Accurrêre cives præsidiarijs confusi. Perruptis Clivensis portæ repagulis, Schenckius in forum penetrat, excipitúrque à validâ propugnatorum manu. Antoniam emoliebantur alij, Neomagensibus acerrimè repugnantibus; & alios, qui captam domum insederant, incursantibus. Tribus ergo locis obstinatissimè conserebantur manus. Jam quatuor ferè horas dimicatio tenuerat, ter amisso, ter recuperato foro. Sed ut subitorum impetus sensim languescit, ubi prima non succedunt; paulatim remittebat ardor invadentium: solus Schenckij metus, quem sui hoste ferociorem formidabant, ad fugam pronos in certamine retinebat. Verùm cùm à grandioribus machinis, quas cives in forum adduxerant, graviter peterentur, affluentibus etiam majore identidem numero ad prælium civibus ac præsidiarijs, cúmque fœminæ ac pueri de fenestris ac tectis in subjectos saxa, aliáque, quæ fors porrigebat, omnis generis tela contorquerent, Schenckiani jam fessi imparésque, ad portas recedere, tum effusè pedem laxare, ipsum Schenckium fugientibus implicitum secum abripere, certatim omnes ad naves refugere. In fugâ multorum strages à Neomagensibus terga cædentibus edita: longè plurium, in receptu ad naves. Cùm enim nullo ordine, sed cœco impetu, singuli cymbas, quas fortuna obtulerat, invaderent, prægravante multitudine, hauriebantur aliquæ: ex alijs, contis remísque per socios, qui primi conscenderant, repellebantur: sic per socios reijciebantur à fronte, à tergo cædebantur ab hoste: multi desperato navigiorum subsidio, in aquas, ut erant armati, ferebantur præcipites, & suo pondere mergebantur: quos armis abjectis nandi peritia juvabat, telis è ripa destinatis figebantur. Schenckius irâ furens, cùm frustra suorum fugam sistere, ac denique in repetendis navigijs statuere aliquem ordinem, aliquot suâ manu obtruncatis, fuisset conatus, ad extremum ipsi sibi parans consulere, in pontonem insiliens nimio multorum pondere dehiscentem momento absorptus est. Alij narrant, fallente vestigio à navigij margine aberrantem lapsúmque in undas, ultima fata bellíque facem, quam accenderat, ac porrò accendere meditabatur, ultricibus undis extinxisse. Ejus corpus inter cadavera flumini innatantia repertum, magnâ Neomagensium lætitiâ spectatum, sectúmque, capite amputato, in partes quatuor, ex totidem turribus & unâ portarum urbis, aliquandiu

Chappeavil. in Ernesto.

SCHENCKIUS NEOMAGUM AGGRESSUS MERGITUR.

Famian. l. 10. p. 750.

LVII.

diu pependit, donec inde remotum, duobus pòst annis à Mauritio Comite sepulchro jussum militariter mandari. Atque is quidem finis fuit hominis præferocis, fluxæ ac desultoriæ fidei, qui arma nunquam tractabat accuratiùs, quàm effusè potus & vino amens; nunquam arcani retinentior, quàm inter pocula: risûs prorsus expers, sævus iracundiâ etiam in suos, hauriendi sanguinis & prædarum perinde ferè avidus, atque hoc ipso charus militi: laborum ad insaniam tolerans, assuetus, cùm res poscebat, dies noctésque equo affigi, in equo somnum capere, in equo cibum sumere, & velut in equo habitare.

GUILIELMUS. JESUITAS RATISBONÆ CONSTITUIT.

LVIII. Dum in Ubijs & locis Rheno confinibus, adversus Ernesti Septemviri hostes armis certaretur, Guilielmus Dux in Boicâ bellum pro pietate movebat. Anno LXXXVI. cùm Philippi filij Ratisbonensis Episcopi nomine rem Catholicam in istâ Diœcesi magno animo, nec minore religione promoverat, initium fecit, inducendæ in urbem, jam dudum acatholicis ritibus magnam partem addictam, Societatis Jesu coloniæ. Bini duntaxat è Monacensi Collegio missi, statuendi Collegij velut fundamenta jecère, quorum alter orsus in templo maximo dicere ad populum, fructu non contemnendo, minore tamen concursu, quòd Magistratus Ratisbonensis Lutheri castris auctoratus, cives aditu prohiberet, locatis propter templum satellitibus; quos tamen sic arcere non potuit, quin multi perdiscendæ veritatis studio in templum penetrarent, per hæc obstacula magis magísque accensi. Eò crevit, anno LXXXIIX. auditorum numerus desideriúmque proficiendi, ut non pauci ad Romanam Ecclesiam adspirarent, esséntque reipsa redituri, nisi vitiosa quædam verecundia, formidata rerum fluxarum inopia, & acatholicorum quà publica, quà clancularia insectatio, retraxisset. Initio Guilielmus Socijs ædes attribuit, quas ubi religiosis usibus intellexit minùs accommodas, mutavit amplioribus, eâ lege, ut tractu temporis, domibus, quæ Insulam efficerent, Collegium extrueretur. Sed cùm res lentè procederet, ut perduceretur ad exitum, Guilielmi vigilantiâ effectum est. Cùm enim Monasterium S. Pauli à D. Wolfgango quondam hujus urbis Præsule fundatum, propè desolatum esset, post mortem Antistitæ fœminæ nobilis; Dux vehementissimè contendit, ut Societati Jesu traderetur, tandémque perruptis obstaculis, quæ negotium sufflaminare videbantur, hoc anno, 3. cal. Martias, novo Collegio initium, solenni apparatu, factum est. Eam celebritatem viri Principes & religiosissimi, omni civitate ad spectaculum effusâ, præsentiâ suâ illustriorem reddidère. Re divinâ à Procepiscopo Ratisbonensi factâ, Decreto Pontificio, quo, abrogato Monasterio, instituebatur Collegium, & Guilielmo Bavariæ Duci, ejúsque posteris commendabatur, publicè recitato, Commissarius Sixti V. Pontificis Maximi auctoritate, Societatis Præposito Provinciali idipsum S. Pauli Monasterium, unà cum omnibus facultatibus & annuis proventibus dedit. Inter cæteram supellectilem calix fuit & vestis, quibus sexcentesimo abhinc anno B. Wolfgangus in sacro faciendo utebatur. Post hæc, Octobri mense, ad formandam juventutem, quatuor classium Gymnasium apertum est, cùm Patres Scoti, è D. Benedicti familiâ, omnes suos discipulos, quos sedulò erudierant, sociorum curæ lubentes volentes tradidissent.

Annal. An. 1589.

Ista Ratisbonæ: hæc Monachij. Post Christi ad cœlos ascendentis ferias, Guilielmus votivam peregrinationem ad Sanctum Montem Andecensem sextâ ferè à Monachio leucâ instituit. In eâ supplicatione, nihil ad exemplum fuit illustrius trium Guilielmi filiorum præsentiâ, quos ipse ejusce pietatis causâ accersierat. Ibant pedites & penulati, rosarijs è collo pendentibus, ut habitu à cæteris Sodalibus, qui voti causâ sequebantur, nihil differrent. Spectabat eâ religio res Ecclesiæ afflictas, præsertímque turbatam intestino bello Galliam; pro quâ subinde Monachij tridui supplicatio fuit indicta, ut viri mulierésque precandi studio obirent templa diversa. Hanc supplicationem consecuta est comprecatio horarum quadraginta, distributis vicibus in Sodalitates & Clerum. Clausit ordinem cum omnibus suis aulicis Dux ipse, qui horis duabus, fixis humi geni-

genibus, ita perseveravit, ut cæteri omnes mirum in modum ejus pietate afficerentur. Hæc ut in magnis Principibus rara, ita in Guilielmo quovis triumpho gloriosiora. Nec verò suis tantùm præluxit subditis pietate, sed etiam non mediocriter profuit æquitate. Grave proposuit Edictum in eos, qui verbo probroso Numen divinum violarent: voluit id promulgari à Concionatoribus pro suggestu, dein tertio quoque mense ipsius memoriam renovari. Hinc multis, bonus magister factus est, metus supplicij.

PIA LEX IN BLASPHEMOS

Dum Guilielmus in Deum hominésque se præstat officiosum, Ferdinandum ejus filium, quem Ernestus patruus sibi Coloniæ successorem designârat, Jacobus Pitrichius gente Monachij patritiâ, nobilissimi Berchtesgadensis Cœnobij Antistes, Præpositurae Adiutorem cum jure succedendi cooptavit. Quæ res non postrema causa fuit inimicitiarum, quas Wolfgangus Theodoricus Salisburgensis Archiepiscopus gessit adversus Domum Boicam. Ambiebat videlicet amplum opulentúmque ejusce Asceterij dominatum, tam obfirmatâ destinatione, ut (quod suo tempore referetur) non priùs ambire desierit, quàm bello à Maximiliano Ferdinandi fratre superatus, ipse, Salisburgensi sede motus, experiretur, longè se meliùs fuisse facturum, si suâ sorte contentus, modum frenósque suæ cupiditati injecisset. Ipso statim hujus dissensionis initio, arma ad subigendum Monasterium (quod rarò paucísque faustum auspicatúmque fuit) corripuisset, nisi defuissent ab Oenipontano Archiduce Ferdinando Austrio auxilia rogata per Jacobum Khuenum urbis Salisburgensis præfectum; & Clemens VIII. Pontifex Maximus Wolfgangum vim parantem in ipso conatu cohibuissent. Hoc demum anno, posteaquam ea lis Romæ magnâ Wolfgangi Theodorici contentione fuerat agitata, Junij decimâ quartâ, ritu solenni, adhibitis pro more testibus Breve Apostolicum à Clemente hac super re concessum, Berchtesgadij in summæ Ecclesiæ choro, jubente auctoritate Apostolicâ, Jacobo Müllero Episcopatûs Ratisbonensis Administratore, Brevis executore, coram Georgio Lautherio, qui Ferdinandi Ducis partes mandatario nomine sustinebat, & Jacobo Pitrichio Præposito, nobilibúsque regularis Berchtesgadensis Ecclesiæ Canonicis, fuit publicatum, acceptúmque, quantum quidem factæ à Præposito cooptationi, & Canonicorum postulationi, in Ferdinandi gratiam patrocinaretur. Eodem tempore, misso vice Ferdinandi in possessionem Lautherio, imperatum fuit ab Administratore Ratisbonensi, tanquam sedis Apostolicæ Commissario, ut ille loco Adiutoris haberetur, & quâcunque deinceps ratione Præpositura vacaret, eidem Serenissimo Principi, velut legitimo Præposito, Canonici & omnes ac singuli cujusvis dignitatis, Berchtesgadensis jurisdictionis & quorumlibet officiorum administri ac subditi, debitam reverentiam, obedientiam, fidémque præstarent. Pupugit Wolfgangum Theodoricum vehementer, fuisse sibi abdicatam istam Præposituram, tametsi illa à primævâ sui origine, in rebus sacris, sedi Apostolicæ; in civilibus, Sac. Rom. Imperio, nullius sublimioris potestatis interpositu, foret subjecta.

FERDINANDUS GUILIELMI F. FIT COADIUTOR BERCHTESGADENSIS.

LIX.

Acta Clostermair Iur. Licent. publ. Notarij.

AN. M. D. XC.

Id temporis idem Dux Ferdinandus Ingolstadij cum Philippo fratre pietati bonísque litteris tam illustrem locabat operam, ut discipulorum industriam virtutúmque studium acueret. In eâdem palæstrâ simul exercebatur Serenissimus Ferdinandus liberorum Caroli Archiducis ætate maximus, nostrâ ætate Romanorum Imperator, qui & ter uno anno præclarum edidit specimen sui profectûs perpolitâ oratione, dignâque auribus eruditis. Cùm pro more apud examinatores sui profectûs specimen ederet, tantâ ingenij, eruditionis, & responsorum amœnitate eos cepit, ut ingenti lætitiâ perfusi, & velut invitati ad protrahendum examen, vix intra horæ spatium præstantissimi Principis desiderium expleverint.

FERDINANDUS AUSTRIACUS: FERDINANDUS BAVARUS ET PHILIPPUS FRATRES INGOLSTADII LITTERIS DANT OPERAM.

LX.

Monachij instabat dies, quo & dedicandum erat solenni cæremoniâ D. Michaëlis templum, & celebrandum novum Gymnasium, quod utrumque Guilielmus Dux insigni magnificentiâ penè ad finem perduxerat, cùm 6. Id. Maij tur-

TURRIS RECENS TEMPLI D. MICHAELIS MONACHII COLLAPSA.

ris templi jam antè ruinam minata, procubuit, suóque lapsu testudinem labefactavit. Ne quisquam mortalium eo casu opprimeretur, providit Deus & cura Principis, ubi primùm fatiscentes turris parietes, & nutantem obelum animadvertit, vijs circa templum occlusis, campanis depositis, vetitóque templi ingressu.

DAT OCCASIONEM CHORI EXTRUENDI.

Artexit id quidem infortunium malevolorum cornua, exacuítque linguas obtrectantium, oblatâ maledicendi materiâ. Verùm sermones retudit optimi Principis magnanimitas, & constans in bene cœptis religio. Nihil perculsus aut veteris impensæ jacturâ, aut necessitate novi sumptûs, perpurgato statim loco, eiectísque ruderibus, non modò collapsum opus instauravit, sed redegit in formam longè ampliorem, adiecto insuper choro in paucis magnifico, qui latus est pedes quinquaginta quatuor & semissem, longus septuaginta novem, cui accessit tribunal splendidi operis, ad scalæ modum ex rubro marmore, habens gradus septenos.

LXI.

IMMIGRATUR IN NOVUM TEMPLUM,

Quin & Socijs in veteri adhuc Collegio degentibus, nec satis tutò, propter recentem ruinam; Guilielmus perfugium apud se esse voluit, in amplâ filiorum domo, ubi interea morarentur, donec sequenti anno, pridie Archangeli Michaëlis, augustum in templum, etsi non absolutum omni ex parte, jam consecratis altaribus, solenni ritu, ex ædis Augustinianæ (ubi Societas per tres & triginta annos sacris operata fuerat) angustijs immigratum est, cæremoniâ illustri. Celebratæ enim primæ vesperæ musico concentu; pari lætitiâ postridie sacrum, cohonestante religiosissimo Principe, cum universâ familiâ, maximâque vulgi frequentiâ. Immigratum quoque in Collegium mediâ jam ex parte perfectum, ut inde appareat, quantum debeat Jesu Societas Principi maximo, veriùs optimo parenti, qualem se non modò præstabat, sed etiam se semper fore, litteris ad Ordinis Generalem Præpositum perscriptis, professus est.

ET COLLEGIUM.

ANNÆ AUSTRIACÆ GUILIELMI MATRIS OBITUS.

Dum ad erigendas verarum virtutum palæstras Guilielmus lætus incumbit, luctus ipsi est exortus ex obitu charissimæ suæ parentis Annæ Austriacæ, Principis Catholicæ pietatis observantissimæ, quæ pro Boicâ in Romano-Catholicâ religione retinendâ, pari, cum Alberto marito, curâ atque constantiâ laboravit. Ipsi justa parentalia exolvit Monachij Guilielmus; Leodij Ernestus, regio apparatu, convocatis ad cohonestandas cæremonias totius Provinciæ Præsulibus, Nobilitate universâ, toto Magistratu, & civium primoribus.

LXII.

BRAGADINUS CHRYSOPOEUS GLADIO FERITUR.

Sed & Justitiæ suas partes dedit Guilielmus hoc anno. Egerat Monachij Marcus Bragadinus homo versutus, & quales magnam partem sunt Chrysopœi (gens difflandis potiùs, quàm conflandis opibus nata) fraudulentus & impostor. Eum malæ artis dolíque ob interversam pecuniam, & à viris Principibus, quibus os subleverat, accusatum ac compertum, Guilielmus Monachij rerum capitalium judicibus commissum gladio feriendum (non reste aureâ suspendendum, ut vult Julius Cæsar Bulengerus) demandavit.

AN. M. D. XCII.

Idem Princeps religiosissimus ad cætera sua in Societatem Jesu maxima beneficia, hæc addidit. Anno nonagesimo secundo Collegij Monacensis fundationi tot tantáque contulerat, ut in peramplum atque illustre religionis domicilium provecta esse meritò censeretur. Reliquum erat, ut ad perpetuandam beneficij memoriam stabilitatémque fundationis tabulas suâ manu & auctoritate firmatas traderet. Eam ad rem sibi delegit decimam nonam diem Januarij.

Annal. Soc. an. 1592.

GUILIELMUS LITTERAS FUNDATIONIS COLLEGII MONACENSIS TRADIT.

Venit eo die ad Collegium. Constitit in triclinio unà cum Renatâ Lotharingicâ Serenissimâ conjuge, pientissimâ Principe, & laborum Societatis singulari æstimatrice. Adstitêre simul Ferdinandus Guilielmi frater, filij Maximilianus natu maximus, & Albertus natu minimus, præclarissimæ magni Principis imagines. Alterum triclinij latus tenebat Senatus domesticus, viri primarij nobilissimíque, Cancellarius, Aulæ Præfectus, & qui Principi erat à Secretis. Remotis alijs arbitris, Societatis Collegis in eodem triclinio præsentibus, Cancellarius dictatam à Guilielmo orationem patriâ linguâ recitavit, quâ tot támque præclaris laudibus Societatem oneravit, ut sociorum modestia in ruborem versa penè obrueretur.

Con-

Contulit Cancellarius cum præterito, florentem id temporis Bavariæ statum, acceptúmque tulit Societatis laboribus pro Deo susceptis, jam inde à Guilielmi IV. temporibus insigne pietatis incrementum. Hortatus deinde est, pergerent Patres certare pro æternandâ avitâ religione, quam in Bavariâ sustentassent; eò conferrent sua studia, preces, ingenia, habituri homines testes & admiratores in terris, Deum in cœlis remuneratorem. Exposuit quoque quantam ex eo Dux LXIII.
voluptatem acciperet, quantum debere se profiteretur Ordini, quámque cuperet ejusce suæ voluntatis aliquam dare significationem. Digressus ad templum, quod valdè pretiosâ supellectile, auro, argentóque in divinum cultum Guilielmus locupletaverat, conversâ ad Gymnasium oratione, pollicitus est, scholas propediem rebus omnibus, assignato ad eam rem certo censu annuo, perducendas ad fastigium. Præter hæc dixit, in promptu esse Collegij dotem idoneam: hæc omnia illum ultro largiti, velut castra, armamentarium, annonam, cæterúmque sacri belli instrumentum, delectis Boicæ Provinciæ opitulatoribus. Ea Principem velle, jubere, Societatis Jesu esse plenissimo jure, cui proinde ex eo momento in omne ævum dentur, addicantur, præclarissimis illis, qui aderant, testibus, Deo suasore atque auspice, & cupere in primis Principem, ut cedat ista donatio ad divini Numinis maximam gloriam, ad summum decus prosperitatémque Domûs Bavaricæ, Principatûs, Societatis, totiúsque Ecclesiæ. Hoc loco denique Guilielmus diploma suâ manu signóque confirmatum, Rectori Collegij tradidit, tantam præ se ferens hilaritatem, ut beneficium non dare, sed accipere videretur. Rector pro re ac tempore pauca modestissimè respondit. Secutum est epulum, sub quo ad Guilielmum dicta est luculentissima oratio. Neque ille tot donationibus sibi satisfaciens, quo tempore augustissimum Sacramentum festâ pompâ obire civitatem assolet, ad illud gestandum honorificentiùs, donavit sumptuosissimam umbellam, & hierothecam argenteam undequaque illustratam auro, gemmis, emblematis, iconibus, structurâ affaberrimè factâ, tanti ponderis, quantum gestare posśit vir bene robustus, Pes, calicis formam imitatur: divinam hostiam in cavo illustrique crystallo sustinet Angeli effigies nixa genibus, & utrinque brachia in caput attollens.

Sed neque hîc stetit Guilielmi pietas; porrexit se longiùs etiam extra fines Boicæ. Hoc enim anno cum reperio pro alieno ære dissolvendo, laxandísque Collegij Oenipontani rei domesticæ angustijs, bonam pecuniæ vim liberaliter dono misisse; sed & curas suas ad D. Virginis ædem Oetinganam, augendámque in ea piorum religionem extendisse. Habet Oetinga haud procul ab Oeno antiquissimum & religiosissimum Deiparæ Virginis sacellum, alterum propè in Germaniâ Lauretum, quò solet uoti causâ innumera hominum multitudo confluere. Est in eo loco magna juvandorum animorum opportunitas. Quæ res fecit, ut Guilielmus suppeditârit, quæ necesse forent aliquot Societatis Jesu sacerdotibus, qui isthic sedem figerent. Quinque ad initium illuc fuerunt misśi, ad colligendos fructus Guilielmo exoptatos, Deo verò pergratos, quales expectari poterant ex tam copiosâ peregrinorum & indigenarum confluxu, inter quos sparsa rerum divinarum sementis, quæ in divitem, quanta hodiéque est, messem excresceret; modico primùm, deinde majore, denique maximo proventu.

INITIA DOMUS OETINGANÆ SOCIETATIS JESU.

LXIV.

Guilielmus ut binos filios, quos sacris infulis videbat addictos, Romanæ religionis studio magis magísque accenderet, hoc anno Romam, ut summo Pontifici se venerationis causâ sisterent, Urbisque nôssent sanctitatem, voluit proficisci, missurus anno sequenti Maximilianum natu maximum, quod explicatiùs in ejus vitâ recensebitur. Istud iter priùs quàm susciperent, Moguntiæ, hoc anno, more inter Ædis summæ Canonicos recepto, degerant; ubi suæ in Deum religionis præclarum mnemosynum reliquerunt in tabellâ affixâ inter illustria ædis S. Crucis anathemata. Est votivum carmen, quod Nicolaus Serarius libro I. cap. 31. rerum Moguntiacarum exscripsit cum insigni Serenisśimi Guilielmi parentis & utriusque filij elogio, ijsdem verbis, quibus illi suâ manu elegantissimè exarârant. Est autem ejusmodi;

Ad

AD CRUCEM MIRACULO INSIGNEM

VOTUM PHILIPPI ET FERDINANDI BAVARIÆ DUCUM.

Votivum Carmen Philippi et Ferdinandi Ducum.

LXV.

Ergone, Te lignum, ligni cœlestis imago,
Ira furens petit, & sceleratâ cæde cruentat?
Aspicimus pavidi caput à cervice revulsum,
Et venâ haud solitâ manantis signa cruoris,
Et circum toto pendentia pariete dona,
Votivásque tuæ testes opis undique ceras.
O ultore Deo sanctum, ô venerabile lignum:
En! te submissi ad terram veneramur; & aras,
Et Tibi supplicibus defigimus oscula labris,
Et pia suspensâ testamur vota tabellâ.
Serva ô (nam servare potes) Crux alma PHILIPPUM,
FERNANDUMQUE Ducis GUILIELMI Pignora Boij.
Servati meritos olim referemus honores.

PHILIPPUS EPISCOPUS RATISBONENSIS, &c. &c. ET FERDINANDUS FRAtres, &c. Poneb. & Scribeb. in Residentiâ Moguntina.

M. D. XCII.

An. M. D. XCIII. Fructus missionum.

Paulatim in majus adolescebat in Boicâ prisca pietas ex probâ virorum probatorum institutione ac culturâ, quæ sese quoque ad loca minùs celebria, annis procedentibns, pro evellendis sequiorum morum & pravæ doctrinæ fibris, efferebat. Inter cæteros memorabilis est fructus, qui Neostadij & Abenspergæ extitit. Erat his locis gravis & altè fixa opinio, quæ multitudinis animos pervaserat, Jesuitas eruditionis famâ, Principum familiaritate, Dynastarúmque consuetudine elatos, despicere plebem, tenuiorésque vix ullo habere numero. At illi gnari se omnium esse debitores, huic perniciosæ opinioni occurrendum rati, ista in Oppida missi à Superioribus, sunt jussi è templo in compita prodire, frequentia oppidanis loca revisere, privata captare colloquia, minimis quibusque se insinuare, salutare, revereri omnes, seséque ac operam suam non venditare, sed ultro liberalitérque deferre omnibus.
LXVI. Hæc comitas non modò insitam mentibus opinionem exemit, sed etiam oppidanos ad mutuam benevolentiam, consuetudinem, & sacrorum frequentiorem usum pellexit. Et in altero horum oppidorum Curio ipse, qui falsæ opinionis author extiterat, cæteris exemplo præivit. Nam in maximâ populi frequentiâ, ad alterius sacerdotis pedes provolutus, rite expiatus, pro suggestu deinde cùm verba faceret ad populum, veniam ab omnibus ita petijt, ut eos etiam atque etiam rogaret, ut, quo authore errassent, eodem duce redirent in viam.

Nova turris templi D. Michaelis inchoata.

Monachij templi pars reliqua ac turris, hoc anno apertis jactísque in permagnam altitudinem fundamentis, quadrato lapide, passibus aliquot à templo remota, strui cœpta est, eóque perducta, ut longè processerit, operis prorsus egregij,

gij, & Guilielmo Principe dignum initium. Philippus Ratisbonensis Episcopus & Ferdinandus ejus filij Româ reduces, sacras reliquias ex urbe allatas, in D. Michaëlis templo ad id egregiè exornato, maximâ Ordinum omnium frequentiâ, pulcherrimo carminum apparatu, summâ cæremoniâ collocârunt. Cohonestârunt celebritatem Dux ipse Guilielmus & Cremonensis Episcopus Pontificis Legatus. Quamdiu exposita fuerunt Sanctorum Martyrum Lipsana, certatim magnis à populo honoribus culta fuerunt. RELIQUIÆ SANCTORUM ROMA ALLATÆ.

Hoc anno Albertus Dux, Guilielmi filius, litteris politioribus excolebatur Ingolstadij. Ejus Serenissimi Fratres Philippus & Ferdinandus Româ reversi Philosophum eodem loci audiebant. AN. M. D. XCIV. LXVII.

Ernestus Coloniensis Archiepiscopus in Comitijs Ratisbonensibus Septemviri insignia suscepit à Rudolpho Cæsare. Non erit injucundum, ritum celebritatémque ejusce inaugurationis paucis cognoscere. Cæsar solio sublimis sub pensili umbellâ sedebat, circumstantibus Moguntino, Trevirensi, Saxone, Brandeburgensi Electoribus. Erat circumfusa Germanicorum Principum Procerúmque corona. Prodière in Cæsaris conspectum sex ab Electore Coloniensi Oratores, & Maximilianus Bavariæ Dux, futurus & ipse olim Septemvir, Georgius Ludovicus Landgravius, Comes Isenburgicus, iisque adjuncti alij Dynastæ Imperij beneficiarij, & Domûs Augustalis familiares. Sequebatur Coloniensis Cancellarius, & series longa nobilium. Hi omnes ad portam Imperatorij triclinij se demisère in genua; eam demissionem geminârunt, & medio progressu pôst repetiverunt, ante Cæsarem in genua provoluti. Eo situ Cancellarius Septemviralem inaugurationem suo Principi supplex rogavit. Ubi dictionem absolverat, jussus est cum suo comitatu assurgere, tantispérque secedere, dum deliberaretur de postulatis. INAUGURATIO SEPTEMVIRALIS ERNESTI ARCHIEPISCOPI COLONIEN.

Posteaquam in commune erat quæsitum, decretúmque, essétne è re publicâ Ernesti voto annuere, revocantur Oratores, qui iteratâ, uti antè, cæremoniâ se stitère Cæsari. Cæsar per suum Procancellarium respondit, velle se Coloniensem desideratæ inaugurationis facere compotem. Accepto responso, Oratores fronte ad Cæsarem semper conversâ, respectántesque sedentem retrogressi, Ernestum foris expectantem adeunt, referúntque Cæsaris voluntatem: tum inducunt in Cæsaris conspectum, stipantibus ejus latera Maximiliano Duce Bavariæ, Duce Holsatiæ, aliisque Principibus. Ernestus ubi Cæsari conspicuus sua postulata ingeminârat, mox Cæsar è solio, capite tamen detecto, Electoribus stantibus nudo pariter vertice, à Moguntinensi & Trevirensi porrectum sustentatúmque sacrum Evangelij codicem accipiens, conceptis verbis ab Ernesto Coloniensi sacramentum ex consuetâ formâ exegit: quo præstito, Saxo gladium Cæsari porrexit, cujus capulum Ernestus deosculatus, inaugurationis ritum absolvit.

Quàm bene fuerit iste honor apud Ernestum collocatus, testatum fecit ipse in Comitijs, præclarâ, pro rei Catholicæ incolumitate & Romanæ sedis dignitate, constantiâ, quam Clemens VIII. Pont. Maximus, per litteras, postrid. cal. Septembris Romæ apud S. Marcum datas, amplissimè ipsi est gratulatus. Pontificem enim reddiderant certiorem Ludovicus Cardinalis Madrutius Legatus à latere, & Cæsar Cremonensis Episcopus, aliique Nuncij Apostolici, qui Comitijs aderant, *quanto studio, quanto animi ardore & zelo, Catholicæ religionis causam defendendam Ernestus suscepisset, suâque authoritate & gratiâ procurasset, ut Catholicorum Principum concordia & consensio conservaretur, & Ecclesiastici Ordinis jus & dignitas retineretur.* ERNESTUS CLEMENTI VIII. GRATUS. LXIIX.

In eandem sententiam Ernesto scripsit Alanus Cardinalis Anglus, vir pietate & eruditione admirandus, recensens sermonem à Clemente in Cardinalium cœtu habitum, cum insigni lætitiæ demonstratione, quam ceperat ex rebus in Comitijs ab Ernesto aliisque Catholici nominis Principibus præclarè gestis. Absoluto Conventu, Ernestus Cæsarem Pragam abeuntem secutus, mandata ac-

cepit de quibusdam capitibus, quæ cum Electore Brandeburgico aliísque Principibus Imperij, pro communi rei Christianæ bono transigeret. Quo munere cùm laude perfunctus, rerum à se gestarum Cæsari rationem reddidit per Baronem Groesbeckium, primum à rebus cubicularibus Aulæ Septemviralis Nobilem.

Bulenger. l. 9. Domum redux Ernestus incurrit in turbas hac occasione. Ernestus Austriæ Archidux Belgio cum summo imperio à Rege Catholico præfectus, variâ in fœderatos ordines usus fortunâ, graviter ferebat Hispanorum veterem, & Italorum recentem seditionem, quæ nisi repræsentatis superioris militiæ stipendijs sedari non poterat. Quamobrem ratus se Hispanis compositis adversus Italos usurum; illis numerâvit stipendia, Italos neglexit. Hi præter solitum irritati, ad ipsa Bruxellæ mœnia excursionibus prædísque regionem infestabant. Quæ res cùm Ernesto Archiduci foret ingratissima, dedit Ludovico Velasco negotium, Italos ut Hispanorum armis obtereret: tum Ernestum Septemvirum, cujus intererat Ubios & Eburones liberari à seditiosorum insolentijs & prædationibus, rogavit, vellet collectâ aliquâ pugnatorum vi, ad tumultuosorum opprimendos conatus exitiúmque conspirare. Conspiravit, móxque scripsit quadringentos equites, pedites octingentos, qui turbulentis annonam & excursationum libertatem intervertetent. Itali rei novitate offensi, Georgio Macagnâ & Joanne Rozzâ ductoribus, Eburones somno sepultos intempestâ nocte inobservati invadunt, cædunt, sarcinis spoliant, & equis abductis propemodum octingentis, se incolumes Sichemium recipiunt. Ernestus Archiepiscopus hac perculsus clade, à prudentiâ, quæ jubet cedere tempori, cepit consilium; ratus, se faciliùs hastis aureis, quàm ferreis, hominum ferociam esse debellaturum. Pactus itaque est Italis, præbuítque quindecim florenorum millia, quibus agris Provinciísque suis quietem præstaret.

ERNESTUS LEODIENSIS AGRI VEXATIONEM PECUNIA AVERTIT.

LXIX.

AN. M. D. XCV.

FERDINANDI ARCHIDUCIS QUINQUENNALE STUDIUM.

Annal. Coll. Ingolst.

Hunc annum nobilitârunt Maximiliani, Guilielmi filij, celeberrimæ cum Elisabethâ Lotharingicâ nuptiæ, de quibus paulò pòst agetur fusiùs. Ingolstadianæ Academiæ magnum decus accessit ex Ferdinandi Austriæ Archiducis, & Philippi, Ferdinandi, & Alberti Bavariæ Ducum luce & industriâ. Ferdinandum Austriacum, peracto in Academicis studijs quinquennio, cùm Græcium reditum pararet, Scholæ, Academiáque universa exornârunt multiplici Emblemate & carminum genere, quibus positum in litteris quinquennale studium collaudârunt. Idcirco opus inscripsêre Ferdinandi quinquennalia. Quæ inter scriptiones & imagines visæ probatissimæ, Principi fuere oblatæ. Eas ipse animo gratissimo accepit, recepitque, se eas secum asportaturum, ad jucundam Ingolstadiensium memoriam. Statuit præterea in æde Societatis Jesu præclarum suæ pietatis juxtà ac munificentiæ monumentum in arâ principe, quam suis extructam peregregiéque ornatam sumptibus, voluit cultui divino dedicari. Opus structurâ & arte sculptoriâ ingeniosum, quinquennij bene locatam operam absumpsit.

LIBERALITAS.

PHILIPPI ET FERDINANDI FRATREM PHILOSOPHICÆ DISPUTATIONES.

LXX.

Philippus ac Ferdinandus Boici Principes hunc annum superiore reddiderunt non minùs illustrem. Assertiones enim ex universâ Philosophiâ tantâ ingenij indole defenderunt, ut, cùm acriter à Professoribus argumentorum subtilitate premerentur, eâ laude difficultates omnes expedirent, quali privatus quilibet excellenti præditus ingenio, qui ex humili fortunâ ad amplissimos honores iter sibi aperiret. Et quia non sibi duntaxat ex tantæ eruditionis famâ, sed etiam Academiæ, ex suâ majestate, ingentem gloriam afferebant, Academici omnes tum Doctores, tum auditores, tam illustris beneficij gratiam agnoscentes, eos frequentissimo agmine è Regiâ in Academiam deduxerunt. Primo die, Philippus, altero Ferdinandus in arenam descendit. Dies integer datus utrique disputationi, quâ absolutâ, Præses, ipsorum nomine, coronæ universæ, sigillàtim Academicis, ac civibus oratione appositâ gratias egit. Consurrexit Academiæ Rector, & gravi pariter dictione declaravit, quantum Scholis Academicis, ex

Principum humanitate honoris accesserit, quantámque & in præsens apud omnes gentes, & ad posteros, laudem simul & admirationem fama habitura sit; quòd tanti Principes, positâ majestate, velut ad privatorum morem, suam magnitudinem demiserint, & doctrinæ experimenta summis viris æquaverint. Ex Academiâ rursus, vespere, uterque eâdem frequentiâ, iisdémque honestæ multitudinis studijs, in Regiam reducti sunt. His actis, quod definitum erat Ingolstadiensi commorationi, non otio aut cessatione, Musarum strenui amatores posuerunt; sed continuato studiorum cursu, locos nonnullos, Principibus maximè accommodatos, in Theologiâ perlustrârunt. Inde, adveniente profectionis tempore, Philippus Ratisbonam, ad suum Episcopatum; Ferdinandus Coloniam, ad partem Archiepiscopalium curarum sustinendam à Patruo evocatus, discessêre. Etenim Ernestus, potestate à Clemente Pont. Max. acceptâ, assentientéque principis Ædis summo Coloniæ Collegio, Ferdinandum nepotem Adjutorem atque successorem in Archiepiscopatu cooptavit, cùm annum ageret decimum octavum, non undecimum, uti vult Chapeavillæus. Albertus Dux eorum frater, suo adhuc splendore Gymnasium perrexit illustrare.

Sub anni superioris finem, Præsidium Bonnense cœperat tumultuari ex causâ nimiùm familiari. Causabantur sibi non solvi stipendia, accusabant Theodorici Lindani Gubernatoris absentiam, Tribuni severitatem, aliásque id generis motibus haud insueta, Coloniense illustrissimum Collegium, viri nobiles, Gubernator, ipséque Elector eos hortabantur, ut quieti, brevi adfuturam pecuniam expectarent; sed frustra, nulla etenim ipsis quies nisi in nummis præsentibus. Quamobrem Ernestus conquisitâ pecuniâ, numeratóque bimestri stipendio, cùm non nisi sesquimestre deberet, tumultum composuit prid. cal. April. PRÆSIDII BONNENSIS TUMULTUS LXXI. ERNESTUS COMPESCIT.

Anno insequente, præclaram posuit operam in procurandâ salute suorum subditorum per Leodiensem Dioecesim. Primùm enim, ut, quod boni pastoris est, suarum ovium vultum pernosceret, per universam ditionem mandavit omnibus curionibus, ut ferijs Paschalibus, cæterísque diebus, quibus Catholici sacram synaxim tenentur adire, singulorum nomina referrent in indicem, eáque cum Archidiaconis communicarent, ex quibus deinde ipse Antistes de omnium ac singulorum, si luberet, annuâ communione, certior posset fieri. Deinde mense Augusto ex oppido Masecâ sex & triginta, ex Hasseleto haud pauciores de hæresi suspectos proscripsit. AN. M. D. XCVI. CURA SUBDITORUM EIUSDEM.

Philippus Ratisbonæ Antistes, cùm sedem pontificiam inijsset, multa quoque pietatis & religionis exempla cœpit edere ad firmandos Catholicorum animos. Ferdinandus in partem curarum ab Ernesto Coloniensi Electore adhibitus, jecit rerum magnarum, quas postea gessit, & exercendæ sapientiæ fundamenta. *Hinc* (inquit Chapeavillæus) *afflictissimæ Diœcesi post tot calamitates respirandi spes, quòd esset à Patruo, pro ejus administratione vocatus.* PHILIPPI ET FERDINANDI FRATRUM PARIA RELIGIONIS STUDIA.

Guilielmus verò parens nouo sibi rursus beneficio Societatem Jesu obstrinxit. Est Ebersbergense templum domiciliúmque D. Sebastiano Martyri dicatum. Posteaquam temporum malignitas unà cum fortunis (quod ferè consequens est) ejusce loci disciplinam & Religiosorum numerum minuerat, Guilielmus accepto à Clemente VIII. summo Pontifice diplomate, impetravit, ut Monachiensi Societatis Jesu Collegio adjungeretur. Itaque pridie cal. Novemb. Rector Monachiensis Collegij in ejus Monasterij possessionem immissus est. Res, Dei inprimis beneficio, & secundum Deum, favore Principis, & prudentiâ Comissariorum, magnâ tranquillitate peracta, majore sanè, quàm in re, quæ magnâ invidiâ non careret, sperari poterat. Locus est insigni religione, & frequenti hominum concursu per totum propè annum celeber, maximè verò ipsius S. Sebastiani cranio aliisque sanctissimis reliquijs nobilitatus; quò undique quotannis, religionis causâ, mortales plurimi conveniunt; opem Numinis, Divíque patrocinium in rebus suis, præsertim verò adversus pestilitatis luem, non sine luculento fructu implorantes. Hic ipsus annus est, quo Guilielmus rerum humana- *In Ernesto. p. 599.* EBERSBERGA SOCIETATI JESU ATTRIBUTA. LXXII.

manarum pertæsus, ut soli Deo se totum traderet, utriusque Bavariæ fasces, Cæsare assentiente, filio suo Maximiliano, patriæ pietatis cæterarúmque virtutum verißimo sectatori, ex asse transcripsit, admirabili raróque animi, rebus mortalium excelsioris, documento. Adspirabat videlicet Princeps optimus ad absolutæ in Deum pietatis fastigium, in quo qui consistit, utrâque fortunâ major, nec affectat superiorem, nec formidat infimam.

Cæterùm in istâ mentis excelsitate, & dominandi contemptu, cùm seipso sublimior nihil deinceps honoris humani admitteret, magni tamen fecit Clementis VIII. Pont. Max. beneficium, quo Philippum F. Ratisbonensem Episcopum ad Vaticani Senatûs purpuram evexit. Etenim cùm Princeps sapiens eminentißimam istam dignitatem jure meritò suspiceret, sibi persuadebat fore, ut filius, qui magnis paßibus contendebat ad perfectæ virtutis absolutionem, novos ex Cardinalatus splendore impetus caperet indies, quibus evaderet ad eam sapientiam & castißimûm divinæ gloriæ amorem, in quibus potißima sunt omnium dignitatum ornamenta.

Ut igitur suum de isto honoris gradu judicium publicè testaretur, sacram Philippi F. inaugurationem voluit haberi celeberrimè. Quam ad rem delegit 4. Non. Februarij, qui Purificatæ semper purißimæ Virgini solennis est, ut magnificentiam exterioris apparatûs populi pietas, quæ illo die singularis est, cohonestaret. Quia verò ista cæremonia quamplurimis nunquam visa fuerat, jußit in Æde D. Michaëlis Monachij pro concione explicari, quanta esset eminentissimi Cardinalium Ordinis majestas, quanti Vaticanæ purpuræ honores, quæ officia, quæ pro universo Christi grege solicitudo atque vigilantia. Concionatorem religiosè audivit ipse, audivit Renata ejus conjux, & Serenißimi filij: Ea fuit præterea Nobilitatis cæteræque concionis frequentia, quam ægrè capiebat spatiosa admodum templi amplitudo. Finitâ dictione, Serenißimus Princeps Philippus ab Illustrißimo & Reverendißimo Legato Apostolico, sacris Vaticani Senatûs insignibus fuit exornatus. Eam celebritatem excepit hymnus Eucharisticus Divorum Ambrosij & Augustini, & sacro, de more, absoluto, spectatorum plausus & jucundißima congratulatio, quæ Cardinalem cum longâ Aulæ & stipatorum serie in Regiam revertentem est comitata, inter festivas confertæ per plateas multitudinis omnis felicitatis adprecationes. Die postero Gymnasij Societatis Jesu discipuli suas quoque partes egerunt eleganti dramate, ad hesternam sollennitatem scitè composito, cui Serenißimi Principes & Illustrissimus Legatus dignati sunt interesse. Sic placuere Emblemata, & poëtica affixorum carminum, quibus aulæ parietes convestiebantur, pulchra varietas, ut ea Illustrissimus Legatus secum Romam voluerit asportare.

Secundum hæc Dux Maximilianus, ut, quem à parente nactus erat universæ Boicæ Principatum, Deo auspice bene feliciterque regeret, votivâ ad D. Virginem Oetinganam peregrinatione sibi Numen conciliare studuit, & quò magis Deiparæ, cujus se clientem per omnem vitam est professus, patrocinium sibi demereretur, unà cum Serenissimâ Elisabethâ conjuge pientissimâ, iter duodecim leucarum (quæ est locorum intercapedo) pedes magnâ animi demissione confecit.

LXXIII. Sed omnium studia benignitatémque is, qui filijs ad omnem pietatem dux erat & norma, Serenissimus Guilielmus longè latéque superavit. Hoc enim demum anno, augustum illud templum, opus verè regium ante annos plus minus quindecim ad Monacense Collegium exstrui cœptum, immenso sumptu absolvit. Quod cùm dignitate, majestate, ornatu inter magnificentissima censeri possit, tum verò sacrarum rerum apparatu, copiâ, elegantíque instrumenti dispositione, si cum quamplurimis etiam præclarissimis dixerim componendum, non longè videar à fide aberrare. Ejus summatim descriptionem, in exterorum gratiam proponam. Templum ipsum est Archangelo Michaëli dicatum. Augusta est ejus facies, & ornatu magnifico visenda: binæ præcelsæ valuæ marmoreis

Forma templi D. Michaelis Monacensis.

reis liminibus, postibus, & antipagmentis bifariàm admittunt adeuntes. In medio, ingens artis insignissimæ Archangeli, diabolum calcantis, ænea statua locata est: in discreto inferiùs quadrangulari loculamento marmoreo pendent Boiariæ Domûs insignia ære fusa, aurei velleris torque circumdata. Alia signa Boiorum Principum, singula in scaphis egregij artificij, in quibus & Gulielmi Fundatoris effigies, aptissimâ serie collocata ad supremum usque fastigium, templi frontem reddunt augustiorem. Intus tanta species, tantus ornatus, tanta statuarum, ædicularum, Corinthiacarum columnarum, anaglyphorum, lemniscorum, encarporum multitudo ordinatissima & majestas, ut in admirationem rapiat subeuntes. Fornix est unicus, unicæque cellæ navis, septuaginta pedum latitudine. Chori amplitudinem, superiùs num.° LX. explicuimus. Substructiones laterales intra templum, sunt latæ vigenti pedes, non adnumerato externo pariete. Inter illas hinc & hinc sunt terna sacella splendidè exculta. Infra chorum quinque sunt aræ, ad singula latera geminæ, in medio una tam scitè posita infra Crucifixi præstantissimam iconem, ad chori gradus, ut nihil prorsùs obstruat Chori & principis aræ conspectui. Sacella obsepta clathris miri LXXIV.
operis, sunt vicem aliorum inter moles substructionum, sic ut tota navis nullis impedita columnis, nihil habeat, quod oculos ab aris cohibeat, vel precantium mentes à pietate divertat. In imo choro tribunal est, plenum dignitatis, & consentiens totius templi majestati. Quod supra sacella ad ipsum usque tribunal spatij interjacet, in crucem brachia gemina expandit, ad cujus ramos & chori medium expanduntur, quas dixi, aræ quinæ Sanctissimæ Trinitatis, S. Nominis JESU, Divorum Ignatij, Francisci Xaverij, & Cosmæ ac Damiani. Duodecim omnino hodie altaria sunt, varijs titulis. Eorum primarium in summo choro dicatum Michaëli Archangelo. Medijs ad chorum gradibus, ex amplâ & speciosâ basi prægrandis crux ex Ebeno exsurgit, cum Christi suffixi, Magdalenæ ad pedes abjectæ, duorum Angelorum forcipem & malleum passionis arma gestantium signis ex ipsa usque Italia advectis opere fusili. Sacellis lateralibus, antequam ad supremum verticem ascendant, impositæ pergulæ, unde, qui se à vulgo semovent, & concionatorem audire, & sacras spectare cæremonias commodè possint. Inferiorem navis partem odeum occupat duobus insigne pithaulicis organis, stationibus totidem, ad recipiendos phonascos, qui sacro cantui justo numero sunt attributi. Ad chori latera totis parietibus sejuncta hinc S. Crucis Capella bene capax & culta; inde sacrarium ad vestiendos sacerdotes, & sacri apparatûs custodiam, præter bina longè ampliora conclavia, quæ paulò à templo remotiora servant præcipuam templi rerúmque sacrarum supellectilem. Per totius templi circuitum geminæ excurrunt cellarum lineæ, inferior una, superior altera, in quibus, æqualibus spatijs, consistunt utrinque in perelegantibus ædiculis cælitum statuæ, eâ elegantiâ ac specie, ut in ijs efformandis præstantissimorum artificum peritia certasse liquidò [illegible]pareat. In chori medio stat supra gradus Angeli procera effigies ex ære fus[illegible], formâ venustissimâ. Ante Angelum est labrum aquæ lustralis marmoreum. Pavimentum universum niter operis tessellati candido & rubro egregiè digesto & polito marmore. Hæc summa totius templi dispositio est. Porrò sacer apparatus is est, ut totius rei majestatem longè superare judicetur. Sacræ Divorum reliquiæ è varijs orbis terræ partibus à religiosissimo Principe conquisitæ tanto numero, ut omnem propè excedant æstimationem. Multa in his Sanctorum corpora, capita item integra ut minimum undeviginti, reliquarum corporis partium tanta copia, ut, cùm ex singulis nominatim bene longi indices editi sint, multorum tamen nomina calamum effugerint. Omnia argenteis, crystallinis, ebeneisve thecis faberrimè factis inclusa, quas aurum, gemmæ, minores ex argento statuæ pretiosè exornant. Sacra vestis à primâ origine, aliáque supellex tam copiosa, ut sive utriusque multitudinem, sive artificij spectes elegantiam, quam cum hac conferre possis, haud LXXV.
facilè reperias. Suus cuique aræ ac Sacello proprius cultus, peristroma, cruces,

ces, candelabra, calices, gutti, polluvia, divorum icones, Lipsanothecæ, argentea tintinnabula, emunctoria, ex argento pleraque, ex ebeno præstantissimè elaborato alia. Ita generosissimus Princeps non solùm imensas in divinum cultum opes effudit, quod est opulentiæ, sed etiam, quod excelsi illius animi elegantisque judicij est, novâ quadam ratione, novóque invento, regium tantæ munificentiæ splendorem tam ingeniosæ distributionis industriâ illustravit, ut, cùm ex unius cultu, ad alterius sacelli usum nihil quicquam misceatur, tamen singulis instrumentum apparatissimum supersit. Sed quæ est summæ munificentiæ coronis, tantum proventûs annui formâ & stabili fundatione Guilielmus templo constituit, ut satis supérque sit, ad perpetuandam tanti operis ornamentorúmque majestatem.

Templi D. Michaelis consecratio.

Rebus ita comparatis, prid. Non. Julias, die Dominico, ad templi consecrationem ventum est. Sacram illam operosámque cæremoniam Frisingensis Suffraganeus peregit, præsentibus Ferdinando Austriæ Archiduce, qui postea imperavit, cum Serenissimâ matre, Guilielmi templi conditoris sorore, & fratribus sororibúsque. Adfuere, præter Guilielmum ac Renatam conjugem, Maximilianus, Elisabetha conjux, Philippus Cardinalis, Ferdinandus Coloniensis Adiutor, Albertus, Maria Anna, Magdalena, Landgravius Leuchtenbergius, cujus filia Alberto nupsit; Sacri Antistites, alij Proceres, viri primarij, & infinita propè hominum multitudo. Peractâ cæremoniâ, solenne Missæ sacrificium ab eodem Episcopo Suffraganeo celebratum. Sacra carmina, admirandâ symphoniâ vocum organorúmque variorum quaternis, quinis etiam interdum choris, decantata.

Inter Missæ Sacrificium magnâ populi frequentiâ plausúque à Philippo Cardinali concio est habita, de Templis Deo Opt. Max. dicandis, ijsque quàm magnificentissimo sumptu exornandis. Quæ omnia cùm sacrarum litterarum, ac Sanctorum Patrum testimonijs, tum Salomonis, Constantini, aliorúmque exemplis, horâ unâ perorasset, sacra inde Missarum celebratio ad finem perducta est.

LXXVI.

Prandium à Serenissimo Duce, intra Collegium, Principibus seorsim, communi verò triclinio sacris Præsulibus, Comitibus, Baronibus, viris primarijs, & Collegio, datum est: hîc sumpsêre epulum omnino ducenti. Extra Collegium mille quingenti ab eodem Principe convivio excepti. Tum Monasterijs virorum ac Monialium, ægrotísque in Nosocomijs, cum largâ Eleemosynâ, cibaria, in prandium cœnámque transmissa. Ad Principes inter prandendum habuit orationem Sacerdos is, qui in Aulâ erat à concionibus: ad convivas cæteros, Socij quatuor; Hebraicè unus, alter Græcè, Latinè tertius, quartus carmen, dixere. Inter hæc, Collegij parietes mirâ copiâ poëticorum operum, aliorúmque argumentorum varietate renitebant, quibus admiranda inventionum abundantia præstantissimáque ingenia mirè certârunt. Ea omnia typis excusa, ac tribus voluminibus digesta, honorarij muneris loco Principibus, viris alijsque distributa admirationem habuere.

Epulum communiáque à mensâ colloquia, secutæ vespertinæ preces, quæ eâdem Principum frequentiâ, cæremoniâque & apparatu symphoniaco, celeberrimè decantatæ, diei lætitiam clausêre. Postero die, Tragico-comædia expectabatur, quæ ob pluviam tempestatem in diem quintum dilata, admirabili & cum priscis certante apparatu, in amplissimâ areâ, sub dio, ubi scenæ publicúmque visendi operis theatrum, data est. Multæ Cœlitum, Principúmque virorum, Imperatorum, Regúmque personæ, cum suo quæque equitum peditúmque comitatu, ornatu, cultúque planè regio in medium prodiêre. Actionis argumentum fuit Michaëlis de dracone inferno victoria, multiplici speciosáque siparioru episodiorúmque varietate. Non minorem habuit admirationem artificiosorum ignium eiaculatio, qui ex horrendo draconis ore & immani inferorum hiatu, in sublime emittebantur; ut cùm rebus alijs æquâsse, hac arte certè antiquorum ingenia & opes, ista ætas superasse dici possit. Ne qua verò, in

tanta spectatorum confusione, turba existeret, mille omnino armati milites opportunis locis dispositi, custodiæ fuêre. Tenuit tota actio ad horas decem.

Læta hæc: triste funestúmque (eæ sunt vices rerum humanarum) quod subvexit annus proximè secutus: subvexit enim immaturam nimiúmque (nisi sic fata voluissent) præcipitem Philippi S. R. E. Cardinalis, Ratisbonensis Episcopi mortem, quæ Principem ætate florentem, cùm annum vigesimum secundum ageret, in arce Dachaviensi decimâ octavâ Maij rapuit, veriùs abduxit minimè renitentem. Certè quantâ lætitiâ tertium abhinc annum Boicam impleverat, quando Ratisbonensis Ecclesiæ gubernacula adierat, & non multos ante menses Romanâ indutus purpurâ, de superiore loco Monachij dixerat; quantâ affecerat jucunditate patriam universam, quoties suavissimus Princeps se conspiciendum dederat, tantum attulit mœroris, quando subductus amantium venerabundis oculis, videri desijt inter mortales. Supremum morbum Ratisbonæ contraxit. Monachium ejusce curandi causâ adijt. Monachio divertit Ingolstadium, primo vere, ut mitiore isthic cœlo frueretur. Ibidem hebdomadam illam, quâ lugubri ritu Ecclesia Domino morienti parentat, magnâ religione egit in Collegio Societatis Jesu, quod magnificis ædibus, ipsique Regiæ prætulerat. Post pascha Dachavium concessit, ubi continuò duos è Societate sacerdotes sibi voluit adesse. Cùm de ejus valetudine esset conclamatum à Medicis, monitus de extremo vitæ momento, nihil territus eâ denunciatione: *In cœlo* (inquit) *vivere jucundius.* Supremis munitus sacramentis, adstantium erigebat animos, solabatur illacrymantes. Nocte mediâ convocatur familia; adveniunt Serenissimi Parentes; sacerdotes Litaniam inchoant; Ille verò simul Sanctissimam Triadem veneratus, modò nominat Sanctos, modò orat. Commonefactus de insignium suorum symbolo: *Dominus illuminatio mea*, mox cum adsistentibus eundem psalmum recitavit: ut ventum ad illum versum, *Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini*, cæteros prævertens, magnanimo pronunciavit spiritu. Paulò pòst, acceptâ candelâ de Parentis manu, felicissimè obijt. Illatus est majorum suorum Mausolæo Monachij in æde maximâ D. Virginis. Magnificè illi parentatum per Boicam, Monachij præsertim, Ratisbonæ, & Ingolstadij. Hîc funebris illi dicta est laudatio, datáque è typo in hominum manus. Ejus laudes petitæ à sapientiâ cùm divinâ, tum humanâ. Divinâ quidem, quam non modò ex Theologicis institutionibus publicè ac privatim, ubi id patiebantur horæ ab Episcopatûs negotijs subsecivæ, hauserat, sed etiam ex sacris aliquot dierum commentationibus, ad quas se consueverat recipere, quando liquidiùs rerum divinarum sensum volebat degustare: atque in his quidem tam præclara lumina, memoriæ causâ, referebat in chartas, ut præclariora à præstantissimis sanctarum litterarum Doctoribus vix posse notari videantur. Erat solertis subtilisque ingenij, facundiâ longè supra mediocrem, comitate admirabili, facilitate & clementiâ planè singulari. Benignè salutabat, compellabátque etiam infimæ sortis homines, imperia condiebat suavi modestiâ, & excellenti vultûs serenitate. Offensus facilè placabatur, lacessitus ne offendebatur quidem. Illud est insigne ad memoriam. Perpaucis antè diebus, quàm mortalitatem exueret, cùm è sellâ gestatoriâ à quodam fortuitò effusus, humi cecidisset, omnibus, qui casum viderant, periculi metu consternatis, tantum abfuit, ut in baiulum quicquam graviùs statueret, ut ne verbo quidem asperiori eum incesserit. Obibat certis temporibus prochodochia & nosocomia, ibique egentibus atque ægris suis ipse manibus pecuniam largiebatur. Tantâ fuit pudicitiâ, ut, qui ejus jam inde à puero vivendi rationem penitissimè perspectam exploratámque habuêre, crediderint, eum nullo impuræ libidinis æstu afflatum, nedum adustum fuisse. Magna certè laus in Principe florentissimo, in ætatis fervore, in delicijs, quibus Principum aulæ affluunt, sæpéque solent nimiùm diffluere. Tantâ fuit in Parentes observantiâ per omnem vitam, ut ab eorum voluntate, ne latum quidem unguem, sciens, volens deflexerit. In eo fuit pietas in Deum excellens. Hunc ut purâ mente semper coleret, quot heb-

An. M. D. XCVIII.

LXXVII.

Obitus Philippi Cardinalis.

Psal. 26.

LXXVIII.

hebdomadis conſcientiam piaculari confeſſione, ad ſacerdotis pedes provolutus, emaculabat, ac deinde pectore ſic depurato, omnis auctorem nitelæ, cæleſtibus accumbens epulis, accipiebat. Id quod facere ad ultimum uſque ſpiritum non deſtitit, ex quo cœperat uſurpare ſalutaria hæc myſteria. Ipſi & Ferdinando fratri Romam ingredientibus, reperio fuiſſe à populo Romano acclamatum, Angelos in urbem veniſſe; quippe quorum innocentiam & integritatem vitæ, fama jam illic vulgaverat. Illos Pontifex non alibi, quàm in ſuâ Regiâ habitare voluit, ut eorum conſpectu ſermonéque commodiùs frueretur. Illis præterea honores habuit ampliſſimos, & non ſecus ac parens optimus, chariſſimis filijs ſummæ humanitatis & munificentiæ beneficia exhibuit, quamdiu fuerunt in urbe commorati. Hæc ne cum Philippo ſepulta jacerent, viſum eſt paucis dicere, cùm longè plura Principi ſummæ virtutis debeantur.

Mors Jacobi Mulleri. Suſtulit & hic annus Jacobum Mullerum lumen Eccleſiæ Ratisbonenſis, & adminiſtratorem loco Philippi, dum minor eſſet ætate, qui in tutanda religione moribúſque in melius componendis, magnum fecit operæ pretium.

An. M. D. XCIX. Obitus Suicardi Helfenstainii. Quando verſamur in commemorando egregiorum virorum exceſſu, præteriri ſilentio non debet Suicardus Helfenſtainius Comes vir excellenti pietate, cuíque Landſpergenſis Societatis Domus ſe debet, & pleraque quæ hodie tenet, poſſeſſionum emolumenta. Tumulatus eſt in æde ſacrâ, quam ipſe Societati Jeſu condiderat Landſpergæ.

LXXIX.

An. M.DC. Annus Jubilæus. Annum ſæcularem celebrârunt Romæ frequentes ex omnibus Chriſtiani orbis partibus, piorum peregrinationes; multa item Romanæ in peregrinos & egentes illuſtriſſimæ liberalitatis exempla. Exhilarârunt Ferdinandi Archiducis, qui poſtea Romani Imperij ſceptra tenuit, cum Mariâ Annâ Guilielmi Boiorum Ducis filiâ celebratæ hoc anno nuptiæ. Mariam Annam elegantiùs veriúſque nemo deſcribat, quàm Author Anonymus, qui nativis coloribus ejus expreſſit elogia, cujus proinde verba libens adnumero. *Princeps noſtra* (inquit) *his ornata virtutibus, radiabat nimirum, & Auroræ conſurgentis in modum, purpureas fores & plena roſarum, id eſt virtutum, atria pandens, illud uſurpare viſa eſt virtutis.*

Nuptiæ Ferdinandi Austriaci cum Maria Anna Boica.

Mecum honor & laudes & læto gloria vultu,
Caſta mihi Domus, & celſo ſtant colle Penates.

Quâ causâ, uti non potuit non lucere, ita non potuit non amari, ei maximè, qui virtutem in Mariâ Annâ ſpectabat unam, Sereniſsimo Sponſo ſuo Ferdinando. Is enim cùm, defuncto Sereniſsimo Patre Archiduce Carolo, ut maximus natu, Provinciarum Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & earum, quæ his adnexæ, ditionum, hæres ſuccederet, ſicut nihil antiquius habuit, quàm religione & pietate florentiſsimas reddere regiones, quas non ſatis in eo genere reperiebat locupletes; ita providendum ſibi duxit modis omnibus, ut eam in thalamum atque thronos conſortem deduceret, quæ ut prole Domum, ita exemplo Fidem atque Pietatem apud ſubjectos populos adaugeret. Erat, ſi quæ alia, inter ejus ævi Principes, huic rei ficta & facta Maria Anna, Bavaricæ Domûs germen eximium, dignúmque proinde, *in Archiducales, in Auſtriacos transplantari hortos. Petitur ergo Maria Anna Ferdinando Conjux; impetratur, ducitur: quâ pompâ, quâ Majeſtate, quantâ omnium gratulatione Ordinum, recentior memoria eſt atque auguſtior, quàm ut calamo patiatur adumbrari.* Mihi hoc conjugium non homines magis celebraſſe, quàm Divi Cœlites ſecundâſſe felicitâſſéque videntur. Nam ut omittam, novo hoc vinculo ampliſſimas Domos, Auſtriacam & Bavaricam, nunquam ſolvendo nexu arctiùs coâluiſſe; ſcio nihil optatiſſimis in nuptijs, in conjugio feliciſſimo deſideratum fuiſſe aliquando, quod hîc non fulſerit. Addit Encomiaſtes alia pulcherrima, ínque ſummis habenda, ſed quæ longè pulchriora excelſioráque duxiſſet, ſi potuiſſet vaticinari, qualis quantáque ſoboles ex iſta affinitate eſſet proventura, Imperatorum, Regum, Reginarum, Archiducum, Ducum, atque in iſtis Mariæ Annæ matri cognominis, conſimi-

LXXX.

lisque, quæ Maximiliani Bavariæ Electoris connubio asserta, Domum Bavaricam geminis filijs & spe rerum maximarum locupletavit.

Ergo Maria Anna Guilielmi Filia 11. cal. Majas nongentis septuaginta omnis Ordinis & dignitatis equitibus, curribúsque quamplurimis stipata, Græcium est ingressa. Principes numerati, præter Sponsum & Sponsam, Archiduces Austriæ Matthias, qui postea imperavit, Maximilianus, Leopoldus, Carolus; Principes Ducésque Bojariæ Maximilianus, Sponsæ Frater, cum fratre & patruo Ferdinandis, illo Coloniensi designato Archiepiscopo; hoc, qui bellum Coloniense perpetravit: Landgravius Leichtenbergius, Mater Ferdinandi sponsi, quæ Sponsæ amita, Guilielmi soror; Archiducissa Leonora, Magdalena. Magna fuit celebritas nuptiarum, omnis generis ludi & spectacula splendidissimè honestissiméque edita.

Certatum hoc anno Ratisbonæ in Curiâ, præsentibus Maximiliano Bojorum, Philippo Ludovico Palatino Neoburgensi Cognatis Principibus, inter Catholicos litterarum sacrarum interpretes & Acatholicos de verâ falsâque religione. Duravit disputatio à 28. Novemb. usque ad 8. Decembris. Cùm quatuordecim congressibus depugnatum esset de Judice controversiarum Fidei, typis vulgata est concertatio. Exitus fuit, qui solet in hujusmodi. Cecinêre de more Acatholici sine victoriâ triumphum, sed thrasonicè. Vicit Catholica veritas, vincétque, nec portæ inferi adversus eam prævalebunt.

An. Christ. M. DCI. Colloquiũ Ratisbonense. LXXXI

Quæ de Guilielmo memoranda supersunt, in Maximiliani Filij Principatu referentur. Hæc interim, mi lector, boni consule, iísque, si lubet, fruere.

Annalium Boicorum Partis II.

FINIS.

INDEX.

A.

B. Bal-

INDEX.

B.

C.

D.

INDEX.

Fride-

H.

I.

K.

L.

Duces

INDEX.

Vu 4

M.

N.

O.

P.

R.

S.

T. *Tem-*

INDEX.

Menda.	*Emenda.*
Fol. 23. voulêre.	voluêre.
39. inhilominus.	nihilominus.
46. caudam	caulam.
55. adijcernetur	adijceretur.
64. numere	munere.
65. hoc oratio	hæc oratio.
73. recepturum	recepturos.
79. quadragesimo	quinquagesimo.
83. Campidum	Campiduni.
86. judionem	ludionem.
91. dativâ tutelâ	nativâ.
93. esset	esse.
105. Oerco	orco.
116. pertinariter	pertinaciter.
141. cirori	cruori.
160. progessi	progressi.
163. sacriret	sarciret.
163. pose humo	posthumo.
164. Constantiensis	Basileensis.
166. Serebat	Gerebat.
180. Cæsaries	Cæsaris.
214. ejurialium	esurialium.
292. nonagesimo	septuagesimo.
331. vigenti	viginti.
Ibid. niter	nitet.
333. Prochodochia	Ptochodochia.

FINIS.